



PHILIPPI LABBEI
BITURICI
E SOCIETATE JESU
CHRONOLOGIÆ
HISTORICÆ
PARS TERTIA.







PARISIIS,
E TYPOGRAPHIA REGIA.

M. DC. LXX.







DECIMVM-TERTIVM ÆRÆ CHRISTIANÆ SÆCVLVM,

S. LVDOVICI, ET FRANCORVM, in Oriente & Constantinopoli imperantium.

Ab anno Domini IESV 1201. *Mundi* 5254. *Romæ* 1954. *ad annum* CHRISTI 5300. *Mundi* 5353. *Romæ* 2053.



ILLESIMO DVCENTESIMO TERTIO Æræ Christianæ anno PHILIPPVS *Francorum Rex pertæsus contentionum Concilij Suessionensis, circa mediam Quadragesimam, Præsulibus insalutatis abscessit, duxitque secum Ingelburgam, quam Stampensi castro inclusit.* Ioannes Angliæ Rex, eiúsque vxor Isabella, Cantuariæ sacro Paschatis die 25. Martij coronati sunt. Idem Angliæ Rex post Pentecosten Lutetiam venit, inde Cainonem perrexit, vbi conuenit de dote cum Berengaria fratris sui vidua. Eustachius Abbas Fleensis vir piissimus, atque eloquentissimus, in Angliâ concionatus est, de obseruando accuratiùs

die Dominico, qui tum in his partibus negligebatur. Hæc Rogerius vltra hunc annum non progressus, aliíque Scriptores. Addunt hoc anno *Theobaldum Campaniæ Comitem diem extremum clausisse :* Itémque Agnetem Meraniæ Ducissam, & Constantiam Arturij matrem. *Adhæc Robertus S. Mariani refert Parisiis habitum esse Concilium de Eberardo quodam Heterodoxo, húncque Niuerni flammis absumptum.* Addit Albericus Monachus Trium Fontium *Theobaldum antedictum, Crucesignatum fuisse, & misisse pro se in partes transmarinas Renaldum de Dampetrâ cum sufficientibus expensis sepultum fuisse Trecis in Ecclesia Sancti Stephani iuxta patrem suum Henricum Magnum. Vxorem illius grauidam relictam esse, virilis animi fœminam 20. annis ditionem hanc administrasse, triumphasse de aduersariis, & quædam castra potenter muniuisse.* Robertus Antissiodorensis Monachus, Harduinus, aliíque narrant, *Sibillam Tancredi viduam ex inimicorum, hostiúmque manibus profugam venisse in Franciam, ibíque filiam suam primogenitam dedisse vxorem Gualtero Comiti Briennensi in Campania Joannis fratri, qui anno 1210. Hierosolymitani Regni clauum tenuerat. Gualterum hoc iure subnixum, atque Innocentio III. Pontifice in Italiam traiecisse, & Apuliam, Calabriámque occupasse.*

ANNO CHRISTI MCCII. *Philippi Francorum Regis 23. bellum inter Francos, Anglósque recruduit.* Arturius iunior copias duxit in agrum Pictauiensem, sed à Pictauis proditus patruo suo, ab eodem veneno potatus est. *Philippus diem Anglo dixit, coram Franciæ Paribus, vt accusationis multa capita dilueret : cum hic vadimonium deseruisset, ille ius suum armis prosecutus Gornæum, Arcam, aliáque castella occupauit, & Normaniam latè populatus est. Turones captæ, atque receptæ, direptæ, inflammatæ ;* hæc Robertus S. Mariani, Brito, & alij. *Refert idem Robertus Monachus Guillelmum Archiepiscopum Remensem Regis auunculum Cardinalem, cognomento* Λευκοχεῖρ *seu Albimanum Lauduni subitâ morte elatum fuisse, & in Ecclesia Sanctæ Mariæ Rhemensis sepultum : Nepotem eius Rotrodum Episcopum Catalaunensem, eodem mortis genere paulò pòst interiisse, vtrumque intestatum esse defunctum.* Ex quorum repentino obitu, nobiles Ecclesiasticos ita Robertus instituit; *his aliísque exemplis* &c. *profectò liquet vix vn-*

quam eos bono fine concludi, qui cum honoribus Ecclesiasticis sublimentur, ipsa honorum officia negligunt, & Ecclesiasticorum effusione bonorum fluidas mundi pompas, & palpantes gloriolas aucupantur. Roberto accinit Albericus ad hunc annum, *Guillelmus Regis auunculus, & Comitis Campaniæ patruus, per annos 26. & vltrà, præsulatus infulas cum fauore, & gloria sæculari obtinuit, non ita cum fauore Dei:* & notat 7. *Idus Octobris*, id est, 9. *mensis huius die obiisse.* Adiungit his Robertus Antissiodorensis *mortem Fulconis Parochi Nulliacensis, auersus vitia concionatoris acerrimi, & qui Gallos ad militiam sacram fortiter inuitarat.* Chronicon Belgicum *addit mortem Guidonis Basosensis Cantoris Ecclesiæ S. Stephani Catalaunensis, qui etiam Chronicon scripserat, seu Historiam Mundi ad sua vsque tempora; cuius scriptis se vsum esse profitetur* Albericus, *sed mortem eius in annum sequentem reiicit.* Hoc item anno Conradus Augiæ diuitis (notior sub nomine Abbatis Vspergensis) sacerdos creatus est; anno autem 1215. factus est Abbas Vspergensis (qui locus situs est inter Vlmam, & Augustam Vindelicorum) obiítque anno 1240. *Hoc item anno Balduinus Flandriæ Comes, & frater eius Henricus, Bonifacius Comes Montis-Ferrati, Hugo seu Henricus Sancti Pauli, Simon Monfortius, Ludouicus Blesensis (& qui huius belli historiam scripsit) Campaniæ Mareschallus Gauffridus Villarduinus expeditionem sacram suscepere. Cum eis pecuniæ deessent ad naues pollicitus est eis gratuitum transitum Henricus Dandulus Dux Venetorum, excæcatus à Manuele Imperatore Græco, si Venetos priùs iuuissent Crucesignati aduersus Istros, & Slauos. Quod cùm præstitissent, coacti sunt insuper, reluctantes licèt, Iaderam inuadere, quam anno sequenti occuparunt;* quæ accuratiùs leges apud Villarduinum, & belli huius Scriptores. *Hoc denique anno,* vt tradit Albericus, *mortuus est Cistertij Magister Alanus de Insulis, famosus doctor., & scriptor*, cuius ipse opera commemorat.

Anno Christi MCCIII. *Franci, ac Veneti Iaderam occupant, Hungarici licèt iuris, quare excommunicati sunt ab Innocentio; hic tamen mox eos absoluit, & quam priùs improbarat Constantinopolitanam expeditionem laudauit, vt pote Syriacæ necessariam. Vela igitur faciunt in Orientem, inuitati ab Alexio Iuniore Angelo, filio Isaaci depositi, atque excæcati. Mari,*

terráque-sæpe cum Græcis pugnatum. Tandem post octo dies capta Constantinopolis 20. Iulij, vnde Alexius tyrannus profugerat, postquam imperasset annis octo, mensibus tribus, diebus decem. Eductus est ex carcere cæcus Isaacus, filius eius Alexius Iunior in templo Sanctæ Sophiæ coronatus recepit Imperium Kal. Augusti; quæ vberiùs Villarduinus aliíque Scriptores prodidere. *Eodem anno & sequenti,* vt tradunt Robertus Sancti Mariani, Guil. Brito, aliíque, *Philippus Rex Franciæ cepit Salmurium, Cainonem, Loquias, Andeliacum, Rothomagum, Vernolium, Falæsam, Montem Sancti Michaelis in periculo maris, & totam pæne Normanniam, Britanniam, agrósque Pictauiensem & Lemouicensem. Mortuus est denique eodem anno Stephanus Episcopus Tornacensis, priùs Abbas Sancti Euuerti Aurelianensis, deinde Sanctæ Genouefæ Parisiensis, vir vndecumque doctus.*

Anno Christi MCCIV. Isaacus Angelus exeunte Ianuario potatus veneno, vti creditum est, expirauit. Eodem tempore, eodémque ductu Alexius, cognomento Murtzuphlus (ob eminentia supercilia) Iuniorem Alexium coniecit in carcerem, bisque veneno frustrà tentatum, manu sua strangulauit. *Quare à Crucesignatis iterum obsessa ciuitas 9. Aprilis, die Veneris ante Dominicam Passionis, &* die Lunæ 12. eiusdem mensis occupata, anno secundùm Græcos 6712. Indictione 7. Murtzuphlus tyrannus captus, & excæcatus à socero Alexio tyranno Isacij fratre, Latinis deditus, ex columna præcipitatus interiit. *Balduinus itaque Flandriæ Comes annos natus 32. electus est Imperator Dominica 2ª Paschæ, & 3ª Dominica cùm canitur in Introitu Missæ* Iubilate, *16. Maij coronatus, & inunctus est.* Theodorus Lascaris gener tyranni Alexij annos natus 30. Niceam Bithyniæ se recepit, ibique reliquias tanti naufragij posteris suis reseruauit. Tum quoque exortum est Trapezuntinum Imperium, *&c.* Thomas Maurocenus nobilis Venetus primus est electus Patriarcha Latini ritus, &, vt ipse postularat, ab Innocentio III. confirmatus est. Creta insula Venetis cessit, Bonifacio Marchioni Montis-Ferrati Thessalia, & Peloponnesus, Godefrido Villarduino Achaia & Athenæ; quæ pluribus leges apud Nicetam, Villarduinum, Robertum S. Mariani, Albericum, & in

litteris hoc tempore ex vrbe Constantinopoli in Occidentem scriptis. Ad hæc Robertus S. Mariani *scribit Petrum Curtinia.um Comitem Antissiodorensem publicè satisfecisse ob damna illata Hugoni Episcopo Antissiodorensi, adnitentibus Archiepiscopis Bituricensi, atque Senonensi.* Discimus etiam ex tabulis, quas profert Ciaconius Petrum Aragoniæ Regem, Comitem Barcinonensem, & dominum Montis-Pessulani, venisse Romam, ibidémque inunctum fuisse Regem per Petrum Cardinalem Episcopum Portuensem, & à Summo Pontifice corona redimitum. Quo etiam anno contigit Eclipsis Lunæ die Veneris 16. April. cuius meminit Robertus Antissiodorensis.

Anno Christi MCCV. Romanus Rex, *aut Princeps Russiæ* egressus finibus suis, & per Poloniam transire volens in Saxoniam, vt Ecclesias destrueret, quasi Pseudochristianus, à duobus fratribus Listeto, & Conrado ad Visselam (hic est Vistula fluuius) cæsus est, eius copiæ cæsæ, atque dissipatæ; sic Albericus Monachus Trium-Fontium. *Multæ sunt hoc anno à Francis potientibus Imperio Constantinopolitano Sanctorum reliquiæ inuentæ in multis vrbibus Græciæ*, vt tradit Chronicon Belgicum. Vide & librum eruditissimum D. du Cange, de capite S. Ioannis Baptistæ, *quod tunc temporis Ambianum delatum est, per Valonem Canonicum S. Martini Picquiniacensis inuentum Constantinopoli in Ecclesia parietinis. Intereà obsidebatur à Latinis Hadrianopolis, & Græcis inclusis auxilium adduxerat Ioannicius Rex Valachorum, atque Bulgarorum: huius Ioannicij Primariam vrbem Albericus Tornoem, & Tornoam vocat, (quam suspicor esse Taurunum, posteà dictam Albam Græcam*, vulgò Belgrade) *vbi notat posteà Balduinum cæsum esse, & canibus expositum. Huic autem Ioannicio dum occurrunt audaciùs Balduinus Imperator, & Ludouicus Blesensis cum suis Francis, & superatum generosiùs, quàm cautiùs vrgent, insidiis intercepti fusi sunt, atque profligati. Ludouicus Comes in pugna cecidit, Imperator in palustribus locis captus 15. Iulij, & abductus in Mysiam Tornoen, iussu crudelis Ioannicij, anno sequenti exeunte Iulio interfectus est.* De eius morte multa habet Albericus Monachus, quæ nondum in lucem edita sunt, & quæ non satis conueniunt cum iis quæ de eius morte sparguntur. *His auditis Henricus Impe-*

ratoris frater Bailum se, seu Præfectum Imperij creandum curauit; vt ex Niceta, & Gregora intelligimus, quibus subscribit Monachus Antissiodorensis Robertus: qui addit Galterum Apuliæ Ducem, à quodam Toboudo in quem inciderat vulneratum, ex accepta plaga obiisse.

Anno Christi M C C V I. *auditá Constantinopoli morte Imperatoris Balduini, datus est ei successor 16. Augusti frater eius Henricus, & sequenti Dominicâ 20 eiusdem mensis in Templo Sanctæ Sophiæ publicè inauguratus est.* Bonifacius Marchio Montisferrati, & tum Thessaliæ Rex, *&c.* dum pugnat aduersus Bulgaros vitam perdidit atque caput, quod delatum ad Ioannicium, eum magnâ lætitiâ perfudit: Sic Nicetas, sic Villuardinus non vltrà progressi in sua Historia. Addit Albericus Ioannicium Valachum dum pergeret contra Thessalonicam, à B. Demetrio interfectum esse; eíque successisse cognatum eius Burillum, ad quem missus est Legatus à Summo Pontifice: hunc autem Burillum dedisse filiam suam vxorem Henrico Imperatori, sícque inter vtrumque fœdus coaluisse. *In Gallia Albigenses hæretici* (quos Scriptores huius temporis Bulgaros vocant) *latè spargentes errores suos à Raymondo Comite Tholosano, & Raymundo Rogerio Comite Fuxensi, aliísque potentibus, viris fouebantur. Sed his Deus opposuit Didacum Episcopum Vxamensem Hispanum, Arnaldum Abbatem Cisterciensem, Petrum de Castro-nouo, Radulphum, aliósque eiusdem Ordinis Religione, ac sanctis moribus illustres. Tum quoque Episcopus ille Vxamensis adduxit secum S. Dominicum* tum Canonicum Ordinis Sancti Augustini, qui tum qualis aliquando futurus esset ostendit, & quàm potens hostis hæreticorum. Hæc Petrus Vallis Sarnensis in vita S. Dominici, aliíque huius temporis Scriptores. In Oriente, vt scribit Trithemius, Albertus Patriarcha Hierosolymitanus, Monachis Carmelitanis in Palæstina degentibus, & Monte-Carmelo Regulam dedit, quæ prima fuisse creditur à multis. Ad idem quoque tempus nonnulli referunt primordia pietatis Sancti Francisci, sicut & iacta celeberrimi huiusce Ordinis fundamenta, quæ tamen alij in annum 1208. reiiciunt. *Adela Regis Philippi mater Parisiis diem clausit extremum 4. Iunij, & Pontiniaci magnificè sepulta fuit,* vt tradit Monachus Antissiodo-

rensis Robertus: qui etiam addit, eodem tempore Ioannem Angliæ Regem cum quibusdam copiis Rupellam appulisse, nullo alio operæpretio, quàm vt Treugam duorum annorum faceret, atque inglorius in regnum suum remearet; quod legitur quoque in Appendice Chronici Andegauensis, & apud Albericum Monachum Triumfontium. *Eodem denique anno magna Parisiis aquarum inundatio contigit, quæ totam pene concussit vrbem:* ea describitur ab Anonymo αὐτόπτῃ cuius scriptum editum est ab Authore huius operis, Tomo I. Nouæ Bibliothecæ pag. *662. cui malo remedium attulit supplicatio, in qua delata sunt Lipsana Sanctæ Genouefæ iubente Othone Episcopo*, quæ omnia hîc accuratè describuntur. De eâdem eluuie habet multa Albericus.

Anno Christi MCCVII. Satalia ciuitas Græcorum Christianorum (Latinè Attalia dicitur) munitissima, & instructa portu percommodo ad transfretandum in Syriam, obsessa à Sultano Iconij, capitur cum multo Christianitatis damno, ciuibus aut affixis patibulo, aut coniectis in vincula sicque facta Turcici iuris, ita Monachus Antissiodorensis. *Hoc anno contigit Ecclipsis Solis die Mercurij 28. Februarij*, ait idem Robertus. Hanc *Albericus eodem die, & anno collocat, Scilice pridie Kal. Martij, & particularem vocat, aitque insuper in 16. gradu Piscium contigisse horâ diei quintâ.* Eam tamen Rigordus in annum superiorem reiicit, more scilicet numerandi Francico, nec tamen sine erroris legitimâ suspicione. Abbas Vspergensis scribit Philippum, & Othonem fœdus inter se contraxisse, eâ conditione, vt Otho duceret Beatricem Philippi filiam, & abstineret se à titulo, ac muniis Imperatoris, quandiu socer eius viueret. Stephanus Langtonius Cancellarius Parisiensis Academiæ electus Archiepiscopus Cantuariensis, ab ipso Romano Pontifice inauguratus est die Dominicâ 17. Iulij, & in Franciam missus, vt hîc hæreret, quandiu sibi præclusum in Angliam videret aditum: quominus enim Diœcesim suam lustraret prohibebatur à Rege, vt scribit Robertus Monachus S. Mariani. Albericus scribit hoc etiam anno *Philippum cum exercitu Aquitaniam intrasse, & terram Vicecomitis Thoarsij, & Partheniacum occupasse, multas muni-*

nitiones euertisse, multas retinuisse. Addit & tum principia Christianitatis in Prussia posita fuisse, per Abbatem Godefridum de Lunkina in Polonia, eiúsque Monachum Philippum, à quibus Phalet Ducem Pruthenorum conuersum esse ad fidem, cum suo fratre Sodrek: Philippum martyrio coronatum esse; Godefridum creatum esse primum huius regionis Episcopum: Ad hæc in Liuonia Bertholdum secundum Episcopum sanguinem pro fide fudisse, eique Albertum Bremensem Clericum successisse. Hoc denique anno scribit constitutos ordines duos SS. Dominici & Francisci Prædicatotum, & Minorum: huius S. Franciscum authorem extitisse; illius S. Dominicum Hispanum, & Fratrem Reginaldum Aurelianensem S. Aniani Cantorem; *primò domum Tholosæ habuisse; deinde indidem eiectos* venisse Bononiam in Italiam, & in templo S. Nicolai congregationem fecisse: *Parisiis autem datum eis hospitium S. Iacobi.* hæc Albericus Monachus Trium fontium Catalaunensis, vt quidam putant.

Anno MCCVIII. Philippus Germaniæ Rex, vt scribit Othо de Sancto Blasio Bambergæ interfectus est 23. Iunij per Othonem Comitem Witelz-pachium molestissimè ferentem, quod vnam ei ex filiabus suis sponsam dare recusasset. Addit Albericus hunc Wichelebachium fuisse Comitem Ducis Bauariæ, & Imperatorem cæsum esse in vigilia Sancti Ioannis Baptistæ, primâ die suæ vnctionis; innuítque hoc permisisse Deum, quod hic Philippus iussisset, aut passus esset Conradum Episcopum Herbipolitanum interfici, & ante eius mortem visum Cometam. Denique huius mortis suspectum Engelbertum Episcopum Bambergensem depositum esse Romæ ab Innocentio, sed posteà esse restitutum; Reginam autem vxorem Philippi ex dolore mense Decembri obiisse. Hæc Albericus vtrique accinit Monachus Antissiodorensis, qui Philippi cædi adiungit *mortem Odonis Episcopi Parisiensis, quem impensè laudat, & inter cæteras eius virtutes commendat quod in beneficiis Ecclesiasticis conferendis, non ad genus, non ad munus, non ad preces, sed ad mores scientiámque respiceret:* quæ confirmat Albericus apud quem præclarum eius Epitaphium leges. Addit præterea Robertus *hunc Odonem expeditionis sacræ in Albi-*

Albigenses præcipuum authorem, & incentorem fuisse, quæ Bullis Pontificum per vniuersas Galliæ Prouincias sparsis egregiè promota fuit. Narrare pergit idem Robertus Monachus, quomodo *Philippus in Aquitaniam perrexerit*, ibíque *ditionem Vicecomitis Thoartij desolarit, vt & agrum Sauarici Mauleonis*: vt Anglia subiecta fuerit interdicto, & in quas furias aduersus Ecclesiasticos regni sui princeps Anglus exarserit. *Vt Raymundum Tholosanum Comitem Summus Pontifex sacris Ecclesiæ fulminibus afflauerit, quòd Petrum de Castro-nouo Ordinis Cistertiensis Legatum Sanctæ Sedis interimendum curasset, publicè profiteretur hæresim, & Heterodoxos omni ope foueret.* Id extremum pluribus exequitur Petrus Vallis Sarnensis: Robertus Antissiodorensis *hanc cædem ait contigisse dum hic Petrus de Castro-nouo ex villa S. Ægidij pergeret ad Rhodanum, & percussori immisso per Comitem Tholosanum, dum cæderetur dixisse, Dimittat tibi Deus, sicut & ego dimitto; & post multas demùm orationes in Christo feliciter obdormiuisse: corpus eius in Ecclesiam Sancti Ægidij relatum honorificè esse tumulatum.*

Anno Christi MCCIX. *S. Guillelmus Bituricensis Archiepiscopus inter primos militiæ sacræ dederat nomen, parabátque profectionem in Syriam, sed eum Cælo recipere Deus ipse maluit; obiit enim* 10. *Ianuarij vti vixerat pientissimè.* Laudatur à Roberto S. Mariani: vide quæ de eo habet author tomo 11. Bibliothecæ nouæ pag. 379. & seq. Scribit idem Robertus *mense Maio Trecarum partem maximam deflagrasse; item & Antissiodorense totum pæne forum, in ea parte quâ ædificiis atque diuitiis confertius erat, & insignius.* Albericus tradit *hoc anno tantam frugum fertilitatem extitisse, vt* 40. *modij siliginis* 40. *solidis vænirent, modius speltæ, id est melioris frumenti,* 15. *denariis distraheretur.* Eodem anno venit in Italiam Otho cum luculento exercitu, & Mediolani in Ecclesia S. Ambrosij coronatus est coronâ ferreâ per Archiepiscopum, quam alij Imperatores Monzæ recipiebant. Romam ingressus est 2. Octobris, & mensis eiusdem 4. die Dominico Imperator à Romano Pontifice coronatus est, *reclamante Philippo Franciæ rege*, vt scribit Albericus, *de quo posteà ipse Pontifex doluit; vt anno* 1211. *eidem Philippo per litteras significauit.* Româ autem egressus Otho promissis ne-

quaquam ſtetit, ſed vſurpauit ac diripuit terras Pontificias; ita Arnoldus Lubecenſis, cuius hiſtoria hîc deſinit. Errant autem qui Robertum Abbatem S. Michaëlis ad annum vſque ſequentem & vixiſſe, & ſcripſiſſe voluerunt. *In die Pentecoſtes Ludouicus Philippi Auguſti filius cingulo militiæ accinctus eſt manu patris Compendij magnâ pompâ, magno conuentu nobilitatis, & regiâ liberalitate*, ſic Albericus. *Cruce-ſignati aduerſus Albigenſes Lugdunum conueniunt circa Solſtitium æſtiuum magno numero, quibus ſe etiam adiunxit Comes Tholoſanus vbi feciſſet Eccleſiæ ſatis, ac vinculis ſacris exſolutus eſſet, peractâ pœnitentiâ. Biterræ primùm captæ 22. Iulij die B. Magdalenæ, vt huic Sanctæ ſatisfieret, quam hi infames hæretici Chriſti concubinam appellabant. Inde Carcaſſona ſe dedere coacta eſt; aliæ item captæ, ac deditæ vrbes plurimæ, latibula Albigenſium. Huius expeditionis ſacræ Dux electus eſt Simon Monfortius, quem perperam Henricus Spondanus, & qui eum ſecuti ſunt, ex regio ſanguine ortum facit, filiúmque Roberti Regis, ſed nothum, cùm Robertus ante ducentos annos obiiſſet: quæ fabula hauſta eſt ex loco malè intellecto Continuatoris Aymoini.* Vide authoris Diatribam ſub finem ſecundi voluminis de Scriptoribus Eccleſiaſticis. De hac expeditione plura leges apud Petrum Monachum Vallis Sarnenſis Ordinis Ciſtercienſis, Robertum Monachum S. Mariani, Guil. Britonem, Albericum Monachum Triumfontium, qui de hoc bello multa habet ſingularia, & alios, apud quos hæc enucleatiùs deſcribuntur.

Anno Chriſti MCCX. aut præcedenti, vt vult Robertus S. Mariani, *Ioannes Briennenſis electus à Philippo Auguſto vt regnum Hieroſolymitanum adminiſtraret Ptolemaïdem appulit die feſto Exaltationis Sanctæ Crucis, duxítque Mariam filiam Conradi Marchionis Montisferrati, & die Dominicâ poſt feſtum S. Michaëlis Tyri coronatus eſt; quod tradit etiam Rigordus.* Innocentius III. Othonem Imperatorem terras Eccleſiæ deuaſtantem, & Siciliæ regnum affectantem, vt rebellem, atque peruicacem deponit in Synodo, & ſententiam ſuam promulgari iubet per Siffridum Archiepiſcopum Moguntinum. Multi Germaniæ Optimates eligunt Fridericum annos ſeptemdecim natum, filium Imperatoris Henrici IV. & Conſtantiæ Siciliæ Reginæ, *id curante Philippo*

Francorum Rege; hæc Abbas Vſpergenſis. *Henricus Imperator Orientis coacto exercitu Græciam luſtrat, reſiſtentes ſibi ſubiicit, ſubiectos recreat; ac fouet, & ditionis ſuæ terminos vndecumque dilatat*, inquit Monachus Antiſſiodorenſis. *Cruceſignati etiam Proceres, & Epiſcopi aduerſus Albigenſes ſuſcipiunt expeditionem, animati Hæreticorum contumaciâ, & promiſſis ſibi à Pontifice Romano Indulgentiis. Ac primùm Minerbium diœceſis Narbonenſis, non longè diſſitum ab vrbe Carcaſſona ad deditionem compellunt: vbi* 180. *dæmonis Martyres eſſe, & comburi, quàm reſipiſcere maluerunt. Raymundus, & Fuxenſis Comes iterum anathemate tanquam Apoſtatæ precelluntur*, ita Robertus Antiſſiodorenſis. *Pariſiis Concilium conuocatur aduerſus hæreticos qui errores ſuos hauſerant ex Amalrico quodam, non ita pridem mortuo, cuius cadauer refoſſum in ſterquilinium abiectum eſt. Capti ſunt numero quatuordecim, quorum aliqui ſacerdotes, & curam animarum habentes, quibus fauorem fecerat apud populum ſpecies honeſtatis, & vitæ grauitas ſuperducta*, inquit idem Robertus S. Mariani. Qui his addit hæc verba, *Librorum quoque Ariſtotelis qui de naturali Philoſophia inſcripti ſunt, & ante paucos annos Pariſius cœperant lectitari, interdicta eſt lectio tribus annis, quia ex ipſis errorum ſemina viderentur exorta.* vbi Labbeus putat legendum eſſe *de ſupernaturali Philoſophia*, id eſt, Metaphyſica, nec eoſdem fuiſſe credit cum iis Ariſtotelis libris, quos habemus ſiue de Phyſica, ſiue de Metaphyſica. Nam hi iampridem Pariſiis legebantur; illi, vt ſcribit Robertus Antiſſiodorenſis, *ante paucos annos Pariſiis cœperant lectitari.* Sed & Rigordus anno præcedenti loquens de multis Scholaſticis Lutetiæ ſtudentibus, & de Amalrico, nato in pago Bennenſi Carnotenſis ditionis, ait *eum hauſiſſe ſuos errores ex libris Metaphyſicæ Ariſtotelis nuper allatis Conſtantinopoli, & ex Græco in Latinum conuerſis.* Idem pæne habet Albericus, *legebantur*, inquit, *libelli quidam ab Ariſtotele, vt dicebantur compoſiti, delati de nouo Conſtantinopoli, & in Latinum tranſlati.* De diſcipulis huius Amalrici, eorum erroribus, detectione, & Concilio Pariſienſi habet multa idem Albericus: Quibus addit mortem Alienardis Comitiſſæ Viromaniæ (id eſt Veromanduorum) abſque liberis: ſed iſta omnia reiicit in annum præcedentem Chriſti 1209.

Anno Christi MCCXI. *Judellus de Meduana* (vulgò Iuhelus) *venit ad Philippum Francorum Regem conquestus de quibusdam, qui ad recipiendos Anglos excitarant munitionem Varplic, quam Rex capi iussit, & dedit huic Iudello seruandam:* sic Albericus. *Deinceps idem author explicat controuersias inter quosdam Episcopos, & Regem, de quibus Papa pronuntiare noluit, quia erant contra Regni Consuetudines:* vbi & narrat *Historiam de nigro Monacho nobili, querente de Milite, quasi omnia eripuisset Monasterio suo; in cuius calceis adstrictioribus Rex lusit ingeniosè, addens ne quidem ei ad calceos satis corij reliquisse. Iterum renouata expeditio in Albigenses à Cruce-signatis, in qua vario euentu certatum, sed tandem Catholici praeualuerunt,* sic Albericus. *Hoc eodem anno*, inquit idem, *Ecclesia Sanctæ Mariæ Remensis combusta est, sed intra viginti annos mirabili industriâ reparata. Item tum terminata est Causa Dolensis, & Turonensis Episcoporum: hic illi offerebat vnum Episcopum, & gradum Archiepiscopalem; sed recusauit Dolensis, & omnibus Armoricæ Episcopis præesse voluit. Tandem à Turonensi pronuntiauit Innocentius, dixitque Dolensi;* de Dola es, & in perpetuum dolebis; *sed hic deposuit Episcopatum; eum tamen posteà Innocentius in Tuscia fecit Episcopum.* Fridericus Iunior Romam venit, inde Constantiam transit, vbi eius hostis Otho multum suæ authoritatis amiserat, Vspergensis & Rigordus. *Raymundus Comes Tholosanus, iterum excommunicatus, appetitur bello à Simone Monfortio, qui & Tholosam obsedit. Verùm deficientibus copiis obsidionem hic soluere compellitur, & vicissim in Arce Castro-nouo obsidetur à centum millibus armatorum. At Simon, mirabili victoriâ de Rogerio Comite Fuxensi relatâ, ab iis se expediit cum paucis suorum, nouisque auctus copiis, & Jacobo Vitriaco (qui suis concionibus egregiam ei nauauit operam) Raymundum omni suâ ditione spoliauit, præter Tholosam, & Montem-Albanum, & miserum exulem ad Regem Arragonium fugere compulit.* Quæ pluribus narrantur à Petro Vallis Sarnensis monacho Cistertiensi, & aliis qui de hoc bello sacro scripsere. Obiit hoc anno Sancius Rex Portugalliæ, cui successit primogenitus Alphonsus, cognomento Crassus. *Ferrandus iunior eius filius duxit vxorem Ioannam Comitissam Flandriæ, filiam Balduini Imperatoris Constantinopolitani, adnitente Philippo*

Rege Francorum, vt tradit Continuator Chronici Roberti Antissiodorensis monachi S Mariani; qui & addit *Materteram Ferrandi, vt dicebatur, apud Regem Francorum has nuptias pecuniis procurasse. Reginaldus Dammartinus Boloniæ maritimæ Comes ex Ida vxore sua, deficit à Philippo, & transit ad Othonem, & Anglum, vt cum iis aduersus dominum suum fœdus iniret.* Quo anno clausit Chronicon suum Robertus monachus S. Mariani Antissiodorensis, Ordinis Præmonstratensis, *qui virgo anno sequenti obiit*, vt docet eius Continuator, apud quem leges eius elogium illustre: Quæ in annum sequentem reiicienda essent: sed in hunc annum à P. Labbeo congesta disiungere noluimus. Perductum est autem ChroniconRoberti ad annum Christi 1223. sed interruptum, & opus vtrumque editum est à Nicolao Camusæo Tricassino, cui debemus hoc opus, illustre historiæ monumentum.

Anno Christi MCCXII. Fridericus II. Apulus cognomento, filius Henrici Imperatoris, & Constantiæ Reginæ Apuliæ) vt loquitur Continuator Roberti Antissiodorensis) ab Innocentio missus ad Archiepiscopum Moguntinum, ab eo, & aliis tam Episcopis, quàm Principibus electus est 8. Decembris Rex Romanorum (alij id factum volunt Norimbergæ) & coronatus Aquisgrani per Theodoricum Archiepiscopum Coloniensem 25. Iulij anni sequentis, quando & tesseram crucis ad expeditionem sacram accepit. Continuator tamen Roberti hanc coronam regni Teutonici accepisse tradit in festo B. Nicolai, huius anni. *Tunc autem conuenere Ludouicus Philippi Regis filius, & Fridericus apud Castrum Vallis-coloris in Lotharingia, vt inter se fœdus inirent, & Othonem deprimerent*, quæ confirmantur ab Abbate Vspergensi, atque Trithemio. Æræ Hispanicæ anno 1250. qui in hunc annum Christi 1212. cadit Mahamedes cognomine Viridis Rex Marocci (Continuator Roberti Ducem huius expeditionis facit, Albericus Mammelinum appellat, id est *Regem Regum*) victus est ad Marianos montes (Hispani Sierra Morena vocant) ab Alphonso Paruo Castellæ Rege cui Reges Aragonum, & Nauarræ, *Francique multi suppetias tulere.* Cæsa sunt Saracenorum centum millia, desiderati sunt tantùm 25. aut ad summum 30.

Christiani. Numerabantur in Saracenorum exercitu equitum centum octoginta sex millia, peditum copiæ numerari non poterant ex captiuorum relatione. Asseruit Alphonsus Rex victor Innocentio Pontifici, cùm post prælium moratus esset in castris Saracenorum, Christianos non aliis lignis vsos esse ad coquendos cibos, quàm sagittis, & lanceis, neque tamen dimidiam partem absumpsisse; & cùm ex cibariis, equis, & spoliis victores, quantùm voluisset quisque, cepissent, plus tamen reliquisse, quàm extulisse: hæc accuratè Continuator Roberti. Addit & post paucos dies vrbem Vbedam (quam Ybede appellat) ab iisdem Christianis expugnatam esse, & in ea periisse sexaginta millia Saracenorum; vide Rodericum Toletanum Archiepiscopum (qui huic bello interfuit) Rigordum, Albericum, & alios. Addit his Albericus *hoc bellum triumphale præcessisse signum mirabile. Nam 13. Kal. Maij, die Dominicâ Lunâ 15. cùm fierent Litaniæ, & preces in Gallia pro Christianis pugnaturis in Hispania, visus est Sol in anteriorem partem reuerti, & salire modò rubrum, modò Hyacinthinum*, apud quem & aliqua de hoc bello satis exquisita reperies. 3. Maij die Ascensionis Christi Domini, qui hoc anno incidit in diem Inuentionis Sanctæ Crucis Henricus Dux Brabantinus (Albericus vocat Ducem Louanij) iratus Episcopo, immò & B. Lamberto Leodium vrbem occupauit, & totis diebus sex militi suo diripiendam dedit, quando nec parcitum Ecclesiis. *Hic Helinandus monachus Fontis-Frigidi (de Fonfroy) in Picardia scribere, & , vt plerique putant, viuere desiit. Simon Monfortius multas, & præclaras Constitutiones Apamiis promulgandas curauit*, quas Tilletus Scriba, & Catellus typis mandandas curarunt. *Robertus Corceonus Legatus Apostolicus Parisiis Concilium indixit. Quo etiam anno contigit expeditio puerorum in Gallia tam periculosè, quàm inconsultè suscepta, qui numero triginta millium Massiliam peruenerunt, in Palæstinam transituri. Susceperunt eos transuehendos, Rectores duo nauium Massilienses Hugo Ferreus, & Guillelmus Porcus; Qui ex iis impleuerunt septem naues. Duæ statim in mari perierunt; reliquas quinque, Nauarchæ proditores Bugiam & Alexandriam perduxerunt, & hos pueros Saracenis vendiderunt.* Sic Albericus qui de his pueris, & Calipha

Saraceno, quibus aliqui venditi sunt, aliqua satis curiosa narrat. Hoc eodem anno *exortus est nouus Ordo Vallis Scholarium in Diœcesi Lingonensi, per quemdam Guill. Anglicum, & F. Ricardum de Nancaio cooperante illis Guillelmo Episcopo Lingonensi. Viuebant hi Religiosi sub Regula Sancti Augustini.* His addit idem Albericus alium Ordinem eiusdem Regulæ cœptum in Diœcesi Spirensi in Alsatia 1203. per S. Alexandrum Archiepiscopum Magdeburgensem, posteà Eremitam. Hic Ordo approbatus fuit ab Innocentio, Fundator in Sanctorum album relatus ab Honorio. *Prætereà alius Ordo dictus de Valle Caulium, formatus ante annos quindecim tunc innotuit; sed paucos habuit sectatores, quod esset vitæ districtioris*, quæ omnia ex Alberici Chronico didici.

Anno Christi MCCXIII. mortuus est Philippus Namurcensis Comes, frater Balduini Imperatoris Constantinopolitani, cum tanto pietatis, & contritionis sensu, vt post obitum patrare miracula meruerit: eius pœnitentia pluribus describitur ab Alberico. *Ferrandus Flandriæ Comes coniurat cum vicinis Principibus in Philippum Augustum, quod hic suspicatus Concilium Procerum conuocat Suessionas, in quo agitur de bello in Angliam transferendo, quo euocabatur ab Anglis Proceribus & Clero, Regem suum Ioannem odio capitali prosequentibus. Assensi sunt omnes præter Ferrandum, qui negauit se auxilio futurum Philippo nisi redderet S. Audomari fanum & Ariam, castra paulò antè sibi erepta. Obtulit ei Rex permutationem, quam ille recusauit, & fugit ad Regis hostes;* sic Albericus. *Idem Philippus accepit vxorem suam Ingelbergam, & admisit in thorum, à qua seiunctus fuerat annis vndeviginti*, vt scribit Continuator Roberti, *septemdecim*, vt Albericus tradit, *plaudentibus Gallis omnibus, qui id vnum in Principe suo desiderabant:* Continuator Roberti ait, *Ingelbergam toto hoc tempore apud Stampas tenui victu, & arctâ custodiâ dies suos traduxisse. Philippus autem ad vrbem Damum in Flandria magnam nauium multitudinem congregarat; mille septingentas fuisse*, tradit Albericus. *Anglus igitur missis peritis naualis prælij viris, adiutus Ferrando Flandriæ, & Reginaldo Boloniæ Comitibus, rebellibus in Principem suum, sine multo conflictu totam hanc classem dissipauit: & tandem post varia certamina, semel septingentas naues*

abduxit. Quo audito Philippus cum copiis in Flandriam redit, multas vrbes cepit, reliquam suam Classem incendit. Simul cum Damo, quia huius loci ciues hosti fauisse videbantur. Verùm vbi Rex recessit cum obsidibus, rediit Ferrandus, & adiutus copiis, & pecuniâ Anglorum Flandriam suam recuperauit; hæc Roberti Continuator, Rigordus, & alij. Eodem anno Mediolanenses appetiere bello Cremonenses, in odium Friderici: sed hi fortiter repugnarunt, illósque vicerunt, capto etiam eorum Caroccio. Iidem quoque Mediolanenses vexauere Papienses, sed illi quoque deuicti ostenderunt, raò ab his stare victoriam, qui hæreticis, & excommunicatis fauent, quales tum fuisse Mediolanenses nemo potest ambigere, Appendix Roberti, Albericus, & alij. Pontifex Innocentius in omnem partem litteras dirigit de Concilio Romæ congregando: Item & alias de expeditione in Palæstinam, quibus innuit imminere desolationem Imperij Sarracenici, siquidem ex S. Ioannis Apocalypsi id intra 640. annos claudi debeat ex quibus iam pæne sexcenti excurrerant; & verò hic erat annus 607. ab Ægira, seu Alhegira, vt vocat Albericus, ex quo hæc deprompta sunt. Ioannes Anglus videns res suas deploratas ex suorum rebellione, & odio, cum Summo Pontifice in gratiam rediit. Missus est ad eum à Pontifice Pandulphus Subdiaconus Cardinalis, cui 13. Maij coronam sibi de capite detractam tradidit, Stephanum Archiepiscopum Cantuariensem Sedi suæ restituit, sicut & omnes Clericos, & Monachos, quibus etiam bona se redditurum promisit. Mille quoque marcas argenti pollicitus est Sanctæ Sedi 700. pro Anglia, 300. pro Hibernia, quam excommunicationis suæ tempore subegerat, hoc pacto se professus Sanctæ Sedis vectigalem; hæc Matthæus Parisius, Westmonasteriensis, Continuator Roberti, Albericus, & alij. Addit Parisius miserandum hunc Ioannem cogitasse offerre se vectigalem Miramolino, amplectíque Mahumetanam superstitionem, si res suas depositas restitueret: Quod tamen alij constanter negant, licèt eum fuisse impurum, crudelem, sceleratissimum nemo non fateatur. *Pugnabatur intereà animosè à Simone Monfortio, & Cruce-signatis aduersus Albigenses: sed Comitibus Tholosano, atque Fuxensi, & Vicecomiti Benebarniæ*

adfuit auxiliator Petrus Rex Aragonum, qui aduersus Saracenos quindecim bella confecerat, & sororem Comitis Tholosani duxerat vxorem. Ab iis obsessus est Simon Monfortius in oppidulo Murello ad Garumnam tribus supra Tholosam leucis: Qui licèt vix è suis 800. *enumeraret, aduersus centum, aut vt alij volunt ducenta millia conflixit, audito priùs sacro, & hostibus per septem Episcopos, quos secum habebat* excommunicatis. *Sic nobilem retulit victoriam de tot hostibus* 12. *Septemb. in qua periit Rex Aragonius cum suorum quindecim, vel viginti millibus. Sepultus est tamen Christiano more, quia ei datum erat à Pontifice priuilegium, ne à quoquam Episcopo posset excommunicari.* Successit ei filius Iacobus sexcennis, captus in hoc bello, & reddi iussus suis Aragoniis à Pontifice. *In hoc quoque prælio quindecim millia Tholosatium periere: ex Crucesignatis vnus tantùm miles cecidit cum paucis aliis,* ait Roberti Continuator, vt Albericus, *octo tantum peregrini: Qui hoc loco addit Simonem Monfortium deinceps Comitem Fortem dictum, omni die Missam, omnes Horas canonicas audiuisse, semper in armis, semper in periculo, spretâ pro Dei seruitio patriâ, fuisse; dedisse Balduino fratri Comitis Tholosani, qui in eo prælio se fortissimè gesserat quidquid acquisitum fuerat in ditione Cadurcensi;* Hæc ex Appendice Roberti Antissiodorensis, Alberico, Petro Vallis Sarnensis, Guil. Britone, de Podio Laurentij, & aliis. Apud Ogniacum *Ognies* supra Sambriam, Latinè Sabim obiit B. Maria, ab hoc loco dicta Ogniacensis, cuius vitam scripsit Iacobus de Vitriaco. Eodem denique anno Regina Hungariæ Gertrudis vxor Regis Andreæ Regis Hungariæ conspiratione Baronum, & Procerum interfecta est. Ioannes Strigoniensis Archiepiscopus accusatus huius cædis litteris amphibologicis, & quæ in contrarios sensus trahi poterant, absolutus est à Pontifice, Albericus monachus Triumfontium. Apud quem Hugo Leodiensis Episcopus de Duce Louanij, & Brabantinis per B. Laurentium triumphauit in vigilia S. Calixti Papæ, duobus millibus, & ducentis cæsis, & captis quinque millibus in loco, qui dicitur *Custodia,* seu *Guardia de Stopes.*

Anno Christi M C C X I V. Petrus Antissiodorensis Curtenæus per vxorem suam Yolandam fit Comes Namurcensis; hæc erat soror Philippi Comitis defuncti, Al-

bericus. Gualterus Patriarcha Hierosolymitanus à quodam Christiano occiditur cultro, cui successit Radulphus Episcopus Sareptæ, idem Albericus. *Simon Monfortius filio suo Almarico dat vxorem filiam Delphini Viennensis, & Hæreticos vbique malè mulctat*, Petrus Vallis Sarnensis, & alij. *Aduersus Philippum Augustum Otho, Ferrandus Flander, Guillelmus Comes Sarisberiensis, Reginaldus Comes Bononiensis, aliíque fœdere iuncti mouent: eis obuiam Rex progreditur maiori animo quàm exercitu. Erat cum eo Guarinus ex Hospitalario electus Episcopus Syluanectensis, bellator egregius, aliique viri fortes, bellique scientissimi: Venit Rex ad Pontem Bouinensem, vbi eum est assecutus Otho cum suis fœderatis. Pugnatum vtrímque atrocissimè: Philippus excussus est equo, & protritus ab equitibus, tantùm non est cæsus: Ferrandus & Reginaldus capti, Otho victus turpissimè fugit. Reginaldus inclusus est Peronæ, & vinctus sæuissimè; triumphatus & vinctus Ferrandus Parisios vidit, vt impleretur dæmonis dictum eius Amitæ, fore vt Rex pedibus equorum conculcaretur, ipse post victoriam Parisios videret: vbi ei à plebe turpiter illusum est in equis ferruginei coloris à quibus trahebatur in curru, eius nomini respondentibus. Intereà Ioannes sine terra Rex Anglus appulsus in Aquitaniam Andegauos vexabat, quorum & præcipuam vrbem cepit, & aliquot alias vrbes; verùm adueniente Ludouico Philippi filio, qui Cainoni substiterat, vt copias pararet, turpiter fugit, relictâ supellectile, & suorum multis amissis; sícque recepta sunt à Ludouico omnia loca occupata. His damnis territus Ioannes, numeratâ grandi pecuniâ inducias quinquennales cum Philippo fecit, vt rediret in Angliam factionibus suorum valdè turbatam.* Obsistebant enim ei Episcopi, & Clerici, nec solui patiebantur anathema, donec Ioannes vltimum eis quadrantem de raptis Ecclesiæ bonis persoluisset. Quod tamen composuit Innocentius, statuítque vt Ioannes intra quinquennium faceret satis Ecclesiis; sic omninò Rex est solutus ab anathemate, Regnum ab interdicto, quod sex annis, mensibus tribus, & diebus quatuordecim tenuerat, hæc omnia ex Rigordo, Alberico, Guil. Britone, & aliis. *Philippus vt gratias haberet Deo de tanta victoria Abbatiam Victoriæ dictam, prope Syluanectum excitauit tantæ Victoriæ nobile monimentum vt notant idem Scriptores. In Francia Proceres*

qui saltem occultè defecerant à Rege, eidem sunt reconciliati, Albericus. *In Albigensium terra Archiepiscopus Narbonensis Arnaldus, cum Simone Monfortio de quodam principatu disceptauit, vsque adeò, vt Comitem desereret, immo & Tholosanum Comitem exulem reuocaret ex Anglia; qui susceptus à suis Tholosatibus, fratrem suum Balduinum interemit, & Montalbani suspendit ex patibulo, martyrio coronatum. Inter hæc venit senior Guillelmus de Barris ex Francia, cum ducentis Cruciferis peregrinis, à quibus pugnatum fortiter aduersus Narbonenses, qui & iis cedere sunt compulsi*, idem Albericus. Hoc anno Scotiæ Rex Guillelmus obiit natus annos 74. cùm regnasset annis 49. cui successit filius Alexander, Buchananus. Albericus tamen eius mortem in annum sequentem reiicit, & sanctum virum vocat. Obiit & Alphonsus Rex Castellæ 6. Octobris annos natus duodesexaginta, regni sui 54. Æræ Hispanicæ 1252. Mariana, & alij. Siciliæ Rex Fridericus Apulus, qui in partibus Suabiæ morabatur, auditâ clade Othonis ad Bouinas, venit cum luculento exercitu Aquisgranum, vt cùm hîc coronatus esset Romam pergeret, & Imperatorium diadema reciperet; sed multis diebus frustrà vrbe obsessâ, cum grandi damno sua repetere compulsus est, Continuator Roberti S. Mariani.

Anno Christi MCCXV. In Liuonia quidam Martyrium passi sunt, Albericus. *Ecclipsis Lunæ generalis contigit* 17. *Martij*, Appendix Roberti; quam tamen Albericus *in annum sequentem reiicit, & diem Martij ante festum S. Gregorij* (id est, 11. Martij) *& durasse à galli cantu ad Solis exortum*. Angliæ regni Proceres in suum Regem Ioannem insurrexerunt, quibus sunt permixti plebs & rusticani, multæque ciuitates. Ad eum iuuandum cùm nauigarent multi nobiles Flandri, atque Brabantij, magnis pollicitationibus à Rege euocati, naufragium passi hausti sunt fluctibus mense Septembri; qui casus conspirationem Anglorum promouit. *Sed iidem Angli veriti, ne Rex suus aliquando præualeret, Ludouicum Philippi Franciæ Regis primogenitum euocarunt, cui & regnum polliciti sunt. Hic acceptis obsidibus misit eis auxilia, quæ appulerunt circa festum S. Andreæ, per quæ occupatum Londinum, aliæque multæ ciuitates se sponte dediderunt*; ita Continuator Roberti, Parisius, & Albericus,

apud quem causæ huius belli accuratiùs proponuntur, vt & perfidia, & insania huius miseri Regis describitur. Addit tamen *milites à Ludouico in Angliam missos esse, dissentiente penitùs patre Philippo.* Hoc anno in Paschate ciues Colonienses Othonem, etiam datis sexcentis marcis argenti, & remissis nominibus ab vrbe sua cum vxore filia Ducis Brabantiæ dimiserunt: dum Fridericus eius æmulus aliquot castra vi capiebat, inter cætera Verdam munitissimam arcem, in qua Otho captiuos suos detinebat, quos omnes ad sua Fridericus remisit. Quare Aquisgranum accedens, vnde anteà repulsus erat, hîc honorificè susceptus est, & coronatus per Siffridum Archiepiscopum Moguntinum, & Legatum Sanctæ Sedis 25. Iulij, vt scribit Continuator Roberti Antissiodorensis, vel 22. die festo S Magdalenæ, vt Albericus. Eodem die, vel sequenti, Fridericus Crucem militiæ sacræ tesseram accepit, Continuator Roberti, Albericus, Trithemius, & alij. *Concilium Biturigibus conuocatum per Robertum S. Stephani Cardinalem de Monte Cælio discussum est appellatione ad Innocentium. Hic Robertus Gallis exosus erat propter excessus, & temeritatem suam. Quare in Concilio Generali ab Episcopis Franciæ confusus est vehementissimè, & Pontifex à Prælatis Franciæ petiit sibi errores eius relaxari*, sic Roberti Continuator. *At celebratum est Concilium Montis-pessulani quinque Archiepiscoporum, 28. Episcoporum, cum Petro Cardinali Legato, in quo ditio Comitis Tholosani concessa est Simoni Monfortio, eiúsque successoribus*, Petrus Vallis Sarnensis. Innocentius III. præfuit Lateranensi IV. Concilio, inchoato XI. Nouembris, cui interfuere Patriarchæ Constantinopolitanus, & Hierosolymitanus, plusquàm 400. Episcopi, plusquàm 800. quâ Abbates, quâ Priores, Legati Patriarcharum Antiocheni, & Alexandrini, sicut & Legati Imperatoris Constantinopolitani, Regis Romanorum, Philippi Regis Franciæ, Aragonum, Angliæ, Hungariæ, Hierosolymæ, Cypri, & aliorum Regum. Quæ acta sunt in hoc Concilio describuntur fusè ab Alberico monacho Triumfontium.

Anno Christi MCCXVI. *Simon Monfortius circa Kalendas Maij Parisios venit, vbique exceptus per Ciuitates & Castella, cum magno sensu pietatis. Venit autem petiturus auxi-*

lia aduersus Aragonios, Petri Regis sui in acie vltores, & compositurus aliqua negotia sua ob mortem matris suæ Amiciæ demortuæ. Existimat Petrus de Valle Sarnensi *eò venisse maximè vt agnosceret dominum Regem Philippum Franciæ ob terras hæreticis ereptas, atque ipsi etiam à Concilio Lateranensi adiudicatas. Inde paulò pòst decessit, 120. secum milites ex Francia deducens*, Continuator Roberti. Scribit Albericus *eundem Monfortium conatum esse componere dissidium inter Ioannem, & Ludouicum, immò innuit in Angliam traiecisse.* Quæ autem posteà fecerit, dicentur anno sequenti; licèt ea P. Labbeus in suo Compendio, hæc in hunc annum coniecerit. *Simon Monfortius in Aquitaniam redux Raymundum Comitem Tholosanum expulit, & muros vrbis Tholosæ disiecit, quam veternosus hæreticus iste occupare molitus erat*, Petrus de Valle Sarnensi *Innocentius III. Papa mittit in Franciam Gualonem S. Martini Presbyterum Cardinalem, vt dissuaderet Ludouico, eiúsque patri Philippo transitum in Angliam, interminatus excommunicationem iam in Concilio Lateranensi latam aduersus eos qui Regi Angliæ Sanctæ Sedis Clientelari aduersarentur, sed his monitis non acquieuit Ludouicus; quare tam ipse, quàm Consiliarij eius aliqui excommunicati sunt. Philippus dictus Cardinalis acquieuit, terrásque filij sui, & Procerum eius Comitum suo fisco addixit, pollicitus se plura facturum si id Ecclesia statueret*, Roberti Antissiodorensis Continuator *Ludouicus intereà transit in Angliam, & appellit ad Insulam Tanethum 21. Maij die post Ascensionem Domini;* (in Pentecoste ait Albericus) *Ioannes in littore cum multis copiis ineptè insultans Ludouico, dum ventum est ad manus, & fit excensio, de more turpiter fugit. Venit ergo Londinum Ludouicus, vbi receptus est à Rege Scotiæ & Anglis Proceribus honorificè: Inde progressus Dubrim, seu Doueram obsidet*, Roberti Continuator, Albericus, Parisius, & alij. *Innocentius audito transitu Ludouici in Angliam, multa in concione ad Clerum, & populum aduersus Philippum, & Ludouicum dixit, & solemni ritu Ludouicum, eiúsque fautores excommunicauit. Parabat idem in Philippum, & Interdictum in eius Regnum:* sed incidit in tertianam febrem, ex eâ in acutam; in quibus dum de more affatim comedit, paralysi demùm percussus, denique in lethargum prolapsus viuere desiit Perusij 16. Iulij, cùm sedisset annis 18. men-

ſibus 6. & diebus 9. Albericus Idibus Iulij mortuum ſcribit; Continuator Roberti 17. Kalend. Auguſti, id eſt, 16. Iulij, verùm ei dat non ſex menſes, ſed quinque, & dies quatuor, eúmque vocat litteraturâ clariſſimum, & facundiæ ſingularis. Succeſſit ei Cinchius (Alberico Centius maior Romanus) SS. Petri, & Pauli Preſbyter Cardinalis, dictus Honorius III. poſt paucos dies, id eſt, 17. Iulij, & coronatus 24. eiuſdem menſis, Continuator Roberti, Albericus, & alij. *Eodem anno conuocatum eſt Concilium Melodunenſe, in quo conſpirantibus omnibus Præſulibus conclamatum eſt Philippum erroris filij ſui participem non eſſe, nec ipſi intentatas à Pontifice minas eſſe reformidandas, Excommunicationes*, Albericus. Mortuus eſt etiam hoc anno Ioannes Rex Anglus, cognominatus *ſine Terra*, ex nimio eſu malorum Perſicorum, nocte inter 18. & 19. Octobris intercurrente, cùm regnaſſet ſupra annos duodeuiginti, relicto hærede filio Henrico nouenni, qui 28. eiuſdem menſis coronatus eſt Gloceſtriæ. Hunc ſtatim Angli paternæ tyrannidis obliti Regem agnouerunt, *& ſenſim defecerunt à Ludouicò, quem tantùm Ioanni, non Regi oppoſuerant*, Pariſius, & alij. *Pares Franciæ Melodunum conuocati litem terminarunt inter Erardum Briennenſem, ob vxorem ſuam, & Blancam Comitiſſam Campaniæ. Mortuus erat* XI. *Iunij Henricus Conſtantinopolitanus Imperator, cùm præfuiſſet Imperio Orientali annis* 10. *menſibus* 9. *ac diebus* 22. *cui ſucceſſit Petrus Curtenæus Comes Antiſſiodorenſis ob Yolandam vxorem*, ſic Acropolita, Albericus, & alij.

Anno Chriſti MCCXVII. *Ludouicus Philippi Auguſti filius, reuerſus in Franciam, inde iterùm redit in Angliam, cum multis copiis, & Doueram obſidet. Verùm Gualo Cardinalis congregato Anglorum exercitu, Lincolniam viciſſim, quæ partes Ludouici tuebatur, obſidet. Ludouicus vt ſuppetias ferat vrbi obſeſſæ, mittit eò Robertum Gualteri filium, Thomam Comitem Pertici, & Simeonem Piſſiniacum, cum Anglis ſuis fautoribus. Sed in certamine cæſus Thomas, captus Robertus, Simeon ignominiæ plenus rediit. Itaque Ludouicus obſidionem Doueræ ſoluit, Machinas ſuas incendit, & Londinum reuertitur. His acceptis nobiles quidam Franci ſuppetias ei ferre moliuntur; at nauali certamine victi ſunt, plerique decollati. Contigit hæc clades circa Octauas Aſſumptionis. Quare Ludouicus videns etiam vrbem*

Londinum premi fame, circa festum Exaltationis Sanctæ Crucis de pace cum Cardinali egit, quindecim millia marcarum argenti recepit, absolutus est à censuris, sicque in Franciam rediit. Continuator Roberti Antissiodorensis, Albericus, Parisius, & alij. *Petrus Curtenæus cum vxore sua Yolanda coronatus est Jmperator Constantinopolitanus ab Honorio Pontifice in Ecclesia S. Laurentij extra muros, Nonis Aprilis die Dominico Misericordiâ Domini. Post nouem dies itineri se committit, Brundusio mittit vxorem suam, & quatuor filias, familiámque suam vniuersam, qui omnes fœliciter Constantinopolim appulerunt. Jpse Imperator cum Ioanne de Columna Presbytero Cardinali Rom. Sedis Legato, 160. Militibus, & quinque millibus tam equitum, quàm peditum seruientium eleganter instructis, Venetiis soluit, mare Superum traiicit, & Dyrrachium obsidet. At obsidionem deserit delusus à Theodoro Comneno Dyrrachinæ vrbis Principe, qui ei pollicitus duces, & cibaria ad iter Constantinopolitanum, incautum fefellit, & in summas redegit angustias. Quare, suadente Legato fœdus iniit cum hoc proditore, arma deposuit, & omnia tradidit hosti: illico datur in vincula, & paulò pòst interimitur, cæteri omnes spoliati carceribus includuntur. Yolanda rexit Imperium quoad vixit, hoc est, ad annum Christi 1220. quo obiit.* Continuator Roberti, Acropolita, Albericus, & alij. Andreas Rex Hungarus, Leopoldus Austriæ Dux, Otho Dux Morauiæ, aliíque, etiam Episcopi in Palæstinam proficiscuntur, nullo alio operæ pretio, quàm vt elutis in Iordane corporibus meliores peregrini, quàm milites esse viderentur, Iacobus de Vitriaco, Parisius, & alij; vnde Blondi, & Bonfinij mendacia coarguuntur. Henricus Castiliæ Rex puer dum ludit cum æqualibus in Palatio Episcopi Pallentini tegulâ desuper lapsâ interfectus est 6. Iunij. *Succedere debuerat ei Blanca soror, Sancti Ludouici mater, vxor Ludouici VIII. sed huic anteposita est secundo-genita Berengaria* vxor Alphonsi Regis Legionensis, quæ cessit reggnum filio suo Ferdinando III. fremente vti ferunt patre, & hoc regnum sibi adiudicari postulante. Alphonsus autem Decimus, filius fuit huius Ferdinandi, Rodericus Toletanus, Mariana, & alij. *Cruce-signati Franci, Angli, Flandri, dum ad Lusitaniam nauigant, factâ exscensione Christianis indigenis auxiliantur, & Alcasarem à Sale capiunt: Com-*

mißóque prælio 20. Septembris sexaginta millia Saracenorum cædunt, Vitriaco, Parisius, Albericus, *sed hîc interfecta esse tantùm 45. millia tradit, & huius expeditionis Duces nominat Albericum Rhemensem Archiepiscopum*, Guil. Comitem Hollandiæ, & Georgium Comitem de Veda, fratrésque militiæ de Calatraua, & de Spada egregiè pugnasse, & hanc cladem ad Olysipponem acceptam esse. *Eo denique anno venit in Franciam vxor Simonis Monfortij auxilium à Philippo petitura marito suo. Sic enim vrgebatur à Comite Tholosano, & Aragoniis, vt perditis quibusdam castris, ipsâque vrbe Tholosâ, vix spem haberet reliquæ ditionis retinendæ, nisi celeriter ei subueniretur*, Appendix Roberti S. Mariani. Qui hîc addit, *turres Ecclesiæ S. Stephani Antissiodorensis, sine alicuius læsione cecidisse horâ nonâ Dominicâ Aduentum præcedente. Denique eodem anno ventum adeò validum perflasse, vt multas Ecclesias, & domos euerterit, & infinitas arbores euulserit.*

Anno Christi MCCXVIII. Ecclipsis Lunæ contigit hoc anno 9. Iulij. In Campania apud Ionauillam bellum concitatum est per Errardum rapinis, direptionibus, incendiis, sed auditâ Othonis Imperatoris morte, dissipati sunt huius Errardi conatus cum eius copiis, Albericus. Enimuerò mortuus est hoc anno Otho quondam Imperator, nunc desertus ab omnibus, in castro suo Brunsuicensi, verè pœnitens, & postulatâ præteritorum veniâ, & maximè excommunicationis, quâ fuerat innodatus. Vspergensis, Godefridus, Albericus, Continuator Roberti, *&c. S. Guillelmus Archiepiscopus Bituricensis mortuus anno 1209. tot edidit miracula, vt post annos decem in Sanctorum numerum referretur*, Appendix Roberti S. Mariani. *Obiit & hoc anno sequenti die festum S. Ioannis, nobilis ille Simon Monfortius verè Malleus hæreticorum Albigensium, percussus lapide in capite, & quinque sagittis confixus, dictus Comes Fortis, immò & Martyr, sanguine pro Religione fuso; cui successit filius Amalricus, bonorum patris hæres, non eximiæ fortitudinis, atque constantiæ*, Petrus Vallis Sarnensis, Appendix Roberti, Guil. de Podio, Rigordus, & alij. *Mense Octobri vineæ, & infinitæ arbores gelu, licèt modico, ita sunt exustæ, vt nihil vnquam simile aut vidisse, aut audiuisse omnes assererent*, Continuator Roberti. Sed Albericus *tempus non notans*, ait, *hoc anno racemos*

cemos congelatos esse, Sequanam, & Ligerim glacie concretos, peruios esse factos. Hoc anno magnus factus est Christianorum Cruce-signatorum in Palæstinam concursus. Túmque Heruæus Comes Niuernensis cum multo nobilium comitatu, circa festum Apostolorum Simonis & Iudæ applicat Damiatam, quæ à Christianis obsidetur: ac primò firmissima turris in medio Nilo fortiter, sed ægerrimè occupata est. Vnde tantùm mœroris hausit Sephadinus, Saladini frater, vt ex illo interierit. Posteà Christiani sæpè cum Meledino Babyloniæ Sultano, filio Sephadini, depugnarunt. Tum quoque Nilus iuxta morem intumescens, & fluctibus marinis refluentibus permixtus, per triduum eos in discrimen maximum adduxit. Tentati sunt quoque variis morbis, qui precibus videntur esse depulsi, Appendix Roberti, Vitriacus, Albericus, Godefridus, Parisius, & alij. *Mortui sunt hoc anno Archiepiscopus Rhemensis Albericus, apud Romanum Pontificem dum redit ex peregrinatione Hierosolymitana & Ioannes Episcopus Lemouicensis, qui annis 50. & ampliùs suæ præfuerat Ecclesiæ,* Albericus. Frisones (id est Frisij) qui egregiam in Turri ad Damiatam capienda nauarant operam, in patriam suam redierunt, sed in ea aquis absorpti miserabiliter perierunt. Eodem enim mense, vel etiam hebdomade, quâ redierant, contigit illa inundatio, quâ supra centum hominum millia interierunt, destructæ villæ, atque Basilicæ etiam lapideæ, immò & fluctus Coloniam vsque rediisse perhibentur, Albericus. *Orta etiam tum dissentio inter Henricum Comitem Barij, eiúsque nepotem Theobodum Ducem Lotharingiæ, quando Satanagium castrum* (meliùs Satanacum *Stenay*) *ab eo Comite destructum est,* Albericus. *Tum obiit vetus Comitissa Flandriæ, relicta Philippi Comitis, apud Claram-Vallem, iuxta maritum suum sepulta. Obiit & Odo Dux inclytus Burgundiæ Cruce-signatus, qui testamento suo pecuniam, milites, & viros armatos ad sanctam expeditionem suffecit,* idem Albericus. Eo denique anno à Iacobo Rege Aragonum institutus Ordo Sanctæ Mariæ de Mercede pro redimendis Captiuis, operâ Raymundi de Penna-Forti, cuius primus Magister fuit Petrus Nolascus Gallus. Quidam tamen id in annum Christi 1223. reiiciunt.

Anno Christi MCCXIX. *Destructi sunt hoc anno muri Hierosolymitani (quod tamen Continuator Roberti in annum*

præcedentem reiicit) per Coradinum, filium Sephadini, atque ipsa vrbs præter Templum Domini, & Turrim Dauid. De destruendo quoque Christi Sepulchro Saraceni cogitarunt, sed eorum nemo ausus est manum admouere, propter loci reuerentiam; quia Christum magnum Prophetam fuisse putant, & de eo multa præclara dicunt, colúntque in primis Euangelium Lucæ, cuius initium sæpè recitant, Appendix Roberti de S. Mariano. *Multi Christiani milites ex Occidente venerunt in auxilium Cruce-signatorum ad Damiatam, quorum nomina proponit* Albericus. *Ad hanc vrbem cùm atrocissimè vtrimque pugnaretur, immò & Christiani die Decollationis S. Ioannis Baptistæ victi essent, & aliquot viri nobiles capti; iámque de relinquenda obsidione cogitarent, vrbs quasi per miraculum occupata est 22. Nouemb. post viginti duos menses obsidionis.* Albericus ait, *id contigisse 6. Idus Nouembris*, id est, die octauo; *quando intempestæ noctis silentio scalis ad muros admotis, portísque reseratis vrbem nostri subiere, nullo è suis desiderato, vno tantùm leuiter in pede vulnerato sagittâ, qui paulo pòst obiit. Tot interfecti Saraceni, vt etiam ea cædes victoribus displiceret: Admiraldi seruati, vt eorum libertate multi Christiani liberarentur.* Albericus, Oliuarius, Vitriacus, Vspergensis, Appendix Roberti, vita S. Francisci per S. Bonauenturam, & alij. *Antequam Damiata caperetur, offerebat Sultanus Christianis Hierosolymam, & eius Regnum cum Cruce Domini, sed repudiatæ conditiones, ob iustas causas, quas profert* Continuator Roberti. Addit idem Scriptor, *Ioannem Hierosolymorum Regem in prælio ad Damiatam se fortiter gessisse, ereptum esse mirabiliter ex manibus Saracenorum, igne tamen Graio ferè combustum esse. Vrbe Damiatâ captâ Sultanus, combustis suis castris, fugit: miserabilis inuenta est vrbis facies 70. millibus Saracenorum intra nouem menses absumptis; præter tria millia, qui viui capti sunt; inter quos vix centum remanserant, qui possent seruare ciuitatem*, inquit Roberti Continuator. *Eâdem hebdomadâ quâ capta est Damiata, occupatum est Castrum ad mare, vbi fuit antiqua ciuitas Tanis*, Albericus. *Philippus Augustus mense Februario multa de Iudæis constituit, & eorum vsuris compescendis, quæ leges in* Appendice Roberti Antissiodorensis. *Ludouicus filius Philippi cum Cruce-signatis suis Gallis mouet aduersus Tholosates, & Miromandam, seu Marmandam, aut Millemandam in agro Agianensi capit: obsidet*

& Tolosam, sed obsidionem deserere cogitur propter aliquorum, vti creditum est, proditionem. Quare inde hæretici facti audaciores multùm damni Catholicis intulerunt, Appendix Roberti Antissiodorensis, & Albericus, *qui significat proditionem hanc contra Ludouicum excitatam esse, & hunc quidem abiisse, relictis tamen in exercitu Catholicorum* 200. *militibus, cum duobus Pontificis Legatis Bertramno, & Cardinali Presbytero Paulo. Heruæus Leonensis Brito cupiditate occupandæ terræ Sororij sui Moruani Comitis demortui, deserit Damiatam, quem secuti sunt ferè sex millia: sed hi omnes ad Brundusium naufragio periere præter* 80. *qui in tabulis euasere*, Albericus. *Approbati sunt hoc anno Ordines Vallis Scholasticorum, & Vallis Brassicorum des Choux; hic sub Regula Cisterciensi, ille sub Regula S. Augustini*, Vitriacus. Celebratum Concilium Iuuaniense *de Saltzbourg*, ex Sterone. *Denique obiit Theobaldus Dux Lotharingiæ sine liberis, cui successit Matthæus frater, huius nominis secundus.* Albericus *tamen Theobaldi mortem in annum sequentem reiicit.*

Anno Christi MCCXX. *Robertus Aniciensis Episcopus à quodam milite occiditur, quod ab eo excommunicatus esset pro iniuriis irrogatis Ecclesiæ. Affines Episcopi, nobilis huiusce percussoris castra diruerunt, Erat is Episcopus genere nobilis, sed nobilior moribus, & virgo creditur obiisse*, Continuator Roberti. *Guido Comes Bigorriensis, frater Amalrici filij Simonis Monfortij dum obsidet Castrum hæreticorum* (Albericus vocat id *Castrum-nouum) ab iis captus, à filio Comitis Tholosani, seu S. Ægidij, interimitur. Amalricus pollicetur se non recessurum, nisi capto castro, sed destitutus suorum auxilio abire re infectâ compellitur: immò & tum multa castra amisit, hæreticis præualentibus*, idem Continuator Roberti, & Albericus. Tum B. Thomæ martyris corpus à Stephano Cantuariensi Archiepiscopo, mense Iulio, repositum est in loculo deaurato, & mirabili opere confecto, anno ab eius obitu 50. Continuator Roberti, & Albericus. Henricus Angliæ Rex 17. Maij coronatur Westmonasterij die Pentecostes, Parisius, & alij. Fridericus II. venit in Italiam, & per manum validam Pontificem introduxit Romam, vnde iam per septem menses exclusus erat. Hìc coronatus est Imperator in Ecclesia S. Petri 22. Nouembris, festo die Sanctæ

Ceciliæ (Albericus ſcribit in octaua Sancti Martini, id eſt, 18. Nouembris) per Cardinalem Vgolinum Epiſcopum Oſtienſem, præſente Pontifice, Vſpergenſis, Godefridus, Albericus, & alij. Quinque Religioſi S. Franciſci Maroci in Africa Martyrio coronati ſunt 16. Ianuarij, quos Sixtus V. in Sanctorum Catalogum retulit. *Damiatæ inuenta eſt in templo Saracenorum Aſtronomica Prophetia, quæ multa partim vera, partim falſa continebat*, vt oſtendit Albericus. *Ibidem apud Damiatam orta eſt diſſentio grauis inter Ioannem Regem Hieroſolymitanum, & Legatum Pontificis, quod hic ſibi totius exercitus dominium vſurparet, & negotium Damiatæ faceret ſuum: ideóque ad tempus Rex Damiatâ diſceſſit*, Roberti Continuator, qui hîc verè opus abſoluit ſuum. Habet enim pauciſſima de anno Chriſti 1223. & reliqua ſunt diuerſis præteritis annis inſerenda. Obiit hoc anno Bononiæ in Italia Azo Legum Interpres optimus; ideò non appellatur Magiſter, ſed Dominus Legum, Albericus. *Obiit quoque eodem anno quædam religioſa, & ſancta puella Mathildis de Lapyon Regis Scotiæ filia, quæ fugiens nuptias, venit occultè in Franciam, & admirabilem egit vitam, in diœceſi Laudunenſi, ſepulta apud Sanctum Vincentium Laudunenſem*, Albericus monachus Triumfontium.

Anno Chriſti MCCXXI. *Yolanda Imperatrix Conſtantinopolitana iam ante annum, & fortè aliquid ampliùs obierat, & Philippus Namurci Comes ſibi hæreditate debitum recuſarat Imperium. Itaque electus eſt Orientis Imperator*, vt liquet ex iis quæ profert Odericus Reynaldus, vnde conſtat primum eius Imperij annum menſe Iunij decurriſſe. Fridericus fingebat velle ſe in Palæſtinam proficiſci, & illudebat Pontifici, totíque Chriſtianitati, vt certum eſt ex litteris Pontificiis. *Chriſtiani Cruce-ſignati egrediuntur Damiatâ, & verſus Cayrum caſtra mouent, numero ducentorum millium*, vt Godefridus, vt Albeneius in ſuis litteris apud Pariſium longè pauciores. *Sed cùm in Soldani conſpectum veniſſent, decem millia Cruce-ſignatorum ſine licentia receſſerunt. Aggreditur terrâ Chriſtianos Soldanus, fortiter repellitur; ſed naues Chriſtianas aggreſſus, earum 750. combuſſit igne Græco: ſic interclusi commeatus, aliis Soldanis inter Cayrum, & Damiatam ſedentibus. Immittitur inſuper à Soldano, ruptis aggeribus, in noſtros Nilus.*

Jtaque coacti sunt Cruce-signati inire fœdus cum Soldano, reddità Damiatâ, quod & factum postridie festiuitatis B. Virginis, magno damno Christianitatis. Godefridus de Monte-acuto Templarius apud Odericum Reynaldum, Albeneius apud Parisium, Albertus Stadensis, Stero, Vincentius Bellouacensis, & alij. Albericus *causam huius cladis refundit in Cardinalem Pelagium, qui contra Regis Hierosolymitani voluntatem, & sapientiorum consilium, hanc expeditionem suscepit.* Celebratum est hoc anno Concilium Sleuicense in Iutia, cui præfuit Gregorius Cardinalis. Hoc anno mortuus est Stippo religiosissimus in Germania presbyter, qui laborans acutissimo morbo incidit in phrenesim, multásque effutiit blasphemias moriens. Verùm quàm sanctus esset post mortem eius Deus ostendit, infirmi enim qui ad eius tumulum dormiunt, sanantur, Cæsarius. *Cogitatum in Gallia de ordine militari aduersus Albigenses erigendo. Et verò Raymundus filius Raymundi Comitis S. Ægidij anathemate perculsus erat ab Honorio, vt constat ex huius Pontificis diplomate, vbi hic dicitur malitiâ anteire patrem. Confirmauit & Honorius Amalrico filio Simonis concessa ipsi à Conclio bona Comitis Tholosani.* Iussit etiam Honorius Iudæos aliquo signo distingui, Odericus Reynaldus. Negauit idem Pontifex Alexandro Scotorum Regi insignia Regni: quia Regis Angliæ Clientelaris erat, nisi Rex Angliæ assentiretur, vt liquet ex Diplomate Pontificio. Ecelinus posteà Tyrannus importunissimus, deliberauit de vita religiosa amplectenda; ideóque laudatur ab Honorio, vt constat ex eius Epistola 593. Hoc anno obiit Bononiæ S. Dominicus anno ætatis 51. 6. Augusti, cui successit B. Iordanus Saxo, secundus huius Ordinis Prior generalis, Vita S. Dominici, & S. Antoninus, Albericus tamen eius obitum in annum sequentem reiicit. *Obiit & Guil. de Sancto Lazaro Episcopus Niuernensis 21. Maij, vir eximiæ in pauperes charitatis.* Denique hoc anno tradit Albericus sub initium huius anni Pontificem scripsisse, se accepisse multa de Dauid rege, qui presbyter Ioannes appellatur: vbi innuit hunc fuisse Tartarum, non, vt vulgò creditur, Regem Abyssinorum: quæ ideò prætereo, quoniam tradit author hæc parum certa esse.

Anno Christi MCCXXII. Rex Dauid cum suis Tar-

taris, auditâ Damiatæ iacturâ, receſſit cum ſuis, & ab eo tempore de eo nihil auditum eſt, Albericus. *In Burgundia magni ciuiles de more concitati ſunt motus, in quibus Gerardus Viennenſis Comitis filius occubuit*, idem Albericus. Thomas Laſcaris Græcus Imperator moritur Niceæ cùm imperaſſet annis duodeviginti; cui ſucceſſit gener Ioannes Ducas Batatzes, ſeu Batacius, *contra quem dum Robertus Imperator iuuare conatur Alexium, & Iſaacum, Laſcari coniunctiores ſanguine, grandem accepit cladem*, Nicephorus Gregoras, Nicetas Choniates, Acropolita, & alij. *Hoc anno obiit Raymundus ſenex Comes, qui in lecto ſuo inuentus eſt mortuus, quare & ſepulturâ caruit;* ita Guillelmus de Podio, Chronicon Monfortienſe, Bernardus, *qui hunc Comitem Eccleſiæ aduerſarium, & Satanam appellat. Succeſſit ei filius eius Raymundus, qui ſtatim de pace cogitauit.* Albericus *tamen Raymundi mortem in annum ſuperiorem reiicit.* Concilium Oxonienſe à Stephano Langton Archiepiſcopo Cantuarienſi celebratum eſt. Engelbertus Archiepiſcopus Colonienſis Aquiſgrani 8. Maij Dominicâ ante Aſcenſionem inunxit filium Imperatoris Friderici, qui anno 1225. duxit Agnetem filiam Ducis Auſtriæ, Trithemius, Godefridus, Vſpergenſis. *Theobaldus Campaniæ Comes cum Philippi Auguſti filio cingulo militari accingitur in Pentecoſte*, Albericus. *Magiſter Petrus de Corboio Archiepiſcopus Senonenſis moritur*, idem Albericus. *In vigilia Natalis Domini auditum eſt tonitruum, & fuit terræ motus ingens in Italia, ſed in vrbe Brixia violentior, cuius vrbis ferè media pars corruit*, Albericus. Cæſarius addit, abſorpta eſſe hominum duodecim millia. At Godefridus ait etiam Coloniam hoc motu vexatam eſſe. *Hoc denique anno Cometes apparuit prænuncians Philippi Auguſti mortem*, Monachus Patauinus in Chronico, Rigordus, Guill. Brito. Cæſarius ſcribit *hunc Cometem duabus hebdomadis poſt occaſum Solis viſum eſſe, mole ingenti emicuiſſe, & Iudæos putaſſe eſſe ſui Meſſiæ prænuncium.*

Anno Chriſti MCCXXIII. Ioannes Rex Hieroſolymitanus de voluntate Honorij dat Friderico Yolandam filiam ſuam, quam Albericus perperam vocat Iſabellam, ſed factum reiicit in annum ſequentem. *Venit etiam Ioannes in Franciam auxilia petiturus*, Godefridus, Sanutus, & alij.

Philippus Augustus moritur Medunta 14. *Iulij, cùm regnasset ab inauguratione sua annis* 43. *mensibus* 8. *diebus* 14 Rigordus, Guillelmus Brito, Albericus, & alij. *Quomodo autem eius anima visa sit inter ignes, monitúsque à Sancto Dionysio Iacobus Pœnitentiarius, vt licèt æger, adiret ad Summum Pontificem, vt pro eo offerret augustum Missæ sacrificium, leges apud* Guill. Britonem, cui tantùm dabis fidei, quantùm Poëtis assignari solet. *Item & de Philippi liberalitate multa habet* Albericus: ait *enim eum testamento suo reliquisse centum millia librarum argenti Ioanni Regi Hierosolymitano, centum item millia Templariis, totidem Hospitalariis, triginta millia Amalrico contra Albigenses, denique Monachis Sancti Dionysij quindecim millia, quoniam apud eos sepeliendus erat. Eius autem obsequiis interfuere Archiepiscopi, vel Episcopi* 27. *qui omnes in Pontificalibus celebrarunt*, Albericus. Honorius Papa confirmauit Regulam S. Francisci hoc anno, vt constat ex MS. Chronico Ordinis Minorum, quo vsi sunt Baronius, & Odericus Raynaldus. Natus creditur hoc anno S. Thomas Aquinas, aut potiùs anno sequenti. Ignis casualis in Hungaria Strigonium, & Boduariam deuastauit, *Albericus*. Romæ per vnum diem pluit terra rubra, quasi sanguinolenta in hebdomada illa quæ fuit ante Dominicam Lætare, idem Albericus. *Multitudo hæreticorum Albigensium cum iuniore Raymundo aggressi Catholicos quosdam viriliter sunt repressi, plurimi cæsi, inter quos Seneschalus Aragoniensis*, Albericus. *Iidem Albigenses in Sclauonia seu finibus Dalmatiæ, Croatiæ, & Bulgarorum elegerunt sibi Antipapam quendam Bartholomæum, quem etiam Franci hæretici agnouerunt*, Parisius. Quominus autem hoc venenum afflaret Hispaniam impediuere Reges Castellæ, & Legionis, *Mariana, & alij*. Episcopus Cathenensis in Scotia à suis cæsus est, in quos Rex Scotiæ grauiter animaduertit, vt constat *ex Epistola* 75. *Honorij*.

Anno Christi MCCXXIV. *Monitus à Romano Pontifice Ludouicus, vt treugas cum Anglis faceret (sicque omnes susciperent expeditionem Hierosolymitanam in quam incumbere simulabat Fridericus, cui etiam Georgiani pollicebantur auxilium) non acquieuit: immò cum ingenti exercitu ingressus est Aquitaniam. Hic Rupellam capit portum Anglis aptissimum, Niortium, Fanum S. Ioannis Angeriaci, & omnia loca cis Garumnam. Vi-*

cit insuper Sauaricum Mauleonensem, & Vasconiâ totâ potitus esset, nisi adfuisset cum ingenti classe Ricardus, qui iacentes Vasconas erexit. Vita Ludouici VIII. Paradinus, Guido, & alij. *Obiit in festo Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli reclusa illa Soror Giluidis, vestita pellibus crinaceis, sic vt vermes de eius corpore erumperent. Multa mirabilia de ea dicebantur, vt quòd sæpè viueret ex sola Communione, quòd lampadem haberet sine catena in aëre suspensam, cùm Dæmon catenam fregisset. Iussu Regis & Episcoporum hæc examinata sunt, quidam probarunt, quidam improbarunt*, Albericus. *Prophetiæ nonnullæ hoc anno iactatæ sunt de nouo regno à Christianis acquirendo, & de victoria Hispanorum aduersus Saracenos*, idem Albericus. *Amalricus cessit Regi Ludouico Regi Francorum ius suum in Comitatum Tholosanum, & omnes terras in agris Aginnensi, Albigensi, Cadurco, & viciſſim à Rege creatus est Comes Stabuli*, Guill. de Podio, Monfortius, Guido, Albericus: *sed hic factum istud reiicit in annum superiorem. Pseudo-Balduinus magnas excitauit in Flandria tragœdias;* vide Monachum Aquitanicum, Godefridum Coloniensem, Albericum (qui tamen hoc in annum sequentem reiicit, habétque de eo impostore multa) & alios. *Ventus validus in Inuentione Sancti Stephani segetes ad medium excussit*, Albericus. *Concilium magnum seu Colloquium celebratum est de mandato domini Papæ in causa Albigensium, cui interfuere Raymundus Tholosanus, Rogerius Bernardi Comes Fuxensis, & alij. In eo pœnæ graues in hæreticos decretæ, sed hi mutire non sunt ausi propter Ludouicum Regem hærentem cum copiis Pictauij. Statutum item vt collectio mille marcarum argenti fieret, mittenda Romam*, Albericus qui tamen addit, *sic Arelatensem Archiepiscopum Ecclesiam Dei vendidisse. Conuenerunt Regis Franciæ, & Henrici filij Imperatoris Consiliarij, vt de suis negotiis agerent ad Vallem-coloris*, idem Albericus. *Mortalitas animalium maxima ex partibus Orientis per Græciam hoc anno transiit in Germaniam, & inde in anno sequenti in Galliam*, Albericus.

Anno Christi MCCXXV. Engelbertus Coloniensis Archiepiscopus 47. plagis confossus est 7. Nouembris per Fridericum Comitem Isemburgicum Canonicum; *Vspergensis, Godefridus, Albertus Stadensis, Cæsarius, Albericus*, à quo ille dicitur maxima Ecclesiæ columna; scribitur tamen

men cæſus 6. Idus Nouembris, aut 17. Kal. Decembris, id eſt, 17. Nouembris. Addit à Friderico interfectum, quòd eum amouiſſet à nobili Abbatia de Eſſendia *d'Eſſendic*, quam cùm defendere debuiſſet, deſtruebat. Fugit percuſſor excommunicatus Romam; ſed propoſitum eſt à Rege Henrico præmium ei, qui homicidam detegeret. Tandem poſt annum rediit Leodium, & ſub habitu mercatoris latens detectus eſt; ibíque captus Colonienſibus traditus eſt. Colóniam ergo perductus per vicos ignominiosè tractus, in rota eminentiſſima confractus eſt. Nihilominus cum magna contritione obiit, eóque mortuo populus *Te Deum* occinit; ſed exinde Engelbertus miracula patrare ſolitus, ea edere deſiit, hæc Albericus, quæ pluribus leguntur apud Cæſarium, qui iuſſu Henrici ſucceſſoris Engelberti eius res geſtas deſcripſit. *Beatus Laurentius Dublinenſis Epiſcopus à Pontifice in Sanctorum album refertur: corpus eius Augi ſeruatur, vti liquet ex Diplomate Pontificio. Concilium Bituricenſe in feſto S. Andreæ per Romanum Cardinalem celebratum eſt*, Pariſius. Damnatus eſt liber Ioannis Scoti à Summo Pontifice ſolenni ritu. Recitatur ab Alberico hæc damnatio: certè ab Anglis creditus eſt Martyr. Et innuit Albericus, eum damnatum eſſe, quia inde Albigenſes cauſam ſui erroris hauriebant. *Hyems hoc anno longiſſima fuit, à feſto S. Lucæ 18. Octobris, vſque ad quindenam poſt Paſcha, id eſt, 14. Aprilis, cum Paſcha hoc anno contigerit 30. Martij*, Albericus; qui addit *de Lunatione ad Lunationem ſatis aſperam hanc hyemem fuiſſe. Turbata eſt Pariſius Academia: ſed eius motus compoſuit Cardinalis, qui præfuerat Concilio Bituricenſi*, idem.

Anno Chriſti MCCXXVI. 3. Februarij Cardinalis Legatus habuit Concilium apud Leodium contra Epiſcopos Monaſterienſem, & Oſnabrugenſem fratres Friderici, à quo cæſus erat Archiepiſcopus Engelbertus, ibi probatum eſt eos iuuiſſe pecuniis, & milite aduerſus Eccleſiam fratrem excommunicatum, & eorum vnum dixiſſe aliquid, quo frater excitari poſſet ad necem Præſulis. Itaque ambo ſuſpenſi ſunt ab officiis, & Romam ire compulſi, vbi & depoſiti ſunt, atque alij in eorum locum ſubſtituti, Albericus & Cæſarius. *Ludouicus Rex Francorum expeditionem ſuſcipit aduerſus Albigenſes, & cum luculento exercitu eos*

aggreditur: Auenionem obſidet à vigilia S. Barnabæ die Mercurij poſt Pentecoſtem, ad duodecimum Septembris, quando ipſa ſe Ciuitas Regi dedidit, qui in ea obſidione multos è ſuis amiſit. Inde Biterras, Carcaſſonam, Apamias, Vaurum, Albigam ad deditionem compulit: quibus perfectis, relicto cum aliquot copiis Imberto Belloiocenſi, dum rediit per Aluerniam, apud Montem Pancerij moritur die Dominicâ 8. Nouembris, cùm regnaſſet tantùm annis tribus, & diebus 24. Mortis huius locum prænunciatum à Merlino ferunt, Vita Ludouici VIII. Guil. de Podio, Ianiuillæus, Albericus, & alij. *Succeſſit ei Ludouicus IX. eius ex Blanca filius duodennis, vnctus Rhemis à Iacobo Epiſcopo Sueſſionenſi in peruigilio S. Andreæ, id eſt, 29. Nouembris Dominicâ primâ Aduentus*, vt habet Chronicon MS. Turonenſe, Vita Ludouici VIII. Guil. de Podio, Ianiuillæus, & alij. *Tempore Rogationum tempeſtas ſæuiſſima, & noſtris temporibus inaudita incubuit in territorium Laudunenſe, & maximè in Abbatiam Fuſniacum (Foigny en Thieraſche proche Veruins) in cuius Eccleſia Crucifixus ita concuſſus eſt, vt faciem conuerteret à choro conuerſorum, in Chorum Monachorum*, idem Albericus. Fridericus Ioannis Regis Hieroſolymitani ſoceri ſui non tam regnum acceperat, quàm inuaſerat, eique in omnibus aduerſabatur; quare eidem Ioanni Pontifex commiſit ciuitates, & caſtra ſua in Tuſcia; & ipſe cultus eſt à Tuſcis, Longobardis, Romanis odio in Fridericum flagrantibus. Tunc autem hic Fridericus ditiſſimus erat omnium Imperatorum à Carolo Magno, ob ditiſſima Regna Siciliæ & Apuliæ, *Albericus*; verùm ex litteris Pontificiis meliùs hæc in annum ſequentem reiiciuntur. Sanctus Franciſcus Ordinis Minorum author obiit Aſſiſij die Dominicâ 4. Octobris, annos natus 45. conuerſionis ſuæ anno 20. à fundato Ordine duodeuigeſimo, *S. Bonauentura*, & alij.

Anno Chriſti MCCXXVII. *Frater Regis Angliæ Comes Ricardus, qui ante biennium Reolam, & ditiones circa Burdegalam occuparat per cognatum Regis Imbertum Belloioci, & Britanniæ Comitem Petrum deiectus eſt bello, & ſic in Angliam reuertitur*, Albericus. Obiit hoc anno Honorius III. Pontifex, 18. aut 19. Martij, cùm 10. annos & menſes 8. Petri Sedem obtinuiſſet, ſepultúſque eſt in Baſilica S. Mariæ Maioris.

Successit ei Hugo, vel Vgolinus, (nam in eius nomine Scriptores variant) dictus Gregorius IX. Patriâ Anagninus, coronatus die Dominicâ 21. Martij in festo S. Benedicti, aut Dominicâ Passionis 28. eiusdem mensis. Ferunt huic Pontificatum à S. Francisco prænunciatum; quare in eius familiam benè semper affectus fuit. S. Bonauentura, & alij. Statim Fridericum ad sanam mentem reuocare conatus est; cùm nihil proficeret eum excommunicatione perculit, vt constat ex eiusdem Pontificis litteris. Respondit Pontifici Imperator atrocissimè, vt videre est apud Petrum de Vineis, & Parisium. Addit Albericus hunc Fridericum cùm Brundusij parasset naues ad transitum, subitâ infirmitate tactum, vel verâ, vel simulatâ recessisse. Certè eius improbitate, atque perfidiâ res Syriacæ deiectæ sunt, Albericus, Vspergensis, Litteræ Pontificiæ, &c. *Factio fœderatorum Principum erupit hoc anno, videlicet Hugonis Marchiæ Comitis, Petri Comitis Britanniæ, & Theobaldi Comitis Campaniæ; sed hunc Blanca Regina prudentiâ suâ, & sagacitate ab aliis duobus distraxit, reliquos duos, immò & Anglum iis coniunctum Regis iuuenis fortitudo sic repulit, vt intelligerent in eo veterani bellatoris robur, & vires inesse. Ferrandus autem Flandriæ Comes iam ab annis 12. & mensibus 5. detentus in carcere solutus est, & remissus ad suos*, Albericus; *qui addit multos laborasse vt socius eius Renaldus Bononiæ Comes quoque liberaretur, sed frustrà: quare is circa sequens Pascha voluntariâ (vti ferebatur) morte vitam terminauit. Insuper Rex Ludouicus Albigenses per Imbertum Belloiocensem fregit qui à morte Ludouici VIII. animos resumpserant, & Guidonem Simonis Monfortij fratrem crudeliter interemerant*, Bernardus, Ianniuillæus, & alij. *Eodem anno obiit Garinus Syluanectensis Episcopus, qui egregiam Philippo Augusto ad Bouinas nauarat operam, eiúsque aciem scientissimè ordinarat*, Albericus. Ludouicus Langrauius Thuringiæ cum magno exercitu in Apuliam transiit, sed obiit ex epidemia, cum magna sui exercitus parte, Bernardus. Scriptor vitæ Gregorij tradit, opinione publicâ, morte procuratâ interiisse. Mariti mortem magno animi, corporísque sensu accepit S. Elizabetha, cuius ditionem, atque filiorum inuasit Henricus, Ludouici frater, eam expulit Palatio, & ad summam egestatem

redegit; illa variis calamitatibus exercita se Deo consecrauit, pro terreno Principatu cælestem consequuta, Theodoricus apud Henricum Canisium. Cumani ad 15. millia sacris aquis intincti sunt, ab Hungariæ quibusdam Episcopis, Albericus. *Virdunum obsessum à suo Episcopo, & ab aliquot vicinis Principibus*, idem. Romæ creati Cardinales sex, omnes viri magni nominis, idem. *Apud Dinantum rupes diu ex monte pendula 22. Decembris cecidit, & 36. viros elisit, plures debilitauit; Sacerdos tamen ad Aram faciens illæsus permansit*, idem Albericus. In Polonia Lesco cognomento Albus, Dux Sandomiriensis, cæsus est à Suuantopelko Prusiæ inuasore; Henricus autem, cognomine Barbatus, multis acceptis vulneribus fortitudine, & nece militis, Peregrini nomine, & mortis simulatione, seruatus est, Longinus. Henricus Dux Wratislauiæ dum nocte iuuenculam Teutonicam, ad se adductam comprimere nititur in lecto suo, illa cultrum pennarium, quem secum detulerat in eius ventre defixit, ex quo vulnere obiit, Albericus.

Anno Christi MCCXXVIII. *Hoc anno contigit Eclipsis Solis die Mercurij 28. Decembris. Raymundus Comes Tholosanus pacem cum Ludouico Francorum Rege facere compellitur, primùm Meloduni, deinde Parisiis mense Aprili. Iam fuerat Ecclesiæ reconciliatus die Parasceues*, Guillelmus de Podio, Monfortius, & alij. Albericus tamen id factum reiicit in annum sequentem. *Omittendum tamen hîc non est, quod idem Albericus scribit Raymundum hunc Comitem nudum in camisia, & braccis Ecclesiæ satisfecisse, durásque admodum conditiones accepisse, quas author hîc accuratè recenset, ídque procuratum per iuniorem Regem Ludouicum & Blancham fœminam, vt Heretici contumacia potentiùs eliderettur. Atque vt esset constantius remedium, instituta Tholosæ Inquisitio, quæ Fratribus Dominicanis permissa est. Celebrata sunt hoc anno Concilia duo, Tholosanum, & Arausicanum. Yolanda filia Ioannis Briennensis Regis Hierosolymitani vxor Friderici, ad quem dotale regnum detulerat, obiit ex partu, quo Conradum edidit.* De se mutuò conqueruntur Fridericus, & Gregorius; hic illius subditos à sacramento fidelitatis absoluit, eúmque hostem Ecclesiæ, & discipulum Mahumetis vocat, Albericus. In Prussia publicatum est Euangelium, & promota Religio per Guil-

lelmum Episcopum Mutinensem, qui & eorum populorum linguam didicit, & Linguæ Latinæ principia in hanc regionem induxit, Albericus. In Sanctorum numerum relatus est hoc anno Sanctus Franciscus Assisij à Gregorio IX. qui, vt antè vidimus, ei addictissimus erat: *Quando & quidam eius Ordinis, qui hæreses disseminabat Parisius captus, & incarceratus est*, Albericus. Pontifex in Fridericum iam sæpè excommunicatum, arma capit, *atque in auxilium Ecclesiæ aduolat Gallorum delecta manus cum Episcopis Beluacensi & Claromontano; quos tamen Pontifex actis gratiis remisit, quia Friderici fautoribus retundendis ipse par esse videbatur*, Albericus. *Tum idem Gregorius Papa arguit Parisienses quosdam Theologos, qui ex Philosophorum Placitis, non ex dictis Sanctorum Patrum sacras litteras explicabant*, vt liquet ex eius Epistola 20 lib. 3. *Philippus Cancellarius Parisiensis Academiæ vitâ functus apparuit Episcopo Guillelmo eunti noctu ad Ecclesiam, & se damnatum asseruit, quòd bonis Ecclesiæ pauperes non refecisset, in cœno libidinum volutatus esset, & causas leuiores, quæ non sunt ab omnibus probatæ*, Annales Flandrici. Quidam fugitiui ex diuersis Ordinibus dum Papa moreretur Anagniæ, in patria sua falsum sibi Papam, atque falsarium delegerunt, habentes quosdam Nobiles lucri causâ sui adiutores, & per sex hebdomadas magnam fecerunt deceptionem. Multos enim Cruce-signatorum à peregrinationibus absoluerunt, & falsâ bullâ quam præferebant, litteras peregrinationis sigillabant. Et cùm quilibet Crucesignatorum absoluendus minimum daret quatuor marcas, inde sibi de tali furto magnam pecuniam conflauerunt. Hi tandem capti sunt, & variis membris mutilati, Albericus. *Parisiis mortuo Bartholomæo Episcopo successit Magister Guillelmus Aluernus, Theologus optimus*, idem Albericus. In Anglia item obiit Stephanus de Langton Archiepiscopus Cantuariensis super omnes sui temporis Theologos nominatissimus, cuius opera recenset hoc anno Albericus. *Ad vigiliam S. Martini ventus extitit tam validus, vt in nemoribus multas quercus & fagos extirparet: eo certè Ecclesia Trecensis corruit, & caput Sancti Philippi Apostoli in illo casu mirabiliter se abscondit*, idem Albericus.

Anno Christi MCCXXIX. Iacobus Rex Aragonum

occupat Insulas Baleares, inde expulsis Saracenis, Mariana, Gomesius, & alij: Albericus id reiicit in annum 1231. Eius matrimonium cum Eleonora dissolutum est in Concilio Turiassonensi per Halgrinum Episcopum Sanctæ Sabinæ, Rodericus, & alij. *Robertus Cortenaus Imperator Constantinopolitanus moritur post annos octo, aut nouem sui Imperij. Cùm eius frater Balduinus iunior esset, atque impar huic regendo Imperio, aduocatus est Ioannes Briennensis, vt Imperium administraret, cui vxor adiuncta est Maria filia Imperatoris. Hæc omnia rata habuit Pontifex anno tertio sui Pontificatus 9. Aprilis, edixítque, vt quandiu Ioannes viueret, Imperio potiretur,* Sanutus lib. 11. parte 4. cap. 18. Vbi & notat *Ioannem à Baronibus coronatum esse. Ioannis fortitudinem, & militarem experientiam veriti Ioannes Ducas Vatacius, & Theodorus Comnenus fœdus ineunt cum Friderico Imperatore, quem norant Ioanni infensum esse. Sed mox Theodorus iste perfidissimus pugnans aduersus Bulgaros victus & captus est; humaniùs tamen tractatus quàm eius scelera merebantur. Tantùm enim carceri mancipatus est, in quo cùm nouas res moliretur oculis orbatus est ab Azane Principe Bulgarorum,* Georgius Logotheta. Fridericus iniit turpissimum fœdus, & rei Christianæ perniciosissimum cum Soldano Babyloniæ (Albericus Soldanum Ægypti nominat) vti liquet ex litteris Pontificiis lib. 3. Epist. 14. & litteris Geroldi Patriarchæ Hierosolymitani ad Gregorium, lib. eius 3. Epist. 34. ad cuius calcem prostant Articuli improbissimi huius fœderis, facti 18. Februarij. 17. autem Martij, Dominicâ *Lætare*, Rex Hierosolymitanus coronatus est impius Fridericus (Albericus scribit id factum Dominicâ *Oculi*, & his Geroldum Patriarcham, Templarios, & Hospitalarios restitisse.) His peractis Fridericus perturbatis potiùs, quàm ordinatis Syriacis rebus, immò potiùs pessundatis Ptolemaïde soluit 1. Maij, rediítque in suam Siciliam, Godefridus, Sanutus, Villanius, Vspergensis, qui hîc desinit, & falsis laudibus onerat potiùs, quàm ornat Fridericum. Intereà Pontificis copiæ multa Friderici castra, & vrbes aliquot occupabant, quas ille redux ex Palæstina facilè recepit. Itaque Gregorius huic iam impar, vndique auxilium à Christianis petit; excommunicat iterum Fridericum, vt liquet ex eiusdem Pontificis litteris.

S. Ludouicus Petrum Aremoricum vastatá eius regione domat, eius Viræ Scriprores.

Anno Christi MCCXXX. *Bellum in Gallia inter Comitem Campaniæ, & Comitem Barri gestum est, quo eorum ditiones desolatæ sunt,* Albericus. *Ecclipsis Solis contigit die Martis Rogationum 14. Maij,* Parisius; qui tum viuebat in Cœnobio S. Albani. Pontifex Romam reuocarur à Romanis, quos variæ clades attriuerant, *Author vitæ Gregorij :* tum enim Tiberis valdè intumuit, & in Vrbe absumpsit supra septem hominum millia. *Similem inundationem passum est Fusniacum, & Vallis Regis : & in Diœcesi Leodiensi Hoyolus fluuiolus vrbem Hoyum, quam alluit, vastauit,* Albericus. Alphonsus Regis Castellæ frater rriginta millia Saracenorum concidit, multámque regionem acquisiuit, *Mariana,* & alij. *Concilium à Rege Francorum cum Proceribus habitum est Meloduni, in quo actum est de rebus ad commodam regni administrationem pertinentibus, omnésque Proceres decreto hîc edito subscripserunt,* id accuratiùs descriptum leges apud Albericum. Fridericus Summum Pontificem conuenit Anagniam, vt ab eo absolueretur, *Stadensis, Parisius, Stero, Sanutus : Albericus* id factum esse rradit per Leopoldum nobilem Austriæ Ducem; & id promeritum esse Leopoldum humilitate suâ, & quod rum Imperator Pontifici longè præualeret. *Parisiis magna contentio exorta est inter Scholasticos, & Regis administros, immò & vniuersos Lutetiæ ciues, quo tumultu nobilis hæc Academia tantùm non dissipata est. Magistri enim & Doctores commigrarunt Rhemos, Andegauum, Aurelias, Tholosam; quidam etiam Oxonium in Angliam, nonnulli in Hispaniam cum plerisque Scholasticorum,* Nangius, Parisius, Bernardus. *Has turbas Gregorius sedare conatus est, vt liquet ex eius Epistolis ad Reginam, & Regem datis,* lib. 3. Epist. 85. *& ad Episcopum Parisiensem,* Epist. 88. *& ad Episcopum Cenomanensem,* Epist. 89.

Anno Christi MCCXXXI. Percussit Fridericus cum Abu-Isac fœdus die Dominicâ 21. Aprilis, Hegiræ anno 628. *Bulialdus pag. 227. in Ducæ Bizantini Historiam.* Ludouicus Bauarus cæsus est artibus Friderici Imperatoris, vel Henrici, à quodam nobili, *Godefridus, Stero,* & alij. *Albericus* tamen tradit hanc cædem peractam esse à quodam

Sicario Aſſaſſino, per Veterem Montanum, ſubmiſſo, atque eo caſu territum Hungariæ Regem eidem Veteri multa dona tranſmiſiſſe in auro, & argento; ſicque gratiam eius obtinuiſſe. *In Fano S. Quintini in Veromanduis habitum eſt Concilium: Idem & aliud eodem anno ac ſequentibus Lauduni. Gregorius Pontifex reſtituere conatur ſplendorem Academiæ Pariſienſis*, vti conſtat ex eius Epiſt. 23. lib. IV. *vbi eam vocat Sapientiæ officinam, & Lutetiam ipſam Scientiarum parentem: huicque regendæ multa ſalutaria ſuggerit.* Godefridus Cameracenſis Epiſcopus ciuitatem ſuam cum ipſis ciuibus fortiter edomuit, quod prædeceſſores ſui nunquam facere potuerant, Albericus. *Sanctus Ludouicus Conſilium habuit Pariſiis Dominicâ* Lætare *de pace Regni, & Principum, de Comite Britanniæ, de regno Angliæ, & firmanda Treuga in triennium*, idem Albericus Hoc anno exordium ſumpſit à B. Syluestro, orto ex Guzolina familia Auxini, Ordo Syluestrinorum in monte Fano, non longè à Fabriano Piceni oppido: hic Sancti Benedicti viuendi rationem ſequitur, & de eo Ordine eiúſque Fundatore multa habet Andreas Iacobus, quartus huiuſdem Ordinis Generalis, qui eodem æuo cum B. Syluestro vixit. Hoc item anno obiit XIII. Iunij S. Antonius, à longa in hoc oppido commoratione, dictus Patauinus, ab aliis Olyſipponenſis vocatus à patria, Albericus; qui hunc Paduæ mortuum eſſe tradit, ſed hanc vrbem perperam in Hiſpania collocat, apud quem fortè legendum Heſperia pro Hiſpania. Eodem quoque beato fato functa eſt Marpurgi in Haſſia Sancta Elizabetha Thuringa, ex regia Hungarorum ſtirpe variis exercita caſibus, cuius vitam & mortem deſcribit Theodoticus apud Caniſium Antiquarum Lectionum Tomo 5 Albericus eam duodecim mortuos ſuſcitaſſe ait, ſed eius obitum differt in annum ſequentem. *Denique hoc anno exceſſit è viuis Fulco Epiſcopus Tholoſanus.*

Anno Chriſti MCCXXXII. *Ecclipſis Solis contigit die Veneris 15. Octobris. Celebratum Biterris in Gallia Concilium*, Guill. de Podio. *Duo ex Francorum Regis fratribus obierunt, Ioannes & Dagobertus*, Albericus. Ciuitas Vbeda de Saracenis recepta eſt à Chriſtianis, *Mariana*, & alij. Fridericus Imperator fingebat ſe Hæreticorum hoſtem, ſed occultè fauebat Saracenis, qui ex eius amicitia & fauore animos reſumpſerunt,

ſumpſerunt, & malè acceperè Chriſtianos. Eccleſiam enim in ſtabulum commutarunt, eiúſque lapides ad domos ſuas extruendas Nuceriam comportarunt, vt conſtat ex Epiſtola 184. Gregorij. *In Anglia nobilis quidam ad venationem profectus contra leges Regias, exutus bonis venit in Normanniam ad Ricardum. Is cum olim inimico ſuo pepercißet in gratiam Crucifixi, quoties orabat Chriſtum, vt ſuis rebus propitius eßet, atque ea bellè cederent, toties imago Crucifixi ei capite annuebat. Res ad Regem delata eſt, qui hominem accerſiuit, & interrogauit quid boni egißet vnquam: Is veniam expoſuit quam dederat patris ſui percuſſori; quare cum bonis ſuis omnibus, & honore in Angliam à Ricardo eſt remiſſus*, Pariſius. Germanus Patriarcha Conſtantinopolitanus Schiſmaticorum ſcribit ad Romanum Pontificem, & Cardinales, de ineunda pace inter vtramque Eccleſiam Orientalem,& Occidentalem; quare anno ſequenti miſſi in Græciam duo Dominicani, & duo Minoritæ, vt liquet ex Appendice Bullarij, & eorum Patrum relatione, quæ proſtat apud Odericum Raynaldum hoc anno.

Anno Chriſti MCCXXXIII. Concilium Nymphææ in Bithynia ad Pontum Euxinum celebratum eſt, de reconciliatione Græcorum, & Occidentalium; à quibuſdam Niceæ adſcribitur, *Inquiſitio hoc anno inſtituta eſt Tholoſæ per Summum Pontificem 22. Aprilis. Eius primi Inquiſitores Dominicani; qui tamen inde ſunt eiecti anno 1235.* Bernardus, Guill. de Podio, Guido. *S. Ludouicus ducit Margaretam filiam Raymundi Comitis Prouinciæ, de cuius diuitiis mirabili modo confectis per œconomum peregrinum*, Nangius, & cæteri vitæ S. Ludouici Scriptores. *Idem S. Ludouicus ciuitatem Beluacenſem caſtigauit, quod ſibi reſtitißet, & hic facta eßet ingens ſeditio inter diuites, & plebeios. Quare mille quingenti ex mediocribus ciuibus comprehenſi Pariſios, & in alia loca abducti carceribus mancipati ſunt*, Albericus, quod tamen alij in annos ſequentes reiiciunt. *Clauus Chriſti Domini apud S. Dionyſium perditus, iterum inuentus eſt mirabiliter, & cum multis prodigiis ſuo eſt reſtitutus loco*, idem Albericus. *Magnus Princeps hæreticorum Vigoroſus de Baconia, qui ferebatur eorum Epiſcopus, captus eſt, & viuus exuſtus Tholoſæ*, Albericus. In Alemannia multi tam nocentes, quàm innocentes, exuſti ſunt, quaſi Lucifero dæmoni deuoti. Quæ cauſa fuit cur Con-

radus Legatus Pontificius interficeretur, Albericus, qui hunc Contadum vti hominem non satis prudentem damnat. Addit & multa de quodam Mago, per quem valdè promota est Secta hæc dicta Luciferianorum, qui dæmoni addicti atque deuoti multa mira præstabant.

Anno Christi MCCXXXIV. *Joannes Briennensis administrator Imperij Orientalis sub initium huius anni, vel sub finem præteriti, venit Constantinopolim, receptus ab omnibus cum summa alacritate, ob expectationem eximiæ virtutis, vt præstaret omnia loco generi sui Balduini, & hîc coronatus est*, Georgius Logotheta, & alij. Decretalium libri quinque iussu Pontificis à S. Raymundo de Penna-forti, iam anno 1227. inchoati hoc anno in lucem emissi sunt, ac deinceps magna fuerunt Iuris Canonici Apotheca. Tum Gregorius abire Româ compulsus est, vt ex eius *Epistolis* constat, Romanis in eum rebellantibus, sollicitatis etiam Etturiæ Populis, atque in oppido, cui nomen est Mons-altus, excitatâ editissimâ turre, quæ posteris esset mutati dominatus monimentum, *Author vitæ Gregorij.* Mortuus est 7. Idus Aprilis Sancius Rex Nauarræ, cùm annis propè 40. regnasset, & Iacobum Aragonum Regem adoptasset in filium: verùm huic successit Theobaldus Campaniæ Comes, filius Blanchæ Nauarræ sororis suæ, & coronatus est Pompeciopoli mense Maio, *Hispanicæ Historiæ Scriptores.* Imago B. Virginis in loco Sardinaï sex leucis à Damasco data Moniali cuidam, à quodam viro religioso, hoc anno cœpit oleum ex facie emittere, & postèa ex toto corpore, quo sanantur omnes infirmi. Hæc Monialis voluit Imagini suæ maiorem excitare Basilicam, sed nunquam potuit ex priori ædicula transferri. Procedente tempore hæc Imago incarnata est, & Admiralius Damasci orbatus oculo eius ope sanatus est; ideò ipse, eiúsque successores suffecerunt huic Ecclesiæ quotannis luminaria, & sexaginta mensuras olei, vsque ad tempora Saladini. Oleum ex hac Imagine defluens non minuitur, quantumuis inter multos diuidatur. Ad eam colendam conueniunt etiam Saraceni, in Assumptione B. Virginis, & mense Septembri, vti Mariam secundùm legem suam colant, *Albericus.* Pontifex Beatum Dominicum in Sanctorum numerum retulit, vt constat *ex lib.* 8. *Epist.* 142. Quo etiam anno

indixit sacram Expeditionem aduersus Saracenos, *Author eius vitæ.*

Anno Christi MCCXXXV. Fridericus transit in Germaniam, munitus litteris Apostolicis, vt Henricum filium suum Regnum Theutonicum affectantem reuocaret ad officium. Henricus se patri videns imparem & desertum à suis, Anathematum metu, vocatus à patre Vormatiam venit, sed hîc carcere mancipatus, inde missus est in Apuliam, & inclusus in Rocca S. Felicis, vbi anno sequenti necatus esse dicitur iussu parentis sui, *Stadensis, Parisius, & alij.* In eius locum extulit Fridericus alium filium Fridericum, qui & Conradus dictus est. Duxit insuper vxorem sororem Regis Angliæ Isabellam, *Parisius, & Litteræ Friderici ad Pontificem. Magna inundatio contigit hoc anno ex niuibus liquefactis, quæ magna intulit damna.* Sed in vrbe Hoyo, fluuius Hoyolus 5. Idus Februarij, supra modum intumuit à media nocte ad tertiam; at circa Vesperas impetum repressit suum. Mœnia vrbis, intritâ solutâ corruerunt, & plusquàm trecentæ domus aut ceciderunt, aut confractæ sunt, pauci tamen in tam subito casu interierunt, *Albericus. Joannes Briennensis primò victus est à Ioanne Duca, seu Vatacio, qui iunctus cum Azane Bulgaro etiam Callipolim, & Thraciam Chersonesum occupauit, atque Constantinopoli admouit castra; quæ victoria narratur, & amplificatur à* Georgio Logotheta *: sed tacet ope diuinâ relatam à Latinis, & Briennensi victoriam, per centum, & sexaginta Cataphractos equites, per quos vterque in turpem actus est fugam, quæ tamen intelligitur* ex Epistola Gregorij ad Regem Hungariæ. Albericus *addit Ioanni obsesso Constantinopoli Gaufridum suppetias tulisse cum* 120. *nauibus; & cùm hostes centum haberent naues, tres Latinas eas prorupisse, & intrasse Constantinopolim, corruptis quindecim Græcis nauibus: quæ tamen anno sequenti confecta esse docet.* Veneti tum occupauere Rhodum, vt tradit *Veneta Historia. Duo sunt habita hoc anno in Galliis Concilia, Syluanecti, & Narbonæ. Jn vrbe Catalaunensi coram Roberto, & Philippo Cancellario Parisiensi aliquot hæretici combusti sunt,* Albericus. Erepta est tum Sarracenis per Archiepiscopum Tarraconensem Ebusus, seu Yuica, minima Balearidum Insularum, *Surita.* Alexander Rex Hungariæ senex duxit Beatricem filiam Marchio-

nis olim Estensis, cui & hæc genuit filium posthumum Stephanum, sed Rex paulò post initas nuptias mortuus est. Beatrix autem verita Principes Belam, & Colomanum fugit cum Legatis Friderici, *Monachus Patauinus.* Sancta Elizabetha Thuringa in Sanctarum numerum refertur, *Theodoricus eius vitæ Scriptor.* Anno sequenti eius corpus perhonorificè translatum, cui translationi interfuit Fridericus, eiúsque Lipsana Coronâ aureâ exornauit. *Albericus* scribit Imperatorem Sanctæ huius mulieris caput propriis manibus eleuasse. *Expeditionis sacræ multi dedere nomina, inter quos Theobaldus Campaniæ Comes, & Rex Nauarræ:* eámque expeditionem omni ope promouere conatus est Gregorius, vt Imperio Latinorum Constantinopolitano subueniretur; sicuti ex eius litteris constat.

Anno Christi MCCXXXVI. *Judæi accusati sunt pueros Christianos necare, potissimùm in Aquitania, & prætextu pietatis crudeliter necati, sine ætatis, aut sexus discrimine. Itaque confugerunt ad Pontificem, qui eorum preces audiit,* Parisius, & Litteræ Pontificiæ. In Anglia multa prodigia visa sunt, concurrere in cælo acies, Mare intumescere, eluuiones fieri, *Parisius, & alij Anglici Scriptores.* Ferdinands Rex Castellæ, & Legionis Cordubam occupat, ac penitùs eripit Saracenis. *Ricardus à S. Germano in Chronico* id contigisse ait in vigilia Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, eámque vocat nobilissimam vrbem Saracenorum, & Orbis maximam post Romam, Constantinopolim, & Hispalim. Modum quo capta est describit *Albericus*, ídque factum asserit per Equites à Calatraua Ordinis Cistertiensis, quibus à Mahumeto Balliuo Vrbis hæc prodita est, à quo Rex rationem multarum pecuniarum repetebat. Hic enim Fratres illos induxit in vrbem, in quorum auxilium accurrit Ferdinandus. Magnum quoque attulit momentum ad hanc Vrbem capiendam Iacobus Rex Aragonum, qui tum Valentinum regnum inuasit. Abenhutus enim Rex ancipiti distractus malo, dum hæret incertus cui parti subueniat, Almeriæ cæsus est: ex cuius morte desperati Cordubenses sese dedere compulsi sunt, *Ricardus S. Germani, & Hispanici Scriptores. Frater Robertus qui hoc tempore Hæreticos per Galliam comburebat, vir magnæ religionis & zeli apostatauit,*

secutus mulierculam Manichæam Mediolanum; & adhæsit huic Sectæ annis viginti; sed tandem resipuit, & multos huius Sectæ detexit, Albericus. *Ioannes de Sacro-Bosco cuius Sphæra est in omnium manibus, Parisiis obiit.* Qui hactenus coniunctissimi fuerant Azanes Bulgarus, & Ioannes Ducas Vatacius, distracti sunt. Verebatur enim ille, nimiam eius potentiam; rapuítque filiam suam, quam Theodoro Vatacij filio desponderat, *Georgius Acropolites Logotheta. Sanctus Ludouicus in Theobaldum Campaniæ Comitem mouere parat, noua in regnum mollientem, quæ accuratiùs enumerantur* ab Alberico. *Tandem inter eos initum est fœdus; quod tamen posteà concussum esse innuunt Litteræ Pontificiæ. Idem S. Ludouicus vetuit subditis suis ne accersiti ad tribunalia Ecclesiastica in omnibus causis comparerent, & si ob contumaciam Censuris desigerentur, eorum bona qui has infligi curassent forensi satellitio occuparentur, donec hæ Censuræ sublatæ essent, atque reuocatæ, vti constat* ex Epist. ad Papam, *apud quem conquesti erant Franciæ Præsules. Idem Rex insuper seditiosos quosdam Beluacenses, frustrà renitente Episcopo, & sui iuris eorum iustitiam esse conclamante, variis pœnis coerciti sunt. Sed de his posteà; hæc enim ad aliud tempus videntur pertinere. At tandem hæc amicè composita sunt, quia cum Rege res erat ex æquo forti, atque pio. Idem Rex sanctissimus euasit insidias Principis Arsacidarum, seu Assassinorum (quem Veterem Montanum vocabant) quia regnabat in montibus inter Antiochiam & Damascum. Is Sicarios immiserat in Galliam ad tollendum Ludouicum, quem Sarracenis terribilem audiebat. Verùm, mutato diuinitùs consilio, ad eum Oratores misit, qui monerent, vt sibi ab his percussoribus caueret; quod & factum: deprehensi enim sunt Sicarij, qui pœnam expectantes, etiam cum muneribus remissi sunt ad Principem suum, à quo deinceps Rex sanctus semper cultus fuit*, Nangius, Ianiuillæus, Albericus, & alij. *Feriâ secundâ ad quindenam post Pascha Scholares Aurelianenses crudeliter interfecti sunt: Præpositus enim vrbis vndecim hospitia effregit, innocentes multos occidit, & rhedis impositos proiecit in Ligerim: octoginta nouem aut centum iugulati*, Albericus. 3. *Nonas Augusti facta est Ecclipsis Solis, horâ quasi sextâ diei Dominicæ*, idem Albericus.

Anno Christi MCCXXXVII. Longobardos inuadit Fridericus, & Mediolanenses ingenti prælio vincit, cæsis

eorum decem millibus, capto eorum Præfecto, & magno Caroccio, quod misit Romam, *Petrus de Vineis, Ricardus, & alij.* Romæ magnâ beneuolentiæ significatione Gregorius susceptus est, in quem tamen mox tumultus conflati sunt, *Ricardus, Parisius. Joannes Briennensis hoc anno obiit*, Parisius, Ricardus, Georgius Logotheta, & alij. *Vtrum autem in Minoritarum habitu spiritum reddiderit, credes si voles; meritò enim ea de re dubitat Odericus Raynaldus aduersus Iordanum, & Wadingum. Succedit Ioanni Balduinus I I. qui vbi se periculis vndequaque cinctum vidit (nam Azanes Vatacio aduersus Latinos reconciliatus erat) venit in Occidentem ad nouas copias conflandas,* Albericus, & alij. Concilium Londini celebratum est. In Polonia Miesciflaus Cuiauiæ Dux, cùm viduas, pupillos, orphanósque compilasset, in splendido lautóque conuiuio inuaditur à muribus, etiam eum per aquas insequentibus, & turpiter deuoratur, *Longinus, Cromerus, Michonius.* Labbeus à vermibus arrosum scribit, ob duritiem in pauperes, sed vnde id desumpserit nondum deprehendi. Arragonij nobilem victoriam referunt ad Podium Sanctæ Mariæ de Mauris & eorum Rege Zeno, quem Bernardus auunculus erumpens fortiter ex oppido obsesso superauit: quare & anno sequenti, Classe insuper deperditâ Valentiam reddidere, *Gomesius, Mariana, & alij. Die Natiuitatis obiit Cancellarius Academiæ Parisiensis Philippus, satis approbatus Theologus, & Philosophus optimus, cuius Epitaphium proponit* Albericus. *Eodem anno mortuus est Ioannes de Abbatisvilla Cardinalis, Episcopus Sabinensis*, idem Albericus. In partibus Austriæ pluit sanguine in vigilia Sancti Ioannis Baptistæ, *Albericus.* Iacobitarum Patriarcha Romano Pontifici se subiicit, *Philippus Dominicanus in suis Litteris, Parisius, & alij. Massilienses in Berengarium Comitem suum rebellant, & suppetias eis ferre moliebatur Raymundus, sed hic impeditus est à Pontifice, & S. Ludouici metu, ad quem Pontifex rescripserat,* Litteræ Pontificiæ. In Liuonia equites Religiosi Cruciferi, à Paganis circumpositis grandem accepere cladem; quare postularunt à Gregorio militibus Theutonicis aggregari, quod & obtinuere, *Albericus, Stadensis*, & *Litteræ Pontificiæ.* Templarij victores de Saracenis ad Alepum, dum pugnant cum iis incautiùs, victi sunt; multi cæsi,

centum & plures in seruitutem sunt abducti. Hæc clades accidit imprudentiâ Willelmi Aruerni præceptoris Antiocheni, qui cum paucis aggressus est immensam Barbarorum multitudinem, *Godefridus*, *Parisius*, *Albericus*. Apud *Compendium in octauis Pentecostes, præsente Rege Franciæ Robertus eius frater cingulum militare recepit, & de nouo accinctus nuptias suas celebrauit cum Mathilde filia Ducis Brabantiæ; & Rex dedit ei Comitatum Atrebatensem, Sanctum Audomarum, & Ariam, & cætera, de matre domini Ludouici patris eius ibi contingentia. Tum multa spectacula edita sunt, in quibus eques in funibus ambulauit*, Albericus. Die Dominicâ in Conuersione Sancti Pauli Mosa sic intumuit, vt Leodienses nunquam viderint, aut audiuerint similem eluuiem, *idem*.

Anno Christi M C C X X X V I I I. *pessimo in statu res erant Constantinopolitanæ, quia Vatacius, & Azanes copias suas coniunxerant, sicque premebant Vrbem, vt in ea esset summa rerum omnium penuria, sublatis commeatibus*. Defecit autem Azanes à Latinis, non ex metu numinis, quasi ei vxorem & filium eripuisset, vt confinxit Græcus Gregorius Logotheta; verùm ex impietate, quòd in Bulgaria sua faueret Manichæis: quare in eum Gregorius excitauit Belam Hungarum, vt *ex eius Litteris* liquet *Balduinus in Occidentem profectus venit in Belgium, & Valencenas, immò & transit in Angliam, vt sua negotia componeret, & conficeret pecunias, quibus instructus magnas copias scripsit. Dicitur enim sexaginta armatorum millia secum duxisse, quibuscum per Hungariam perrexit*. Tum Azanes metu Hungari, & luculenti huius exercitus iterum Latinis est reconciliatus. *Balduinus autem arcem Tzurulum expugnauit suis, & Scythicis auxiliaribus copiis*. Georgius Logotheta, qui posteà addit Azanem perfidiosum Latinis denuò eiuratis, in partes Græcorum transiisse. Fridericus res Orientales turbat tergiuersationibus suis, & tacitè impedit sacram expeditionem, quare denuò feritur anathemate, vt docent *Litteræ Pontificiæ. Idem Fridericus S. Ludouicum, à quo sibi plurimùm metuebat, vti impius ab pientissimo, conatur intercipere, dicto ei colloquij loco ad Vallicolorem, vt cum eo de rebus magni momenti ageret. Sed eius ingenio diffidens meritò Rex sanctissimus secum duo equitum millia ex delecta nobilitate deduxit, & instructissimas peditum copias, quibus territus*

Imperator defuit, nec adesse se posse significauit, Nangius, Ianiuillæus, & alij Historiæ Franciæ Scriptores. *Theobaldus Comes Campaniæ, & Rex Nauarræ, cum Duce Burgundiæ, Comitibus Barensi & Niuernensi, multísque nobilibus Gallis transit in Syriam*, Historiæ Franciæ Scriptores. Pax inter Venetos & Genuenses coaluit, *Blondus, & alij. Concilium Coniacense*, Cognac *hoc anno celebratum est.* Nunciati obitus Sultanorum Babyloniæ, Iconij, & Alepi, *Albericus.*

Anno Christi MCCXXXIX. contigit Ecclipsis Solis die Veneris 3. Iunij, *Parisius, Bernardus, Guido, Gassendus in vita Perecsij.* Fridericus obsidionem Brixiæ soluere compellitur: Mediolanenses pacem honestam petentes repellit, Sardiniam per filium suum nothum occupat, negátque ad Romanam sedem pertinere, *Ricardus à Sancto Germano, & Author vitæ Gregorij.* Siculos tributis atterit, Templarios vexat: impedit auxilia Constantinopoleos, & Terræ Sanctæ recuperationem, *Litteræ Pontificiæ.* Addit *Albericus* Imperatori obiectum esse à Pontifice in litteris ad Archiepiscopum Senonensem datis, eum dixisse tres magnos fuisse Baratores (id est, *Impostores*) Mosem, Christum & Mahumetem. Itaque eius subditi à Summo Pontifice absoluti sunt à sacramenti, & officij in eum religione *Hebdomade ante Pentecostem in oppido Wodamari* Montrimer *in præsentia Regis Nauarræ, & Baronum Campaniæ combusti sunt centum octoginta tres Bulgari vel Bugri hæretici, quod* Albericus *vocat maximum holocaustum, & placabile Domino. Interfuere huic spectaculo supra septies centena millia. Multa de his Bulgaris habet hoc loco* Albericus, qui in hunc annum coniicit irruptiones Tartarorum in Hungariam, quorum ait memoriam cum sonitu periisse. Ad hunc annum videntur pertinere quæ habet Albericus de Soldano Hayman, qui petebat baptismum, sed quem ait ob nostrorum defectum à proposito resiluisse. *In expeditione sacra obiere Petrus de Curteneo, Ioannes Matisconensis, & alij. Comes Britanniæ multam prædam rapuit Saracenis. Comes Bari lethaliter vulneratus captus est ad Ioppen; capti & Comes Monfortius, & plusquàm octingenti nobiles, multis tamen Saracenis interfectis*, Albericus. *Balduinus II. Imperator castrum de Namurco Ludouico Regi Franciæ inuadauit quinquaginta millibus librarum Parisiensium, & amplius.*

amplius. Et pro spinea Corona quæ Venetiis seruabatur, dedit ei Rex decem millia librarum, & qui ea requisierunt supra duo millia librarum impendere, quæ Corona recepta est Parisius infra Octauas Assumptionis, Albericus. *Idem sanctus Rex recepit sacras istas reliquias Senonibus postridie festi Sancti Laurentij cum fratre Roberto nudis pedibus, & solo indusio eásque Parisios curauit deducendas*, Galterus Archiepiscopus Senonensis, Nangius, Parisius, Godefridus in vita Sancti Ludouici. Natus est hoc anno Regi Hungariæ filius dictus Stephanus, item & Regi Nauarræ, cuius natalis dies magnificentissimè celebratus est. Item & Regi Angliæ natus filius dictus Eduardus. Salmaticensis Academia instituta est à Ferdinando, anteà Pallentiæ ab Alphonso collocata, *Mariana*.

Anno Christi MCCXL. Gregorius Synodum Romam conuocat, vt prouideat Coniunctioni Græcorum, & vt Tartaris occurratur: sed hanc impediit Fridericus veritus ne propter scelera in ea exauthoraretur, *Author vitæ Gregorij*, & *Litteræ Pontificiæ*. Ferraria capitur à fœderatis Insubribus, & Venetis, huiúsque Vrbis Præfectus Salinguerra datus est in vincula, & meritò malè tractatus. Iidem Veneti Friderici terras in Apulia missâ Classe vastarunt, *Rubeus*, *Ricardus*, *Monachus Patauinus*. Fridericus irruit in Romandiolam vbi Rauennam capit, & Fauentiam obsidet, quâ anno sequenti potitus est, *Ricardus*. Addit *Albericus* Viterbium, Marchiam Garneri, & totam Vallem Spoleti Papæ eripuisse. Ricardus Cornubiæ Comes cum luculento exercitu appellit in Palæstinam vbi res Christianorum valdè erant afflictæ, cuius tamen aduentu excitaræ sunt. Eius operâ maximè induciæ cum Sultano Babyloniæ initæ sunt; immò & cum Sultano Damasci, restituti captiui, multi ex vinculis Barbarorum erepti Christiani, *Parisius*. Certè Damasci Sultanus omnes terras Christianorum vltra Iordanem Christianis, *ait idem Parisius*, tradidit. Harum quoque induciarum meminit *Albericus*, & asserit ad triginta annos cum Sultano Damasci factas esse, cum Sultano Babyloniæ ad annos quindecim. Addit hunc Ricardum cum Simone de Monteforti milites octingentos duxisse, cum infinita pecunia, sed hæc reiicit in annum sequentem. In Vatacium excitatus est Hungarus, vt labenti Latinorum Imperio

ſubueniretur, vt conſtat ex *Litteris Pontificiis. Philippi Augusti filius Nothus electus Nouiomenſis Epiſcopus iuſſu Gregorij exauctoratus eſt, quia ſuſceptus erat de Soluta quidem, ſed à Rege vxorem habente*, vt liquet ex Epiſt. 115. ad Archiepiſcopum Remenſem, & ex Alberico. Pertinent ad hunc annum hoſtiæ Darocenſes, quæ inuolutæ Corporali dum Saraceni irruunt in Chriſtianos per Sacerdotem Sacra tum facientem poſt Victoriam illam nobilem in agro Valentino inuentæ ſunt ſanguinolentæ, & adhærentes Corporali, *Mariana lib. 3. & alij.* Tartari vexant Georgianos, qui à Latinis petunt auxilia, cùm ferri non poſſent ob Fridericum, Vatacium, & Saracenos, reſumpſerunt animos, & magnâ clade afflictos Tartaros è ſuis terris expulerunt, *Litteræ Pontificiæ*. S. Edmundus Archiepiſcopus Cantuarienſis exoſus Angliæ Regi ſponte exulat, & Pontiniaci pientiſſimè moritur, *Pariſius*. Rex Nauarræ, & Comes Britanniæ redeunt ex Palæſtina, *Albericus. Contra Sanctum Ludouicum rebellarunt quidam Hæretici Albigenſes, & dicebatur Comes Tholoſanus eis occultè fauere. Cùm ergo caſtra quædam occupaſſent, Rex Biturigas conuocauit Concilium cui interfuit Cardinalis Prænestinus, & tot miſſæ copiæ vt de his rebellibus Rex triumpharet*, Albericus. *Magiſter Iacobus de Vitriaco quondam Epiſcopus Aconenſis, tum Cardinalis Tuſculanus Romæ obiit Kalendis Maij*, idem Albericus. Alij tamen eius mortem in annum 1244. reiiciunt.

Anno Chriſti MCCXLI. *Ecclipſis Solis contigit die Dominico poſt S. Remigium 6. Octobris*, Albericus, Stadenſis, Pariſius, Author Chronici Auguſtenſis. Tartari irrumpunt in Poloniam, ac tandem ipſi ſæpè victi, dæmonum operâ, profligant Chriſtianos. In hac pugna ceciderunt Henricus Sanctæ Heduuiges filius, Boleſlaüs Marchionis Morauiæ filius, & multi nobiles. Inde graſſati ſunt impunè per Poloniam, Morauiam, Bohemiam, Hungariam, Sileſiam, Tartari; Colomanus in acie cæſus, fugit Bela Rex eius frater, qui ſe tributarium obtulit Friderico, ſi eum iuuare vellet, ſed is Pontificem quàm Tartaros peius oderat, *Pariſius, Albericus, Nangius, Longinus, Cromerus, Litteræ Pontificiæ, & alij.* Fridericus Beneuentum capit, item & Fauentiam longâ obſidione maceratam, *Ricardus à S. Germano.*

Pontifex offert Imperium filio Valdemari Regis Daniæ: sed recusauit ille, quod se imparem tanto oneri crederet: obtulit & Othoni Brunsuicensi; sed & iste reiecit, negans velle se mori, vt pater suus Otho. *Denique ad Imperium quoque vocatus est Carolus Andegauensis Sancti Ludouici frater; sed id prudentiâ Blanchæ matris discussum est, inquit* Albericus. *Historiæ Franciæ Scriptores tradunt id repudiasse Sanctum ipsum Ludouicum, quod crederet maius esse Franciæ Regis fratrem esse; quàm Imperatorem.* Fridericus Legatos Pontificis, & multos Præsules pergentes ad Concilium, & profectos ab vrbe Genua, cepit per Entium nothum suum, & Pisanos, & Siculos, qui magnam de Genuensium Classe retulere victoriam. Captiui ducti sunt Neapolim, & diris carceribus inclusi, atque atrocissimè tractati, *Stadensis, Monachus Patauinus, Ptolomæus Lucensis, & alij. vt liberarentur scripsit ad Fridericum accuratè S. Ludouicus, sed frustrà*, Nangius, Gregorius IX. Pontifex obiit ex mœrore 22. Augusti, cùm sedisset annis quatuordecim, mensibus 5. & 8. diebus, & annos prope centum attigisset, *Parisius, Westmonasteriensis, Stadensis, Patauinus Monachus, Ricardus, & alij.* Successit ei Galfridus Castillionæus Mediolanensis, dictus Cælestinus; qui post dies octodecim obiit, *Ricardus, Bernardus, Stero. S. Ludouicus in festo S. Ioannis fratrem suum Alphonsum apud Salmurium militem fecit, & instituit eum Ducem Aquitaniæ, & per vxorem suam Comitem Tholosanum. Idem Rex in Exaltatione S. Crucis recepit magnam portionem Sanctæ Crucis ad se transmissam Constantinopoli*, Albericus. Circa festum S. Ioannis mortuus est Azanus Bulgarus, qui reliquit ex priori vxore Colomanum: hic pepigit fœdus cum Latinis, sicut & Ioannes Ducas Vatacius, eiúsque filius, *idem Albericus.* Corpus Iacobi de Vitriaco translatum est Augniacum, *Ognies*, Diœcesis Leodiensis, ibíque perhonorificè tumulatum, *Albericus, cuius Chronicon hîc clauditur quod habemus in Bibliotheca Claromontana Parisiensi, & à nobis propediem edetur in lucem.*

Anno Christi MCCXLII. Tartari fœdè Hungariam populabantur, nec Fridericus licèt rogatus ferre volebat auxilium, quòd facilè poterat, *Ricardus in Chronico.* Tum Strigonium captum; ægrè repulsi ab Alba-Reguli Tartari, qui in Croatiam quoque irruperunt, repulsi tamen ab

vrbe Spalatho, *Longinus*. Exinde populatores isti ad sua recessere, sed tantam in his locis reliquere famem, vt superstites mortuorum cadaueribus vescerentur, *Nangius. Marchiæ Comes excitatus ab vxore sua fœmina nobili, sed impotente in Sanctum Ludouicum rebellat, & cùm ei viribus inferior esset, in auxilium Anglos accersit, sed omnes victi sunt ad Talleburgum suprà Carentonum fluuium, maximè S. Ludouici fortitudine. Marchianus cum vxore sua, ac liberis ad S. Regis pedes aduoluti veniam impetrarunt, ditionis suæ portione mulctati. Rex Anglus nusquam consistere ausus, & Burdegalam fugiens ægrè quinquennales inducias obtinuit*, Nangius, Ianiuillæus, Gaguinus, & alij Historiæ Franciæ Scriptores. Obiit hoc anno Henricus filius Friderici in pædore carceris apud Martoranum in Apulia, morte naturali, vt scribit *Ricardus*, iussu patris vt *Ptolemæus Lucensis*. Templarij in Syria nobilem de Saracenis retulere victoriam, *Parisius*, qui etiam asserit hoc anno primum prodiisse in lucem librum qui inscribitur *Testamentum xij. Patriarcharum*. Sed errat eum enim legerant *Origenes, & Procopius Gazæus. Eo denique anno Inquisitores Minoritæ & Dominicani cum aliquot aliis Religiosis, & Ecclesiasticis ad Auenionettum Diœcesis Tholosanæ proditi à præfecto Comitis, in ipsis ædibus Comitis, exultantes interfecti sunt ab hæreticis 4. Kalend. Iunij, nocte Ascensionis Domini. Sed posteà sumpta est vltio de istis carnificibus, iussu Comitis, ita volente Rege Franciæ, & in eodem loco suspensis*, Guil. de Podio Laurentij, Bernardus, Guido, & alij.

Anno Christi MCCXLIII. Fridericus laxat Cardinales aliquos quos habebat in vinculis, rogatus à Balduino Imperatore, qui eum conuenit, *Parisius, Ricardus, Vincentius, & alij*. Eligitur in Pontificem die festo S. Ioannis Baptistæ apud Anagniam Sinibaldus Fliscus Cardinalis titulo Sancti Laurentij in Lucina, & dicitur Innocentius IV. consecratus in die Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, cùm vacasset Sedes anno vno & nouem mensibus, *Parisius, Ricardus, Stadensis, Henricus Stero qui eum vocat Symbaldum, & alij*. Fuit ille Iurisconsultissimus, ideò dictus *Pater Iuris*. Innocentius Anagniâ Romam venit, & magnâ celebritate à Romanis recipitur: hunc adit Comes Tholosanus acturus de pace inter eum & Fridericum, *Ricardus à Sancto*

Germano, qui hîc suum Chronicon claudit. Vatacius in Oriente præualet; non tantùm Ioannem Comnenum agentem Imperatorem sibi subiicit, *Georgius Logotheta*: *sed Latinos etiam in eas coniicit angustias, vt Balduinum in Occidentem ire compelleret auxilia à Friderico petiturum; atenim tantùm abfuit vt hîc se opponeret Vatacio, quin potiùs ei filiam anno sequenti vxorem daret*, Parisius. S. Bonauentura dictus Ioannes in baptismo, votus à matre Sancto Francisco quadrimus, & eius precibus sanitati restitutus, hoc anno, ipse annos 23. natus, factus Minorita, & hunc Ordinem, totámque Ecclesiam mirè illustrauit, *Minorum Annales*. Obiit hoc anno in Tzebnicensi Monasterio 7. Idus Octobris (vel vt tradit *eius vitæ Author anonymus*, Idibus Octobris.) S Heduigis vxor Henrici Barbati Ducis Wratislauiensis, multis clara miraculis, *Longinus*, &c. *Corasmini populi vel Scythæ, vel Parthi, certè Sectâ Mahumetani, eiecti à Tartaris ex sedibus patriis, deinde ex Perside excitati sunt à Sultanis Ægypti & Babyloniæ ad inuadendam Palæstinam, quam miserè deformarunt; ceperunt Hierosolymam, & loca sacra ab aliis Saracenis seruata, inquinauerunt, & in die festo Sancti Lucæ Christianos & auxiliares copias Sultani Damasceni ingenti clade affecerunt; quâ periere penè omnes Templarij, Hospitalarij, & Teutonici equites*, Parisius, Nangius, Sanutus, Antoninus, Haytho, *& maximè* Litteræ Guillelmi de Castro-nouo Religiosi equitis: *At hi posteà à vicinis populis exterminati sunt. Tum captus Guillelmus de Brienna Comes Joppensis, inclytus Martyr, cuius meminit* Ianniuillæus in vita S. Ludouici. Hoc idem anno Tartari sæpè tentatos Turcos profligant, eósque sibi tributarios faciunt, *Vincentius*, *Antoninus*, *Leunclauius*, *Nangius*; id tamen *Haytho*, & *Bizarrus* in annum sequentem reiiciunt. Ferdinandus Rex Castellæ Regnum Granatense vastat & Giennium obsidet, quod intra octo menses capit, *Mariana*, *Rodericus Ximenes Toletanus* hîc finem suæ imponit Historiæ; anno, vt ipse scribit æræ 1281. Ferdinandi Regis vigesimo sexto.

Anno Christi MCCXLIV. Innocentius sperabat pacem à Friderico, qui ad sanam mentem redire videbatur: sed hic non diù promissis stetit, & paulò pòst Pontifici tetendit insidias. Itaque hic aduocatis Genuensium triremi-

bus, Genuam venit in suam patriam, *& inde transit Lugdunum vbi iussu Regis magnificè exceptus est. Hic duodecim Cardinales creauit, atque eis vsum Galeri Rubri concessit*, Parisius. *Grauissimo morbo afflictus Sanctus Ludouicus apud Pontisaram, ac penè depositus ad se redit, Crucémque sibi afferri iussit, quam accepit ab Episcopo Parisiensi, & voto se obstrinxit transmarinæ expeditionis, ac paulò pòst plenam valetudinem recepit, quam adscripsit reliquiis Sancti Dionysij eiúsque sociorum, Blanca mater Coronæ spineæ, aliisque reliquiis, quas desperato admouit*, Nangius, Ianniuillæus, Author vitæ S. Ludouici, Parisius, Westmonasteriensis. *Petrus Amelius Narbonensis Archiepiscopus hoc anno expugnato Castro Montis-securi asylo Albigensium ducentos & ampliùs vtriusque sexus pertinaces hæreticos combussit, cum duobus ipsorum Episcopis, reseruatis vitæ qui ad Ecclesiam rediere*, Guillelmus de Podio Laurentij, Bernardus, & alij. Concilium celebratum est Perthæ in Scotia, quod oppidum posteà dictum est Sancti Ioannis, præsente Alexandro Rege, vbi multa salutaria constituta sunt, quæ diù in hoc regno viguerunt, *Buchananus, & alij*. Hoc anno Iacobi Vitriaci mortem *Labbeus* collocat. Adolphus Comes Holsatiæ contemptis magnis opibus addixit se Ordini Sancti Francisci, in quo magna exempla pietatis, & deiectionis dedit, *Stadensis, Krantzius*, &c. *S. Ludouicus rogante Innocentio Thalmudicos libros deliriis, & blasphemiis refertos iam antè damnatos à Gregorio I X. & Academia Parisiensi, sed tum aliquorum manibus tritos, conquiri iubet, & publicè concremari. Item prohibuit ne Iudæi haberent nutrices, & famulas Christianas in fidei nostræ dedecus, & contemptum*, Litteræ Pontificiæ.

Anno Christi MCCXLV. Ecclipsis Solis contigit horâ primâ 25. Iulij, die festo S. Iacobi. Item circa Ascensionem Domini apparuit Stella splendida versus meridiem, quasi in Capricorno, instar Luciferi magna, & clara, sed rubra; quæ cùm certum Ortum & Occasum habuisset post festum S. Iacobi paulatim magnitudinem, & claritatem amisit, *Stadensis in Chronico*. Missi ad Tartaros Franciscani, duce F. Planocarpino, & Dominicani Duce F. Anselmo, seu Ascelino, diuersis viis in Tartariam progressi plura passi sunt, quàm præstiterunt, *Vincentius Bellouacensis, Anto-*

ninus, & horum Religiosorum hodæporia. Concilium generale Lugduni celebratum est die Lunæ post Natiuitatem Sancti Ioannis Baptistæ, in quo actum de deponendo Imperatore Friderico ob sacrilegia, hæresim, Saracenorum fauorem, necem Ducis Bauariæ. Et verò ibidem depositus est, eiúsque subditi sacramenti fidelitatis exsoluti, Stadensis, Parisius, Litteræ Innocentij, *&c. In eius locum electus Henricus VII. Lantgrauius Hassiæ & Turingiæ Leuir S. Elizabethæ*, Stadensis, Krantzius, Monachus Patauinus, & alij. *Odo de Castro Radulphi Cardinalis Episcopus Tusculanus origine Biturix, ex Cancellario Parisiensi Monachus Cistercienfis, vt quidam volunt, eligitur ab Innocentio ad promouendam Expeditionem in Terram Sanctam quæ in Synodo generali commendata erat, quod ille egregiè præstitit adnitente S. Ludouico iam Cruce-signato, qui hoc tempore Cluniacum venit, vt videret Pontificem. Hic autem in festo Sancti Andreæ Missam celebrauit, coram Rege, eiúsque matre atque fratre, Imperatore Constantinopolitano, filiis Regum Aragoniæ, & Castellæ, Duce Burgundiæ, aliísque Principibus, & plurimis Militibus, qui omnes Monasterio recepti sunt, neque tamen Monachi quidpiam de suis Religiosis locis reliquerunt*, Bibliotheca Cluniacensis. *Vtrum autem tum viderit Innocentium Lugduni, negat* Spondanus, *asserit* Odericus Raynaldus *ad hunc annum.* Sanctius II. eius nominis, à vestium forma cognomento Capellus, Lusitaniæ Rex, cùm ex facilitate in socordiam degenerasset, & in omnibus obsequeretur Mentiæ Hari Biscayæ Reguli filiæ, cuius amoribus implicitus erat, exauthoratus est, & regnum hoc administrandum suscepit Alphonsus Bononiæ Comes, reseruato tamen iure filiis Sanctij, iubente Innocentio. Consenuit Toleti Sanctius, vbi & obiit, *Mariana lib. 13. Histor. Hispan.* Ioannes Ducas seu Vatacius Bulgaris Serras eripit, & Melenicum, & aliquot Castra in monte Rhodope, mortuo Colmanno. Proditione quoque occupat Thessalonicam, deluso Despotâ Demetrio, *Georgius Logotheta.* Othoniæ Concilium habitum ab Vffone Archiepiscopo Lundensi contra rerum sacrarum contemptores, & direptores, *Appendix Pontani Histor. Danicæ.* Obiit hoc anno Rodericus Ximenius Archiepiscopus Toletanus dum pergit Lugdunum ad Innocentium, & sepultus Hortæ in Cœnobio in confinio regnorum Aragoniæ, & Castellæ,

Mariana, Surita, Loaisa. Mortuus item Alexander Alensis Anglus Minorita Magister SS. Thomæ, & Bonauenturæ Doctor Parisiensis, dictus Doctor Doctorum, Fons vitæ, & Doctor irrefragabilis, Vadingus, Bellarminus, &c. *Sanctus Ludouicus piâ fraude multos Cruciferos facit, noctu suis domesticis dans nouas vestes cruce-signatas elegantis operis*, Parisius.

Anno Christi MCCXLVI. Henricus electus Imperator Friderici loco inungitur Aquisgrani, *Parisius, Monachus Patauinus.* Insidiis appetitur Fridericus à suis Proceribus in Tuscia, in quos ipse seuerissimè animaduertit, *Parisius, Collenucius.* Henricus Lantgrauiæ edicit Conuentum Principum Imperij Francofurtum ad diem festum Sancti Iacobi 25. Iulij. Eò dum pergit cum expeditis copiis, ei occurrit cum exercitu Conradus filius Friderici 5. Augusti festo die Sancti Osuualdi; sed prælio victus, multísque Ducum & Nobilium suorum captis, fugit ad Othonem Bauarum, à quo benignè susceptus est: quare hic excommunicatus est ab Innocentio, quòd impediisset ne Conradus ex vniuersa Germania pelleretur, *Stadensis, Monachus Patauinus, Nauclerus, Trithemius, & alij.* Eodem anno Fridericus Austriæ Dux obiit, vel victus in prælio à Bela Hungariæ Rege ad Neapolim Austriæ, aut etiam victor, vel à suis laqueo suffocatus, pœnas certè multorum criminum luit; vnde & mortuus est sine prole, *Stadensis, Stero, Siffridus, Cuspinianus, Bonfinius, & alij. Sanctus Ludouicus omnem impendit operam vt Fridericus, & Innocentius reconciliarentur; sed suspicatus Pontifex dolos Friderici, gratias egit Sancto Regi*, Nangius, Ianniuillæus, Parisius. *Albigenses hæretici nondum planè sublati erant in Gallia Narbonensi, vt* ex Litteris Pontificiis intelligitur. Iacobus Rex Aragonum Episcopo Gerundensi, qui ipsi fuerat à Confessionibus, linguam amputari iussit, quod reuelasse visus esset Pontifici aliquid, quod ad eius amores iuueniles pertineret, *Mariana.* Concilia celebrata sunt hoc anno Wratislauiæ, *& Biterris, & hoc 13. Kalend. Maij contra Hæreticos. 16.* Kal. Iulij in Monasterio Aquileiæ in Brabantia Ordinis Cisterciensis obiit. Sancta Lutgardis dono prophetiæ, virtutibus omnibus, & multis miraculis clara, *Thomas Cunti-pratensis qui eius vitam conscripsit.* Armeni se subiicere coguntur Tartaris, sicut

ſicut & Princeps Antiochenus, *Pariſius, & Vincentius Bellouacenſis.*

Anno Chriſti MCCXLVII. *Balduinus II. Imperator Conſtantinopolitanus, erat Namurci die Mercurij poſt feſtum S. Barnabæ, anno octauo ſui Imperij*, Tabula quam profert Andreas à Quercu quâ probat Hiſtoriam Burgundicam. Hoc anno in Quadrageſima obiit Henricus Lantgrauius Imperator, *Stadenſis, Monachus Patauinus, Stero, Siffridus, & alij. Pariſius & Sigonius* aiunt in prælio contra Conradum fuiſſe victum, atque ex mœrore interiiſſe. *Nauclerus & Mutius* ſcribunt ictu ſagittæ ad vrbem Vlmam, accedente dyſenteriâ, occubuiſſe. *Trithemius & alij* ex ventris profluuio. *Auentinus* ex equi lapſu. In hoc Henrico Principes Thuringiæ, oriundi ex Carolo Magno, defecerunt, *Siffridus.* Datus eſt Henrico ſucceſſor in Imperio Guillelmus Hollandiæ Comes, Voringæ in Diœceſi Colonienſi, electus die S. Michaëlis, *Stadenſis, Stero, Monachus Patauinus, & alij.* Fridericus, videns fideles Germanos aduerſus ipſum inſurgere, percuſſores ſubornauit, qui Innocentium interimerent; ſed euanuit conſpiratio, Clerico Imperatoris Ocra quodam mortuo, qui in extremis poſitus meditatum facinus detexit, & duobus Militibus Italis Lugduni captis, & vi tormentorum coniurationem patefacere compulſis, *Pariſius.* Fridericus interim parabat luculentum exercitum, *& in ipſa Gallia, & Lugduni capere Innocentium meditabatur, euocatus, vt quidam putant, à Duce Burgundiæ*: ſed huic erepta Parma, & aduerſus eum à fœderatis munita, eundem retraxit in Italiam, *Monachus Patauinus. Subornati erant à Friderico quidam Galliæ Proceres, vt adimerent Clero, quam habebat in Iudiciis authoritatem, ſed hæc tempeſtas in Eccleſiaſticos fortitudine, & induſtriâ Innocentij diſcuſſa eſt*, Pariſius, & Pontificiæ Litteræ. Portio pretioſi Sanguinis Chriſti in Cruce effuſi allata eſt in phiala cryſtallina obſignata ſigillo Patriarchæ, & Magiſtrorum Templi, & Hoſpitalis, *Matthæus Pariſius.* Qui violarant Chriſti Sepulchrum Choraſminij hoc anno exterminati penitùs euanuerunt, *idem Pariſius.* Iconij de Signo Crucis apparuit miraculum triplex in vrſo, & duobus Saracenis qui eam violarant, *Nangius. Sanctus Ludouicus ſe parans ad iter tranſmarinum miſit Concionatores Minoritas*

& Dominicanos qui diligenter inquirerent si cui subditorum fecisset iniuriam, vt ipsi faceret satis, Parisius: *quod & eius Proceres aliqui fecerunt*, Ianniuillæus.

Anno Christi MCCXLVIII. Guillelmus Hollandiæ Comes designatus Imperator Aquisgranum, retentis aquis per aggeres, ad deditionem compellit, eámque ingreditur vltimo die Octobris, & sequenti die in festo Omnium Sanctorum inauguratus Coronam accepit Imperij, *Ioannes à Leidis, Parisius, Siffridus.* Conradus videns res sui patris defluere Hæreticis Circumcellionibus fauet, qui exorti sunt id temporis in Sueuia, inimici Pontificis, Episcoporum, Sacerdotum: at hi ab omnibus probis, & sapientibus sunt reiecti, *Albertus Stadensis*, & *Krantzius*. Tum in Italia Parmam obsidebat Fridericus, statutâ ad illam vrbem aliâ vrbe, quam Victoriam dixerat. Sed erumpentes fortiter Parmesani, implorato Dei & B. Virginis auxilio, Friderico venante, Thadæum Vrbis Iudicem & Custodem interemerunt, Victoriam diripuerunt, & incenderunt, antequàm suis ferre posset auxilium Fridericus. Itaque capta omnis eius pretiosa supellex, etiam Corona Imperatoria magni pretij, denique & Cremonensium Carroccium. Post tres dies reparare voluit cladem suam, & iterum Parmam obsidere, sed irrito conatu, *Parisius, Westmonasteriensis, Monachus Patauinus, Corius & alij. In Valle Mauriena Sabaudiæ contigit terræ motus horribilis, quo aliquot pagi montibus, & scopulis obruti sunt, & quo circiter nouem hominum millia perierunt, cum magno animantium numero*, Parisius. *Sanctus Ludouicus relictâ Franciæ administratione matri suæ Blanchæ feriâ vj. post Pentecostem Parisiis egreditur cum duobus suis fratribus Comite Atrebatensi & Carolo Andegauensi, peruenítque Aquasmortuas cum exercitu octauo Kal. Septembris, biduo post vela fecit, & 15. Kalendas Octobris in Cyprum appulit*, Nangius, Chronicon Sandionysianum, Ianiuillæus, & alij. *Dum moratur in Cypro S. Rex extremo Decembri ad eum accessere Legati Principis Tartarorum Elcathay nomine, per quos excitabatur ad expeditionem in Mahumetanos, & significabatur summum Tartarorum Chamum factum esse Christianum. Vtrique rescripsit Sanctus Ludouicus, misso ad vtrumque Fratre Andreâ Ordinis Prædicatorum, cum pretiosissimis muneribus*, Vincentius Bellouacensis,

Guill. Nangius, Ianiuillæus, Gaufridus, & alij. Apud quos etiam leges quæ in Insula Cypro Sanctus Rex in bonum Christianitatis confecerit Hispalis sese dedere coacta est Ferdinando Castellæ Regi, qui sexdecim menses in eius obsidione consumpsit. Nouemb. die 27. abiere, ex conditionibus, ab hac Vrbe vtriúsque sexus centum Maurorum millia, qui partim traiecerunt in Africam, partim per Hispaniam sparsi sunt. 22. Decembris Rex Vrbem ingressus est publicâ publicatione & solemni apparatu, *Author anonymus*, & *Mariana*.

Anno Christi MCCXLIX. Petrus de Vineis natione Italus, ex vrbe Capua, accusatus per Medicum propinasse venenum Friderico, huius iussu excæcatus, per vrbes traductus, ac Pisanis inimicis suis traditus, capite ad columnam allisο, sese interemit; Medicus suspensus est præualente aduersus vtrumque Aulicorum inuidiâ, *Ricordanus, Villanius, Parisius, Volaterranus, Collenutius, Sigonius, &c.* Entius filius Friderici, & ab eo Rex Sardiniæ constitutus ad Mutinam commisso cum Bononiensibus certamine victus, captus, & triumphatus est; sancitúmque ne vnquam ex carcere dimitteretur, sed in eo interiret. Quod & factum: licèt Fridericus modis omnibus eum eripere conaretur, etiam oblato circulo aureo, quo Bononia tota cingeretur; itaque vel in honesto carcere, vel in cauea ferrea, annis viginti tribus vixit, post mortem honorificè sepultus apud Dominicanos anno 1272. *Parisius, Rigordus, Villanius, Collenucius, Corius, &c. Sanctus Ludouicus cum lectissima Galliæ Nobilitate, Guillelmus à Longa Spata cum Anglis, Henricus Cyprius cum suis Cypriis, ad Damiatam appellunt* (quæ vel Pelusium, aut potius veterum Thamiatis est) *post festum Sanctæ Trinitatis facta est generosa exscensio, S. Rege primùm in aquas cum armis prosiliente, fugati Saraceni, etiam Damiatam, cui ignes iniecerant, deseruerant, munitissimam licèt, & cibariis, milite, armísque instructissimam. Paulò pòst adfuit Alphonsus Pictauiensis Comes Regis frater*, *qui soluens Aquis-mortuis exeunte Iunio sub finem Octobris Damiatam appulit. Cùm Nilus detumuisset Nouembris 20. die, versus Massoram* (quibusdam Pharamiam) *Christiani pedestri itinere, & Nilo castra mouerunt, & magnam vbique Saracenorum stragem ediderunt, obuiis cæsis, vel haustis*

Nilo. Res adeò bellè fluebant, vt breui Ægyptus tota Christiana expectaretur, Nangius, Ianniuillæus, Sanutus, Torsellus, & alij. Ioannes Parmensis Minoritarum Generalis à Pontifice missus est in Orientem, vt inchoatam à Fratre Laurentio irem Minorita vnionem Græcæ Ecclesiæ cum Latina perficeret, *Antoninus, Wadingus, Litteræ Pontificiæ*. Die 3. Iulij obiit Alexander II. Rex Scotorum, qui dum exscendit ex naui vt Oenum Argatheliæ dominuminiustis armis persequeretur, subitò lethali morbo correptus diuinitùs, *Parisius*. Aliter scribit *Hector Boethus*, & naturali morte obiisse tradit, ætatis suæ anno 51. regni 35. & Alexandrum III. filium ei successisse. *Tum quoque fato functus est Raymundus vltimus Comes Tholosanus, qui cum se parasset ad transmarinam expeditionem, & Massiliâ reflexisset iter, Æmiliani febre correptus interiit Sacramentis Ecclesiæ munitus; sic ad generum Alphonsum eius ditio rediit, & hoc sine liberis mortuo ad Regem Franciæ*, Guillelmus de Podio Laurentij.

Anno Christi MCCL. *Fluuium Taneos altissimum, duce quodam Ægyptio, transmisit pars exercitus Christiani, quam ducebat Robertus Atrebatensis Regis frater* 8. *Febr. die Martis priuij; sed hic dum audaciùs fugatos hostes insequitur ad vrbem Massoram cum multis Nobilibus cecidit, at per Pontem sublicium transmissus totus exercitus magnam edidit Barbarorum stragem, S. Ludouico cæteris prælucente, qui circumuentus à sex ferocissimis Saracenis, ab iis se expediit*, Ianiuillæus, & alij. *Exinde adfuit cum nouis copiis nouus Sultanus Meleschala filius mortui Meledini; Christianos lues inuasit; monetur S. Ludouicus æger recedere Damiatam: negat se deserturum suos; committitur acre certamen, in quo obruti Barbarorum numero Christiani; Rex captus cum duobus suis fratribus Alphonso Pictauiensi, & Carolo Andegauensi*, 5. *Aprilis Dominicâ in Albis. Recreatus ex morbo S. Rex cum Saracenis & Mammaluchis paciscitur; qui etiam eum sibi præficere voluerunt: reddita est eis* 5. *Maij die Ascensionis Damiata, quam suâ fortitudine seruarat Margareta Regis vxor: redditi à S. Rege Saraceni, non ab iis Christiani: vtrum autem trecenti nobiles tum excæcati, quibus Domum postea parauit S. Ludouicus, credes si voles. Rex hæsit in Palæstina, rogantibus Syris, vt eos foueret, vbi multa edidit pietatis & charitatis exempla*, Ianiuillæus, Nangius, Vincentius Bellouacensis, Epistola S. Ludouici

ad calcem Tomi I. de Gestis per Francos, & qui de hac expeditione scripserunt, *Mathæus, Parisius.* hoc anno finit Historiam suam inchoatam 1066. ab aduentu Normannorum. Probabile tamen est quod sequitur ad annum 1259. esse eiusdem Authoris, sed posteà ab ipso additum. Fuit hic Parisius denunciatus hostis Pontificum, & Ecclesiasticorum, in quos ex triuio arripuit quæcumque tum in eos iactabantur. Hoc anno Fridericus Eximperator obiit 13. Decembris die festo Sanctæ Luciæ, ætatis anno 57. sed de loco & genere mortis non est eadem omnium sententia. Quod attinet ad locum, quidam mortuum esse tradunt Panormi, alij Tarenti, alij Foggiæ; probabile magis interiisse Firenzolæ (seu in oppido Florentino) in finibus Aprutii, vt impleretur dictum Dæmonis, vt caueret sibi à Florentia; quare Florentiam Tusciæ hic nunquam ingredi voluerat. De genere mortis par discordia; alij morbo ex mœrore contracto; alij veneno, alij suffocatione per Manfredum nothum, quem constituerat Tarenti Principem, volunt extinctum. Dubitatur quoque de eius felice vel infortunato exitu. Quidam enim absolutum esse volunt ab Archiepiscopo Panormitano, agnouisse errorem suum, & magnas eleemosynas imperasse, atque restitutiones: alij impœnitentem & sine Sacramentis decessisse. Cæterùm vir Magnus fuit, fortis, eruditus, & in quo nihil præter pietatem desideraueris, *Monachus Patauinus, Siffridus, Rigordus, Corius, Blondus, Stadensis, Guillelmus de Podio Laurentij, Parisius, & alij.* Inuentus est posteà impostor Nussij, Coloniensis Diœcesis qui se Fridericum diceret: sed ab Archiepiscopo Coloniensi captus, publicè, eiusdem iussu, combustus est, *Siffridus, Joannes de Leidis, Chronicon Belgicum, &c.* Conradus Friderici filius 5. Kalend. Ianuarij Ratisponæ tantùm non est cæsus à Sicariis, authoribus Episcopo Ratisponensi Alberto, & Vlrico Abbate Sancti Emmeranni, quod Ecclesiam & Monasterium expilasset, *Nauclerus.* Erricus Daniæ Rex à minori fratre Abele cæsus est proditoriè, corpus in mare mersum supernatauit, miraculis claruit, *Krantzius, Stadensis,* qui eius necis participes fuerant malè perierunt; ipse etiam Abel cæsus à rusticis, cadauere volucres, & feras pauit, fuitque Dæmonum ac Lemurum ludus, *idem*

Krantzius. Mortuus eſt & alius Erricus Sueciæ Rex vir pius, & qui Eccleſiæ multùm profuit, *Joannes Magnus.* Hoc anno Cæſarauguſtæ à Iudæis interfectus eſt Dominicus puer Chriſtianus, natus cum corona in capite, & cruce in humero dextro: hic parieti clauis affixus & lanceâ confoſſus expirauit, ciúſque corpus in fluuium proiectum, detectum diuinitùs, *Hieronymus Blanca in Iacobo I.* B. Simon Stok Generalis Carmelitarum obiit Burdegalæ, *Chronicon Burdegalenſe, atque huius Ordinis Scriptores.*

Anno Chriſti MCCLI. Innocentius Lugdunum deſerit, quam vrbem, eximiis laudibus cumular, *Epiſtola Innocentij*, & pergit in Italiam. *Eum inuiſere cupit Blancha Regina mater Sancti Ludouici, licèt* ægra, *ſed id impedit Pontifex,* alia eiuſdem Epiſtola. Poſt Paſcha Genuam venit, & hinc Mediolanum 7. Idus Iunij, inde Brixiam, Mantuam, Ferrariam, Romaniam, ac denique Peruſij ſubſtitit, quia Roma turbata erat nouo dominatu inducto, *Hiſtoria Genuenſis, Corius, Sigonius, Blondus*, Conradus rebus in Germania deſperatis, quia Guillelmus præualebat à morte Friderici, collecto exercitu valido tranſit Alpes, & venit in Italiam, habitóque ſuorum Conuentu Goïti in Agro Mantuano, menſe Decembri Venetorum nauibus tranſit in Apuliam, in ſpeciem cum gaudio ſuſceptus à fratre notho Manfredo, qui hactenus Proregem egerat, & potitus eſt regno Neapolitano, præter Neapolim, Capuam, & Aquinum, quæ Pontifici conſtanter adhæſerunt, *Stero, Monachus Patauinus, Rigordus, Villanius, Collenutius, & alij. Apparuerunt hoc anno in Gallia, & Germania Paſtorelli ſic dicti, quòd agnum in ſuis ſignis militaribus præferrent, & Paſtores, Armentarios, Bubuleos, Subuleos ad ſua vocarent ſigna, duce quodam Iacobo Hungaro, Mago, & ſcelerato, qui ſuos prodere Sultano Babyloniæ pollicitus erat, ſub ſpeciem retrahendi ex vinculis S. Ludouici. Cæſus iſte à Bituricenſibus, hæc colluuies latronum, excommunicatorum, ſceleratorum euanuit,* Guil. Nangius, Pariſius, Sanutus, Torſellus, Antoninus, Nauclerus, Gaguinus, & alij. Chriſtianus Archiep. Moguntinus depoſitus, quòd arma in Conradum expedire nollet, prætexens dictum eſſe Petro, *Mitte gladium tuum in vaginam*, &c. *Anonymus de rebus Conradi, & Manfredi.* Innocentius mittit in Germaniam Hu-

gonem tituli Sanctæ Sabinæ Cardinalem Legatum, qui partes Guillelmi tueretur, & Principes Imperij eidem adiungeret, *Siffridus, Nauclerus*, &c. Rodolphus Comes Hafpurgensis in Ergouia, quod Sacerdoti pediti dedisset equum suum vt commodiùs deinceps deferret Eucharistiam, sicut & equum famuli, ministro huius Sacerdotis, ex reuelatione facta Inclusæ, sponsionem accepit Imperij, & sibi multis posteris suis, *Serarius rerum Moguntinarum libro 5. S. Ludouicus hæserat in Palæstina, & Ptolemaïde, rogantibus Christianis, vt eorum rebus prouideret, vbi multa edidit constantiæ, pietatis, & charitatis monimenta. Nam missam ad se pecuniam à matre fluctibus haustam vi tempestatis didicit eo vultu, quo S. Iob suas calamitates. Muniuit Cæsaream Palæstinæ, Sidonem, & Ioppem, immò & ipsam Ptolemaïda, adeo vt ipsis Principibus Saracenis esset admirationi. Hierosolymam adire noluit, quia iuris Christiani non erat, sed inuisit ædem Nazarethanæ, vbi Missam & diuinum officium celebrandum curauit*, Gaufridus de Belloloco, Nangius, & Galliæ Historiæ Scriptores.

Anno Christi MCCLII. *S. Ludouicus in Syria moratus tanti facit rem Christianam, vt eam regno suo præferat. Itaque offert Anglorum Regi Henrico Normanniam, si cum exercitu in Syriam traiicere velit, sed huic consilio Galli Proceres obstiterunt*, Parisius. *Mortua est hoc anno Kalend. Decembris, Dominicâ primâ Aduentus, Blanca S. Ludouici mater clarissima fœminarum sui temporis, & tum regni procuratrix. Sepulta est Malodumi à* Maubuisson, *iuxta Pontisaram, Ordinis Cisterciensis*, Parisius, Nangius, Ianniuillæus. *Hanc post mortem claruisse miraculis referunt vetusti Authores* Ioannes de Columna, & Didacus de Valeria. Conradus Neapolim post octo mensium obsidionem fame ad deditionem compellit, & contra pacta, crudeliter diripiendam militi obiicit, præcipuos ciues aut nece, aut exilio mulctat, maximè in Ecclesiasticos sæuit. Idem præstat Capuæ, & Aquini, sæuitiâ similis patri Friderico, feris moribus, quos saltem hic occultabat, *Collenutius, Iuuenatius, Summontius, Villanius, & alij.* In Insubribus multi scatebant hæretici, & inter cæteros, qui se *Credentes* appellabant, hos dum insectaretur S. Petrus Veronensis Dominicanus, corruperunt hi Sicarios promissis quadraginta libris Ticinensibus, vt eum tollerent.

Itaque eundem Como Mediolanum, cum Socio Dominico 8. Idus Aprilis Sabbato in Albis, Symbolum fidei clarâ voce recitantem, multis vulneribus confecerunt: anno autem sequenti ab Innocentio in SS. Martyrum album relatus est, festo in tertium Kal. Maias translato, ne in dies Paschales caderet, *Thomas Patriarcha Hierosolymitanus, S. Antoninus, Corius, Sigonius.* Innocentius sibi desperans ab Italis, quorum alij variis bellis distracti erant, alij fauebant Conrado, *Regnum Siciliæ offert Carolo Andegauensi S. Ludouici fratri, per Albertum Sedis Apostolicæ Notarium. Quod tamen tum non acceptauit absente fratre, sine quo res tanti momenti peragi non posset,* Litteræ Pontificiæ, & Historiæ Gallicæ, & Neapolitanæ Scriptores. *Parisius* asserit oblatum hoc regnum priùs Ricardo Regis Angliæ fratri per eundem Albertum, sed repudiatum esse, tum quòd impar esset tanto oneri, tum quòd Conradum affinitate contingeret. Mortuus est hoc anno 3. Kalend. Iunij Ferdinandus Rex Castellæ, atque Legionis anno ætatis circiter quinquagesimo secundo, Regni Castellani 35. Legionis 22. cùm bellum in Mauros Africanos pararet. Successit ei filius Alphonsus cognomento Sapiens, 3. Iunij, & ad perpetuam facti eius memoriam Tabulas suas, dictas de eius nomine Alphonsinas, ad meridiem huius diei primi Iunij defixit, qui dies cadebat in Sabbatum post 1999. annos Nabonasaris elapsos, & 230. dies: post 1575. annos & 230. dies ab obitu Alexandri Magni: post 1562. annos, & 8. menses anni Græci, seu Sleucidarum: post 1289. annos & 5. menses Æræ Hispanicæ: post 967. annos, 9. menses & 3. dies Æræ Martyrum seu Diocletiani: post 649. annos, & 123. dies Hegiræ, *Mariana, Tabulæ Alphonsinæ, & cæteri Historiæ Hispanicæ Scriptores.* Hoc denique anno, vt constat ex *Lamina ærea in Aula Sorbonæ*, statutum est à Roberto Sorbona, qui Sancto Ludouico charissimus fuit, teste Ianniuillæo, Collegium Pauperum Magistrorum, quod posteà Cardinalis Richelæus magnificentissimis ædibus illustrauit.

Anno Christi MCCLIII. Romana ciuitas absente Pontifice, & Perusij commorante, valdè turbata erat, quare euocare compulsa fuerat Bononiâ Brancaleonem Andalum hominem seuerissimum, qui ius Vrbi diceret. Accersunt

ſunt ergo Pontificem Romani, interminati ſe repetituros ab illo ingentem vim pecuniæ, quam pro Eccleſia aduerſus Fridericum effudiſſent, & inſuper Peruſium euerſuros. Cùm ergo receſſiſſet Innocentius Aſſiſium, minati quoque ſunt Aſſiſinatibus excidium, ſi Pontificem retinerent. His ergo commotus repetiit Romam, vbi magno cum honore ſuſceptus eſt: ſed poſteà in eum concitati tumultus, adeò vt eum ſui reditus pœniteret, *Pariſius*, *Sigonius*. Guillelmus Imperator retulit hoc anno inſignem de Belgis victoriam, multis cæſis, multis captis, ex quibus ingens eſt collecta pecunia, *Stadenſis*, *Pariſius*, *Siffridus*, *Cantipratenſis*. *Sanctus Ludouicus in Syria degens emiſit edictum vt Iudæi regno ſuo pellerentur, niſi qui mechanicis operibus vacare vellent. Excitatus fuerat exprobrationibus Saracenorum, qui dixerant hunc parum diligere Chriſtum, qui eius interfectores in ſuis terris tolerarct*, Pariſius. *Guillelmus de Sancto Amore Burgundus, ex oppido Sequanorum Amatore, Canonicus Bellouacenſis, & Theologus Pariſienſis Librum ſcripſit aduerſus Dominicanos, Minoritas, & alios Mendicantes, inſcriptum* De periculis nouiſſimorum temporum. *Nangius. Quomodo autem & quando damnatus ſit, infrà videbitur. Obiit hoc anno Comes Campaniæ, & poſteà Rex Nauarræ. 8. Iulij Theobaldus, vir armis, & litteris illuſtris, & laude digniſſimus, niſi de Eccleſiaſticis malè meritus eſſet, & toto triennio regnum eius Interdicto ſuppoſitum eſſet: ſucceſſit ei filius Theobaldus II. ſub tutela matris Margaretæ Arcimbaldi Borbonij, præſtantiſſimæ fœminæ, quæ rebus ſui filij optimè prouidit*, Surita, Mariana, Gomeſius. Obiit hoc anno in Vigilia S. Andreæ Otho Dux Bauariæ, & ſubitâ morte, ſerò cum vxore & familiaribus hilariter cœnatus, & ad Dei tribunal raptus, vt ſacrilegiorum, & criminum rationem redderet, *Annales Auguſtenſes*, *Stero*. Sanctiùs obiit Aſſiſij S. Clara, quam ipſe Pontifex Innocentius ægrotantem inuiſit, cui & manum oſculandam obtulit, illa & pedes voluit deoſculari. Animam Sponſo reddidit ſequenti die Sancti Laurentij, cuius funeri interfuit Pontifex cum Cardinalibus, & Ciuitate vniuersâ, nihilque propiùs abfuit, quàm vt eo iubente non demortuorum officium, ſed de Virginibus caneretur, tum autem monente Cardinali Oſtienſi eius Canonizatio dilata eſt, *Author vitæ Sanctæ Claræ*,

& Minorum Annales. Obiit & tum ei longè dispar F. Helias primus à Sancto Francisco Minister Generalis. Is se Friderico coniunxerat, etiam religioso habitu relicto; sed lethali morbo correptus resipuit, atque Ecclesiæ reconciliatus mortuus est, quod fuerat Sancto Francisco prænunciatum, *Lucas Wadingus*. Sanctus Stanislaus Polonus Martyr multis miraculis clarus Sanctorum numero est adscriptus, *Longinus, Litteræ Innocentij, quibus eius Martyrium & causa, atque miracula continentur.*

Anno Christi MCCLIV. Sattachus Rex Tartarorum Christo nomen dedit, sacris aquis elutus, misítque ad Innocentium Ioannem Presbyterum, atque idem Pontifex huic Principi gratulatus est, *Litteræ Pontificiæ*. Mortuus est hoc anno Conradus XI. Kalend. Iunij in Vigilia Ascensionis, cùm priùs fratrem suum Henricum sustulisset, annorum duodecim pulcherrimum puerum, cui pater regnum Siciliæ cum thesauris reliquerat. Obiit autem impœnitens, nullis munitus Sacramentis, partim ex mœrore obiecti sibi ab Innocentio sceleris, partim veneno quod ei languenti per clysterem Manfredus, iam parricida, immittendum curarat. Reliquit hæredem filium Conradum vulgò dictum Conradinum, ex Elizabetha filia Ducis Bauariæ. Ipsius cadauer, dum ei iusta persoluerentur Messanæ, dicitur combustum fuisse, templo præ multitudine cereorum inflammato, *Stadensis, Anonymus in vita Conradi, & Manfredi, Stero, Monachus Patauinus, Parisius, Ricordanus, Ioannes Villanus, & alij.* Innocentius auditâ Conradi morte venit Neapolim vbi amicissimè susceptus est, etiam à Manfredo, qui tum in gratiam est receptus. Sed paulò pòst ad ingenium suum rediit; cæsóque viro Pontifici acceptissimo, Luceriam fugit ad Saracenos, quorum armis Pontificium exercitum deleuit die 2. Decembris, *Iuuenatius, Villanius, Fazellus, Summontius, Blondus, Parisius, Monachus Patauinus, &c.* Non ita multò pòst 7. Idus Decembris, accedente ad morbum mœtore ex hac clade, mortuus est Innocentius, cùm sedisset annos XI. menses 5. dies 14. Neapoli sepultus, *Stero, Parisius, Monachus Patauinus, Sigonius, Onuphrius.* Hoc tempore sæuiebat Marchiæ Treuisinæ Tyrannus Ezelinus, tantâ crudelitate, vt à Dæmone generatus putaretur.

Ad quam cùm hæresim adiunxisset, ab Innocentio excommunicatus fuerat, *Corius*, *Monachus Patauinus*, *Litteræ Pontificiæ*. Subrogatus est Innocentio, Raynaldus Episcopus Ostiensis Neapoli 12. Kalend. Ianuarij die Natalis Domini coronatus, dictus Alexander IV. patriâ Anagninus, *Stero, Parisius, Nangius, Monachus Patauinus, & alij. Versabatur tum in Palæstina Sanctus Ludouicus, atque exemplo suo, atque pietate multos etiam Saracenorum conuertebat*, Gaufridus de Bello-loco, & Parisius. *Cùm auditâ morte Blanchæ matris, cuius nuncium accepit, vt talem filium decebat, & periculo, quod imminebat ab Henrico Anglo ex Aquitania, & à Guillelmo Imperatore ex Flandria, accedentibus insuper Procerum suorum precibus, rebus quàm optimè in Syria constitutis, in Vigilia Sancti Marci soluit Ptolemaïde cum Classe 14. nauium. Ad Cyprum nauis quâ ipse cum vxore ac liberis ferebatur impegit in rupem; & certum naufragij periculum eius precibus discussum est; ac demùm post aliquot alia discrimina appulit in Prouinciam vndecimo Iulij die Translationis S. Benedicti; inde perrexit Parisios & San-Dionysium, cuius Ecclesiæ multa dona contulit, non exuens Crucis signum, vt ostenderet intermissam esse potiùs transmarinam expeditionem, quàm relictam*, Gaufridus de Bello-loco, Ioannes Ianiuillæus, Guill. Carnotensis Dominicanus, Nangius, &c. *apud quos leges eius bona opera, & maximè Carmelitas ex Monte Carmelo deductos Lutetiam: vtrùm autem strumosos sanandi virtutem suis posteris impetrarit, an acceperit à prioribus Regibus & Clodoueo, non est huius loci pronunciare. Tum autem Angliæ Rex inuisit Sanctum Ludouicum, eum vocauit Regem terrestrium Regum, & eum semper medium locum tenere voluit inter se, & Regem Nauarræ, addiditque hæc verba:* Decentiùs sederis in medio, & digniùs; Dominus enim meus es, & eris, & superest causa, *Parisius cui fides adhiberi debet, hîc de Anglis, & Gallis loquenti.* Margarita à S. Ludouico suppetias petit aduersus Guillelmum Imperatorem, ad cuius auxilium missus est cum optimis copiis Carolus Andegauensis, *Meyerus in Annal. Flandriæ.* Quantum autem vilesceret sub Guillelmo Imperatoris nomen disces ex *Stadensi, Krantzio, Joanne de Leydu, Trithemio, & aliis*, quæ collecta leges *apud Spondanum sub huius anni finem.* Hoc denique anno pulsi sunt ex Aragonia Mauri, quòd in Iacobum Re-

gem aliis implicitum bellis rebellassent; & quanquam eorum sexaginta millia in armis essent, ij tamen cum vxoribus & liberis, iubenti Regi vt recederent in suis finibus, paruerunt; dissipati in Murciam, Granatam, & Africam, præter paucos, qui Duce rebellium Alazaracho in montana se recipientes; toto triennio, fauore Castellanorum, qui tum hostes erant Aragonum, multis commissis certaminibus sese fortiter defenderunt, *Surita, Mariana, Gomesius*.

Anno Christi MCCLV. Contigerunt hoc anno Eclipses duæ; Lunæ quidem die Martis 20. Iulij; Solis verò die Iouis 30. Decembris, *Pachymerius. Alexander Pontifex scribit ad Sanctum Ludouicum, & ad Academiam Parisiensem, eiúsque Litteris tam Regum Franciæ, quàm Vniuersitatis laudes continentur*, Registrum Alexandri IV. *Guillelmus de Sancto-Amore, cum Theologis quibusdam Parisiensibus accersitur Romam, ibíque accuratissimo examine liber eius* De periculis nouissimorum temporum, *aduersus Religiosos excutitur. Huic oppositus Bertrandus de Baiona Minorita, dictus in sæculo* Strabo de Baiona, *Guillelmi argumenta tam facilè repetiit, & dissoluit, vt Guillelmus exclamarit, quum eum de facie non nosset, eum esse vel Angelum, vel Dæmonem, vel Strabonem de Baiona, sic* Cantipratensis. *Tandem Pontifex librum comburi, & aboleri iussit, Guillelmum omni dignitate spoliari, non intrare Regnum Galliæ absque speciali facultate Pontificis, cui constitutioni nonnisi ægrè Parisienses Academici acquieuere, & tantùm anno 1260. atque potiùs ob Regem, quàm ob Pontificem*, Alexandri IV. 8. Constitutio, Wadingus, S. Thomas, Sanderus, Paulus Æmilius, & alij; quidam tamen in annum sequentem reiiciunt, & hanc opinionem sequutus est *Odericus Regnaldus*. Ezelinus Tyrannus in Arnoldum S. Iustinæ Abbatem crudeliter deſæuiit, quem diuturno carcere, & pane furfuraceo, & aquâ modicissimâ maceratum mori compulit, qui mortuus est vt olim sub Tyrannis, Confessores. Certè corpus eius integrum, & incorruptum posteà inuentum est, cùm honorificentiore loco tumulatum est, *Monachus Patauinus*, & *Bonifacius lib. 5. Historiæ Taruisanæ*. Sancta Clara ab Alexandro in Sanctarum numerum est adscripta, *Diploma Alexandri, vitam eius continens*; in hanc Hæretici de-

blaterant, & Sancti Francisci, per summam impietatem, Concubinam vocant, *Centuriatores Magdeburgenses*. Mortuus hoc anno Ioannes Ducas cognomento Vatacius seu Batatzes Græcorum Imperator, annos natus 60. aut 62 regni sui 33. correptus est apoplexiâ mense Februario, ex qua Medicorum arte respirauit, & vixit ad Decembrem, vir bello fortis, sed libidinosior, *Nicephorus Gregoras, Georgius Logotheta*. Alexander Pontifex Regnum Siciliæ concedit Eadmundo filio Henrici Regis Angliæ post festum Sancti Lucæ, *Parisius*, die 6. Nouembris *in Bulla ea de re confecta*. Manfredus vulgatâ Conradini nepotis sui morte, quam frustrà machinatus erat, missis ad eum fructibus veneno illitis, qui puerum eius loco suppositum ab Elizabetha matre, enecarunt, Regni Siciliæ, & Apuliæ coronam occupat, accito etiam ex Africa Saraceno milite, *Parisius, Ricordanus, Villanius, Antoninus, Nauclerus, Blondus, Fazellus, & alij*. 30. Nouembris Taurinenses instantibus Astensibus dominum suum Thomam ex Sabaudiæ Comitibus in vincula coniecerunt; de causa discrepant authores. *Hoc certum vnius Sancti Ludouici authoritate mulctatis seuerè Astensibus liberatum esse*. Ex eo Duces Sabaudiæ rectâ lineâ processerunt, cùm Amedeus IV. cognomento Magnus eius filius extiterit, *Parisius, Pingonius*, Lincolniæ in Anglia puer ab Iudæis crudeliter cæsus, detectum à pueri matre eorum crimen, cùm terra infossum sæpè eius corpus respuisset, *Parisius*.

Anno Christi MCCLVI. Guillelmus Imperator seu Rex Romanorum Frisonum regionem ingressus, eámque depopulatus, dum eos persequeretur per vliginosa loca glacie concreta, transitum quærens exercitui, suo equo deficiente, ab hoste iaculis & contis interfectus est: sepultus est in sepulcro sumptuosi operis, quod paratum esse Regi cuidam Romanorum, ab indigenis acceperat, *Stero, Chronicon Belgicum, Joannes de Leidis, Nangius, & alij*. Soror eius dicebatur Mathildis (aliis Margareta) nupta Comiti Hennembergensi, malè dicta Comitissa Hollandiæ, quæ vno partu 365. pueros ediderat, promiscui sexus omnes baptizatos, quòd fœminæ pauperculæ multorum liberorum matri, libidinem exprobrasset, hæc imprecata illi fuisset tot libe-

ros quot essent in anno dies, *Joannes à Leidis*, *Meyerus*, *Chronicon Belgicum*: *Auentinus* ei 1514. pueros assignat. Cùm Ezelinus more suo in omnes grassaretur, paratus est in eum Cruce-signatorum exercitus, duce Philippo electo Archiepiscopo Rauennate, Vexillifero Carello Patauino Minoritâ exule. Ab iis dum Mantuam obsideret Tyrannus, occupatum est Patauium: quo nuncio audito Mantuam reliquit, Veronam rediit, vbi duodecim millia Patauinorum crudeliter interemit, licèt eorum aliqui milites & satellites eius essent, *Monachus Patauinus*, *Sabellicus*, *Blondus*, *&* *alij*. Alexander monitus in somnis à S. Augustino, perficit quod inchoarat Innocentius, hoc est, multas Congregationes Eremitarum sub diuersis regulis, titulis, & vestibus viuentes in vnam Sancti Augustini Regulam redigit, primo eis dato Generali Lantfranco Septalano, *Bulla Alexandri*, *Pamphilius*, *Maurolius*, *&* *alij*. Ortum est hoc anno dissidium inter Venetos, Genuenses, & Pisanos, quod labantem iam in Palæstina rem Christianam penitùs euertit, ob templum S. Sabæ Ptolemaïde tribus illis gentibus commune, cùm singuli suum vicum, suum forum, suum prætorem, suas leges haberent. Vsurparunt hoc templum Genuenses, & Venetos vrbe expulerunt, illis fauente Philippo Monfortio vrbis Gubernatore. Quidam tamen volunt priuatam duorum hominum rixam huic malo causam dedisse. Veneti missâ Classe & auxilio Pisanorum, occupauere hoc templum & Genuenses cum Monfortio expulerunt. Alexander hos populos vtcumque reconciliauit, sed statim recruduerunt odia, quæ multo sanguine Christiano steterunt, *Sanutus*, *Villanius*, *Blondus*, *Sabellicus*, *Nauclerus*, *Bergomensis*, *Iustinianus*, *Nebiensis*, *&* *alij*.

Anno Christi M C C L V I I. Electores Imperij admoniti iussique non eligere in Regem Romanorum Conradinum, cùm ob patrem, & auum, tum propter ætatem, in alterius electione distracti sunt. Quidam enim Alphonsum Sapientem Regem Castellæ & Legionis, alij Ricardum Cornubiæ Comitem, Henrici Angliæ Regis fratrem, & filium Ioannis sine Terra, elegerunt. Huic enim dedere suffragia Archiepiscopi Moguntinus, & Coloniensis cum Ludouico Palatino Rheni, & Henrico Duce Bauariæ, & in die Ascen-

ſionis Domini Aquiſgrani inunxerunt, & coronarunt cum Sancia vxore: Illi Treuirenſis Archiepiſcopus ex authoritate Regis Bohemiæ, Ducis Saxoniæ, Marchionis Brandeburgici, & aliorum, *Henricus Stero, Pariſius, Monachus Patauinus, Villanius, & alij.* Ecclipſis Lunæ contigit hoc anno die Sabbati 18. Maij. Erat tum Generalis Minoritarum S. Bonauentura, quem ob virtutem, & doctrinam eximiè dilexit Alexander, vetuítque Franciſcanos vti priuilegiis ſuis, ſine eius licentia, *Diploma Pontificium*, & *Wadingus*. Obiit hoc anno Magnum Poloniæ, familiæ Dominicanæ, ac totius Eccleſiæ lumen S. Hyacinthus, dictus à Polonis Iaczko, ſeu Iacicus 15. Auguſti multis miraculis in vita, & poſt mortem illuſtris, *Longinus, Michonius, & alij Polonicæ Hiſtoriæ Scriptores. Cùm Sacerdos Miſſam celebraret in Sacello aulæ regiæ, viſus eſt in boſtia pulcherrimus puer; ea de re monitus S. Ludouicus vt hoc videret, accedere noluit, quia id perpetuò in corde credebat & videbat*, Villanius. Aſſaſinorum terra hoc anno à Tartari Duce Haolono fratre Mangonis magni Chami deſolata eſt, captæ omnes vrbes, & caſtra præter Tigadum caſtrum in cuius obſidione decem millia Tartarorum viginti ſeptem annos continuos poſuiſſe dicuntur, locúmque captum duntaxat deficientibus veſtibus iis qui obſidebantur, *Haytho, Pariſius*, & *Sanutus. Marcus Paulus Venetus* meliùs tantùm tres annos huic obſidioni tribuit, & caſtrum redditum ait deficientibus cibariis anno 1262. Obiit in Polonia Premiſlaus Dux Maioris Poloniæ, Princeps optimus, *Cromerus, Michonius. Sanctus Ludouicus induxit Lutetiam Fratres de Pœnitentia Ieſu Chriſti, Eremitas S. Auguſtini. Floruerunt & tum Maſſiliæ Serui S. Mariæ Matris Chriſti ſub Regula S. Auguſtini, diſtincti à Seruitis Italis*, Miræus. Haalonus Tartarorum Dux irruit in Turcos eóſque profligat, eorúmque ditionem occupat, fruſtrà iis opem ferente Michaele Comneno, & Theodoro Imperatore, *Georgius Logotheta*, qui tamen eos populos non Tartaros, ſed Tacharios appellat.

Anno Chriſti M C C L V I I I. *Sancti Saturnini corpus Tholoſæ inuentum, multis miraculis claruit*, Bernardus in Chronico. Graues Romæ concitantur ſeditiones: reſtitutus per populum, in carcerem datus Brancaleo, hic ſpreto Ponti-

fice primarios viros patibulis affixit, atque ita se gessit vt Pontifex sibi ex Vrbe demigrandum Viterbium putaret. Manfredus fauit Brancaleoni, qui in fautores Pontificis sæuiit; nec finem furendi fecit, nisi cùm in obsidione Corneti morbo correptus, Romam se referri iussit, vbi & obiit magnificè tumulatus, *Parisius, Nangius, & alij.* Ezelinus Legatum Pontificis Philippum inconsultè pugnantem apud Sambarum ad Ollium fluuium capit, ac vincit, vrbem Brixiam iterùm deditione recipit, & in ea duas arces statuit, *Monachus Patauinus, Blondus, Sigonius, & alij. Rubeus* liberatum ab Ezelino scribit, *Monachus Patauinus* fugisse ex vinculis Marchionis Palauicini, Brixiam post introitum Ezelini occupantis. Moritur Theodorus II. Lascaris filius Vatacij hoc anno, & obiit, verè pœnitens, ac cum magno sensu pietatis. Reliquit filium Ioannem nondum octennem, (alij sexennem tradunt) cui tutores dedit Arsenium Patriarcham, & Muzalonem obscuro loco natum, sed charissimum sibi, qui tutelam deponere voluit, sed prohibitus est: nihilominùs paucis pòst diebus per Proceres cæsus, & in eius locum substitutus ab eis Michaël Paleologus, qui statim variis artibus ad Imperium aspirauit, *Nicephorus Gregoras, Georgius Logotheta, Pachymerius.* Idem *Pachymerius* scribit sexto die ab obitu Theodori Lascaris insignem Solis defectionem contigisse, adeò vt vnius horæ spatio densissimæ horrerent tenebræ, stellæque in cælo apparerent. Iussu Alexandri Pontificis liber inscriptus *Euangelium æternum,* vulgatus à Ioanne Parmensi, multos continens errores & ineptias, flammis crematus est, *Chronicon Augustense, Nauclerus, Platina, Aymericus, & alij.* Vtrùm autem hic Ioannes fuerit Generalis Minoritarum, Legatione Constantinopolitanâ insignis, negat *Wadingus*, & hunc asserit sancto fine post annos viginti obiisse. Graue bellum exortum est inter Genuenses, & Pisanos, quod impedire conatus est Alexander vtpotè rebus Palæstinæ perniciosissimum, *Bizarrus*, & *Litteræ Pontificiæ.* Hoc quoque in Orientem pertinebat, Venetis aduersus Genuenses commissis: Genuenses enim ad Tyrum grandem à Venetis accepere cladem, auxilio maximè Pisanorum, *Monachus Patauinus, Bizarrus, Dandulus, Continuator belli sacri, & alij.* Tartari hoc

anno

anno Duce Hoalono obſedêre Baldacum, caput Mahumeticæ ſuperſtitionis, quam & hic cepit, cum Calipha, quem mori fame coëgit inter aurum, argentum, & pretioſos lapides, quorum in hac vrbe incredibilis reperta eſt copia, *Haytonus*. *Sanutus* ait Caliphæ gutturi aurum liquatum infuſum eſſe, & Calipham Halao totam regionem obtinuiſſe. Perturbata eſt hoc anno valdè Bulgaria, Michaële Rege cæſo Trinobi, à ſuo conſobrino Callimano, & eo quoque ſublato Conſtantinus ab ordinibus Rex electus eſt, *Georgius Logotheta*, & *Nicephorus Gregoras*. *Sanctus Ludouicus & Iacobus Rex Aragoniæ Carbolium conuenerunt menſe Maio, hic iuſceſſit in nonnullos Ducatus, & Comitatus Galliæ Narbonenſis; ille ſupremum dominium in Comitatum Barcinonenſem, aliáſque Catalaniæ terras. Cuius fœderis ſigillum fuit Iſabella Iacobi filia natu minima Philippo S. Ludouici ſecundo genito deſponſata,* Surita, Mariana. Nangius *in annum* 1262. *reiicit, quo hæ nuptiæ conſummatæ ſunt.*

Anno Chriſti MCCLIX. Romæ tumultus continuatur per Nobiles, quorum turres deiecerat Brancaleo: eius auunculus, Senator electus à populo, acriter ſe defendit, *Pariſius*, *Sigonius*. Ezelinus Tyrannus Mediolanum occupare tentat; ſed ſpe ſuâ deiectus dum ſe recipit, concluſus à fœderatis Cremonenſibus, Ferrarienſibus, Patauinis, Mediolanenſibus, dum Pontem Abduæ nititur perrumpere, ſagittâ vulneratur in pede: dúmque fugit Bergomum interceptus eſt à victoribus viuus die feſto Sanctorum Coſmæ & Damiani die Sabbato. Soncinum deductus, ex mœrore magis, quàm ex vulnere impœnitens obiit propè ſeptuagenarius, ſepultus excommunicatorum more, *Monachus Patauinus, Ptolemæus Lucenſis, Boſius, Corius, Anonymus de Conrado, & Manfredo, & alij*. Tartari de ſubiugando Occidente cogitant, &. Belam Hungariæ Regem ſibi conantur adiungere: ſed à Pontifice is animatus eſt, eíque ſunt promiſſa auxilia, *Litteræ Pontificiæ*. Pertinet ad hunc annum initium dominationis Scaligerorum Veronæ, cùm Sanbonifaciani Guelphi vi recepti eſſent in hac vrbe; Mox tamen præualuere, factione populari Gibellini, qui Præfecturam Maſtino Scaligero detulerunt, ex quo ad alios Scaligeros deuolutus eſt iſtius vrbis dominatus, *Monachus*

Patauinus, Corius, Sigonius. Holmia *Stocholm* Suecici Regni caput hoc anno condita est in agro aquis salubribus perfuso, ad mare Balthicum, & munita firmissimis propugnaculis, vt appellere eò Moschi, Russi, & Tauestij prohiberentur; sicque sensim excreuit, vt fieret huius Regni Sedes, *Magnus lib.* 19. *cap.* 18. Ricardus Romanorum Rex creatus est, & sic cultus à Germanis eius pecuniâ delinitis: sed posteaquàm hæc defecit, à multis relictus est. Itaque rediit in Angliam, curâ Imperij sibi fidelioribus demandatâ, *Parisius, Trithemius.* Cùm ergo quasi interregnum esset in Germania absentibus Ricardo, & Alphonso, Othocharus Bohemiæ Rex multas Prouincias suo regno adiunxit variis pretextibus, & ditionem suam à sinu Hadriatico, ad mare Balthicum extendit. *Hîc verè Historia* Parisij *desinit, cui tantùm dabis fidei, quantùm denunciato Pontificis, & Gallorum inimico;* Hunc excipit *Villelmus Monachus Westmonasteriensis,* dictus *Florilegus*, longè *Parisio* modestior, & accuratior, *Spondanus.* Albertus Magnus Dominicanus fit Episcopus Ratisponensis, & inuitus quidem: quare Episcopatum post biennium deseruit, & cùm pauperem & obæratum ingressus esset, expeditum & diuitem reliquit, *Auentinus, Bergomensis, Trithemius.* Michaël ex materna origine Comnenus dictus, ex paterna Palæologus, qui viuente Theodoro Imperatore, ob suspicionem affectati Imperij periculum adierat vitæ, & profugerat ad Turcos, tum opibus, amicis, & simulatione potens, primùm Dux dicitur, deinde Despota; denique paulò pòst elatus in clypeum acclamatus est Imperator eius nominis octauus, excogitatis etiam ab Episcopo Thessalonicensi ex voce μύρτου vaticinationibus. Patriarcha Arsenius incertus quid ageret, tandem Michaëlem adegit iurare se Imperium puero redditurum cùm adoleuisset, nec eius vitæ insidiaturum. Victus à Ioanne Sebastocratore Michaëlis fratre, alter Michaël Ætoliæ & Epiri Despota Imperium affectans, & victus cum Villarduino Achaiæ ac Peloponesi Principe, & Manfredo Siciliæ Rege, quos ille flagitiosè deseruit. Manfredus ægrè aufugit, captus Villarduinus tribus se vrbibus Tænaro, Epidauro, & Spartâ redemit, *Nicephorus Gregoras, Georgius Logotheta, Pachymerius, Georgius Phranzes. Parisienses Academici fautores Guil-*

lelmi de Sancto Amore de more Religiosos turbant. Apparitor etiam Academiæ, concionem habente S. Thomâ, ausus est libellum proscriptum *ab Episcopo aduersus Religiosos spargere: quare iussu Alexandri Papæ hic excommunicatus, & officio suo submotus est*, Epistola Pontificis. *Ludouicus primogenitus Sancti Ludouici obiit Parisiis, eius corpus delatum est Sandionysium, ei succollante Angliæ Rege cum Baronibus Franciæ & Angliæ. Tum Pontifex sanctum Regem consolatus est.* Nangius, Epistola Alexandri Papæ. *Balduinus pacem petit à Michaële per Legatos suos, sed ab eo repellitur, & irridetur*, Georgius Logotheta. *Sanctus Ludouicus pepigit cum Rege Angliæ, vt hic cederet iure Normanniæ, Andium, Turonum, & Pictauum, & potiretur tantùm vlteriore Aquitaniâ, esset vnus ex Paribus Franciæ, acceptâ insuper pecuniâ pro reliquis iuribus: quæ Rex piè magis, quàm prudenter fecisse dicitur*, Nangius, Parisius, & Historiæ Gallicæ Scriptores.

Anno Christi MCCLX. Alexander Manfredo reconciliari conatur, quòd eum prævalere videret: & reuerà reconciliatus esset, si exules hic restituisset, & Saracenos expulisset ex Italia. Sed è contra Tyrannus iste nouos ex Africa Saracenos acciuit, quos infudit in Campaniam, & alias Italiæ partes, suscepítque Gibellinæ partis patrocinium aduersus Guelphos addictos Pontifici, *Iuuentius Eques emeritus Manfredi, & Matthæus Spinellus.* Albericus frater Ezelini Tyranni, auditâ fratris morte se recipit in Castrum S. Zenonis cum familia sua, & thesauro; vbi statim à fœderatis obsessus, post multa certamina, & longam obsidionem à suis traditus obsidentibus, filiis eius sex crura & brachia amputata in conspectu patris, duæ filiæ nubiles viuæ exustæ, pater alligatus ad caudam equi tractus per castra, & forficibus discerptus obiectus est feris cum liberis, *Monachus Patauinus, Iouius, Sigonius, Bossius, Corius, & alij.* Multa Concilia iussu Alexandri celebrantur in Occidente pro auertendis Tartarorum irruptionibus: sed hi conuersi sunt in Syriam. Et vero Haolonus accito Haythone Armeniæ Rege cum suis copiis Alapiam expugnauit nouem diebus, eius autem Arcem diebus vndecim, potitus Sultani thesauro, liberis & vxore. Quo audito Sultanus, qui tum erat Damasci, ad eius aduolutus est pedes, & partem tantùm

ſuæ ditionis expetiit, ſed ſpe ſuâ excidit, & cum ſua familia miſſus in Perſidem. Armeno multa loca conceſſa; parabat & tollere Saracenis regnum Hieroſolymitanum: ſed auditâ morte ſui fratris Mangonis Imp. Tartarorum, receſſit vt eius hæreditatem adiret, quâ tamen fruſtratus in Perſidem abiit, vbi & periit. Reliquerat autem in Syria Guigogham Ducem cum decem millibus Tartarorum, optimè in Chriſtianos affectum; ſed is ob mortem nepotis ſui, ab iis alienatus eſt. Victus eſt hic à Sultano Ægyptio. Filius Haolonis Abagha Perſide potitus minùs in Chriſtianos benè affectus fuit, ſicque eorum res conciderunt, *Haytho, Sanutus, Sabellicus, & alij.* Scholaris Fribergæ in Miſnia ardens amore puellæ, cum Mago in cellario inter magicas cautiones alliſus ad parietem interiit, & impoſitus Mago totâ nocte lamentabiles edente voces: indéque ægrè ab accurrentibus extractus eſt, *Siffridus Preſbyter.* Florentini victi cum Guelphis die 4. Septembr. Florentia ipſa capta à Gibellinis in verba Manfredi iurarecompulſa eſt, nihilque propiùs abfuit quàm vt ipſa deleretur; vnus obſtitit Farinata Vbertus licèt Gibellinus, ſed bonus ciuis, *Ricordanus, Malaſpina, Ptol. Lucenſis, Villanius, Aretinus, S. Antoninus, & alij.* Magnam retulit victoriam de Hungaris, eorúmque Rege Bela Othocarus Bohemorum Rex, ponte etiam ex cadaueribus conſtructo, *Bonfinius, Dubrauius, Monachus Patauinus, & alij.* Coloniæ 13. Martij Concilium celebratum eſt, de continentia Eccleſiaſticorum, & conuerſatione Monachorum, *Collectio Conciliorum.* Florere cœpit hoc anno Raymundus Lullus Maioricenſis laïcus, litterarum rudis, Philoſophus tamen & Theologus, de quo poſteà accuratiùs, *Bernardus Lutzemburgus, Prateolus, & alij.* Obiit hoc anno Accurſius Florentinus Iuriſconſultus anno duodeoctuageſimo, qui Gloſſas edidit in totum Ius Ciuile, ſepultus cum filio Franciſco item Iuriſconſulto in eodem tumulo marmoreo Florentiæ, *Volaterranus.* Mortuus item Henricus III. Dux Brabantiæ, ad cuius viduam Aliſiam filiam Ducis Burgundiæ, ſcripſit *D. Thomas præcepta benè viuendi.* Apparuerunt denique hoc anno in Italia Flagellantes authore quodam Eremitâ Rainerio viro eximiæ ſanctitatis, qui minabatur morituros eos lue, qui peccata non

expiatent pœnitentiâ. Hinc agmina virorum & fœminarum ſeſe loris acetbè cædentium : hi dicti *Deuoti* , & hic *Annus deuotionis*, Epiſcopis & Magiſtratibus, exemplo ſuo, cæteris prælucentibus. Prohibiti tamen in quibuſdam locis, immò & poſteà in Sectam hæreticam degenerarunt, *Stero* , *Monachus Patauinus* , *Sigonius* , *&* *alij*.

Anno Chriſti MCCLXI. obiit Viterbij 25. Maij, die feſto S. Vrbani Alexander IV. vir eximius, & in viros doctos liberalis, *Weſtmonaſterienſis* , *Nangius* , *Monachus Patauinus*, qui ait hunc nullos creare Cardinales voluiſſe, quia tum erat inter eos diſſentio quibuſdam volentibus *ædificare Sion in ſanguinibus* , aliis cupientibus idoneos promoueri : itaque Papâ moriente erant tantùm nouem Cardinales, quorum vnus aberat in patria ſua, Hungarus. Tandem conſenſerunt vt vnum extra ſuum corpus eligerent, Iacobum Pantaleonem, aliter de *Curto Palatio*, Patriarcham Hieroſolymitanum, ſed tum caſu pro negotiis Palæſtinæ exiſtentem in Curia. Hic erat natione Gallus, patriâ Trecenſis, filius Sutoris veteramentarij , ſed litteris excultiſſimus. Electus eſt 29. Auguſti, coronatus die Dominicâ 4. Septembris, *Monachus Patauinus* , *Appendix Bergomatis*, *Weſtmonaſterienſis* , *Anonymus Siculus* in vita Conradi , & Manfredi. *Plerique ſcribunt* receptam *hoc anno à Græcis Conſtantinopolim ſecundùm Græcos 6769. Quidam tamen anno præterito , quidam ante biennium. Meliùs hoc anno occupata perhibetur die 25. Iulij 4. Indictionis , poſtquàm à Latinis 59. ſeruata eſſet. Capta eſt autem ab Alexio Cæſare cognomento Strategopulo , per quoſdam ruſticos qui oſtenderunt veterem cuniculum, per quem immiſſi quinquaginta armati , vigilibus occiſis , portam patefecerunt reliquiis copiis. Cæſar quatuor locis ignem admoueri iuſſit; fugit maturè Balduinus, cum Patriarcha Iuſtiniano Pantaleone , & multis aliis, qui excepti ſunt Venetorum nauibus , qui tum Daphnuſiam obſidebant , & abierant ab vrbe. Quidam Genuenſes fauiſſe Palæologo volunt. Michaël piè vrbem ingreſſus eſt, præcedente S. Virginis imagine Hodegeſtriâ ; triumphauit Alexius, tamen paulò pòſt hic victus, & captus à Michaële Deſpota Epiri, atque Ætoliæ traditus eſt Manfredo Siculo genero ſuo, vt liberaretur eius ſoror relicta Vatacij olim Imperatoris* , Georgius Logotheta cuius Chronicon hîc deſiit, Nicephorus Gregoras, Georgius Phran-

zes, Cantacuzenus, Continuator Patisij, Nangius, Sanutus, Pachymerius, & alij. Salisburgum hoc anno fœdus iniit cum Philippo Archiepiscopo intruso, Bohemiæ Rege sollecitante, abiectis partibus Vdalrici, qui neque se, nec vrbem tueri poterat. Sed anno insequenti, Dux Bauariæ fauens Vdalrico vrbem cepit, & inflammauit, atque ei arcem imposuit ad frænandos ciues, & iterum 1263. obsedit, sed obsidionem soluit panico terrore compulsus, audito tonitruo, indutiis datis, & Philippo exauctorato, *Auentinus, & alij.* Michaël Palæologus, inito fœdere cum Michaële Despota datâ eius filio Nicephoro Annâ suâ consobrinâ, violato sacramento Ioannem pupillum suum iam decennem, & multa signa edentem futuræ virtutis, orbauit oculis, obiectu peluis ignitæ: quo audito scelere eum excommunicauit Arsenius Patriarcha. Michaël supplici habitu, & cultu restitutionem expectauit; sed cùm Arsenius eam constanter negaret illum calumniis oppressum iussit in Præconnesum deportari, eiúsque loco Germanum III. Archiep. Hadrianopolitanum substitui, *Nicephorus, Pachymerius, Phranzes, & alij.* Tum Peram seu Galatam incoluere opifices Veneti, & Pisani; ipsi etiam Genuenses, licèt Græcorum amici, quos non est passus Michaël in vrbe degere, *Nicephorus Gregoras.*

Anno Christi MCCLXII. Vrbanus causam Alphonsi & Ricardi Angli de Imperio dirimere conatur, sed Alphonsus negat hanc controuersiam à Rom. Pontifice solui posse, nec velle se eius iudicio acquiescere, *Litteræ Pontificiæ.* Deliberant Germani de eligendo in Imperatorem Conradino: verùm hoc consilium discutit Pontifex, *Litteræ Vrbani.* Pontifex in Manfredum Ecclesiæ hostem promulgari iubet crucem. Hic Saracenos immittit in terras Ecclesiæ, ipsúmque Vrbanum intercipere conatur per Ducem suum Perceuallum de Auria: at hic in Nigrum fluuium lapsus dum copias traiicit, nusquam deinde comparuit, *Iuuenatius, Summontius, Villanius, Gregorius Decanus Baiocassinus in vita Vrbani, Theodoricus Vallicolor, & alij.* quidam tamen reiiciunt in annum 1264. Manfredus offert filiam suam Constantiam Petro Iacobo Regis Aragonum filio, cum dote trium millium vnciarum auri, quod acce-

ptauit Iacobus renitente licèt Pontifice, quam dotem ex ſuis populis Manfredus extorſerat, quatuor inſuper imperatis, quæ ſibi reſeruaret, *Summontius*. *Surita* tamen & *Gomeſius* dicunt quinquaginta millia vnciarum auri, *Mariana* duodecim auri vnciarum Myriadas. *Sanctus Ludouicus auditâ earum nuptiarum famâ, deſtitit à proſecutione matrimonij filij ſui primogeniti cum filia Regis Aragonum, quam rem ei Vrbanus gratulatus eſt*, Litteræ Pontificiæ. *Quàm fuerit autem conſcientia Sancti huius Regis delicata, in alienis terris inuadendis diſcitur*, ex Epiſtola eiuſdem Vrbani ad Albertum Notarium, *quem ipſe miſerat in Gallias.* Vrbanus abſoluit Henricum Angliæ Regem, eiúſque filium Eduardum ab obligatione iuramenti, per vim extorti à ſuis Baronibus; *eidémque Regi S. Ludouicus aduerſus ſubditos ſuos rebelles auxilia ſpondet*; vnde tamen tumultus recruduere, qui tamen vtrimque compoſiti, in apertum poſteà bellum eruperunt, *Weſtmonaſterienſis, & Continuator Pariſij.* Saraceni Reges Mahometes Almazar Granatæ, & Hudiel Murciæ, vterque Feodatarius Alphonſi Caſtellæ Regis, ſpe auxilij Africani, à Familia Merinorum quæ hîc dominatum vſurparat, arma capiunt; ſed hi domiti ſunt, maximè auxilio Iacobi Regis Aragonum, qui in hoc bello nequaquam ſuo genero Alphonſo defuit, ſed hunc milite, pecuniâ, ſuâque manu fortiſſimè iuuit, *Gomeſius, Surita, Mariana.* Obiit hoc anno B Ægidius S. Franciſci ſocius, ſolo audito Paradiſi nomine raptus in ectaſim, multis miraculis in vita, & poſt obitum clarus, *S. Antoninus, Wadingus in Annalibus Minorum.* Veneti cum Balduino coniunguntur vt Michaëlem Palæologum deturbent Conſtantinopoli, *quibus & adiungitur S. Rex Ludouicus, ſed pium eius conſilium turbauit controuerſia Margaritæ vxoris ſuæ, & Caroli Andegauenſis fratris ſui de Prouincia, quam ſibi deberi illa contendebat iure primogenituræ, hic prolatis teſtamenti tabulis*; hanc autem litem componere omni ope conatus eſt Vrbanus, *Litteræ Pontificiæ.* Vrbanus partim hoc anno, partim ſuperiori 14. Cardinales creauit, *Vrbani vitæ Scriptor, Thodoricus Vallicolor, Maſſonius, & alij.*

Anno Chriſti M C C L X I I I. Ecclipſis Solis contigit die Dominicâ 5. Auguſti, *Annales Sueuici*. Bendochar Sultanus Babylonius cum triginta millibus Equitum die 14.

Aprilis venit ante Ptolemaïda, eiúsque viridaria combussit, fuítque in magno periculo ciuitas. Eodem quoque mense Monasterium Bethleemiticum Saraceni destruxere, *Sanutus*. Nazaretum quoque occupauere, Ecclesiam Montis Thabor euertere, *Litteræ Vrbani ad Sanctum Ludouicum*, in quibus etiam ait nobilem Nazarethanam Ecclesiam *intra cuius ambitum Virgo salutata fuerat ad solum redactam esse, & structuram eius nobilem omninò destructam*, Sanutus, qui tamen hanc grassationum causam reiicit in Hospitalarios, & Templarios, qui Saracenos retinebant cùm hi Christianos dimisissent. Is Bendochar nobilem legationem ad Iacobum Aragonem misit eius nominis famâ commotus, & hic vicissim ad illum cum magna honoris significatione, *Surita, Gomesius. Centesima à Clero Gallicano in quinquennium imperator; cui restitere Galliæ Præsules, & maximè Archiepiscopi Rhemensis, Senonensis, & Bituricensis*, Litteræ Vrbani ad Bituricensem & Senonensem Archiepiscopos. Tartari quoque in Palæstinam imminebant, *Litteræ Vrbani ad Ægydium Tyrensem Archiepiscopum*. Commissi quoque hoc anno Veneti atque Genuenses. Illi enim Tyrum, vbi hi publica prætoria habebant oppugnarunt, sed auxilium vrbi tulere Acconenses, pugnámque diremerunt, *Sanutus*. Cùm autem iidem Genuenses in odium Venetorum Schismaticis Græcis fauerent, & Palæologo, contra Balduinum, perculsi sunt Anathemate, iísque est interminatus Pontifex se vrbis Archiepiscopum ablaturum, *Epistola 44. lib. 2. Vrbani. Sanctus Ludouicus Iudex constitutus in causa Anglicana, Ambiani 23. Ianuarij magno conuentu ab Henrico Rege pronunciauit sapientissimè; sed huic iudicio non acquieuit Simon Monfortius, & aliqui Proceres (aliis Regi assentientibus) & iterum ad arma ventum est, quibus Anglia est deformata.* Quo audito misit Vrbanus Guidonem Cardinalem Episcopum Sabinensem, vt dissidia componeret. Sed hic susceptus non est, & Bononiæ maritimæ hærere coactus, *Parisij Continuator, Westmonasteriensis, Walsinghamus, & Registrum Clementis anno 1.* Noruegi sub Rege Hacone seu Haquino cum Scotis bellum gessere pro Æbudis Insulis seu Hibridibus: victus terrestri prælio Haquinus, classem tempestate perdidit; itaque recessit in Orcadas Insulas, vbi obiit mense Decembri: successit

ei

ei filius Magnus, qui honestis conditionibus cum Alexandro Scotorum Rege fœdus iniit, *Hector Boetius, Buchananus, Pontanus.* Videns Vrbanus sæuire Manfredum, neque se huic parem esse, *Carolum Sancti Ludouici fratrem, vocat ad Regnum Siciliæ, virum fortem & diuitem, & huic propugnando idoneum. Huic etiam offert Senatoriam Romæ dignitatem. Annuit ille Pontificis voluntati adnitente potissimùm Beatrice vxore, quæ vnam se coronâ carere dolebat, ipsa trium Reginarum soror, & consentiente S. Ludouico tribus de causis quas profert* Ptolemæus Lucensis: Author vitæ Vrbani, Ricordanus, Antoninus, Nangius, Villanius, & alij. Vrbanus Pontifex causam excutit Ricardi Cornubiæ Comitis, & Alphonsi Regis Castellæ vti constat *ex eius varijs Litteris*, apud Odericum Reynaldum: at quominùs litem dirimeret impedierunt turbæ Anglicanæ. Alphonsus sibi sepulchrum parat in vrbe Gadsira in templo S. Crucis, quam & vrbem diligentissimè munit, vt esset terrori Mauris Africanis, *Mariana, & Litteræ Vrbani.* Lithuani Polonos vexare desierunt, cæso à suo nepote eorum Principe Mendulpho, qui quiescens interemptus est. Percussor cæsis aliquot Mendulphi liberis inuasit Tyrannidem, *Longinus.* Ossa Sancti Antonij Patauini in nouum templum delata, quod ei condiderant ciues, Tyrannide Ezelini liberati. Cæterâ consumptâ carne lingua inuenta est integra, quam & tractauit manu & laudauit S. Bonauentura Minoritarum Generalis, *Sanctus Antoninus, & Wadingus in Annalibus Minorum. Celebratur Concilium Rhedonense die Lunæ post Ascensionem per Vincentium de Pilenis Archiepiscopum Turonensem, & Suffraganeos, vbi multa statuta ad Ecclesiæ præsidium atque dignitatem.*

Anno Christi M C C L X I V. Manfredus in Italia de more sæuiit multásque Pontificias vrbes, & castra occupat, conatur insuper Româ potiri proditione Petri è Vico, & aliquot sociorum eius, qui cùm occupassent insulam Tiberis à Guntelino Prosenatore Gallo cæsi vel capti sunt, *Author vitæ Vrbani.* Instituit hoc anno Vrbanus Festum Corporis Christi cùm degeret in Vrbe-veteri, quod addixit Feriæ 5. post octauam Pentecostes; & cùm Sanctus Thomas in hac vrbe doceret magno plausu, Pontificis iussu Officium Corporis Christi composuit plenum ingeniosæ

pietatis. Inſtitutum eſt autem hoc feſtum ex occaſione miraculi quod contigit Vulſiniis in æde Sanctæ Chriſtinæ, vbi gutta conſecrati ſanguinis cadens in corporale illud puriſſimo ſanguine multis in plicis intinxit. Quod corporale ſeruatur in Eccleſia Cathedrali Vrbis-veteris, & populo religiosè oſtenditur, *S. Antoninus, Bulla Vrbani, & in Clementinis de reliquiis, &c.* Id anteà fuerat diuinitùs reuelatum S. Iulianæ virgini Leodienſi, quæ & aperuit Vrbano tunc Archidiacono Leodienſi, & aliis piis viris, atque ipſi Epiſcopo, qui eam reuelationem approbarant; quidquid garriant Centuriatores malo ipſi afflati, & diabolico ſpiritu, *Io. Dieſtenius, Ioannes Chapeauillus, Gretſerus, & alij.* Hoc anno ingens Cometes apparuit ab Oriente ſurgens, & vſque ad medium Hemiſpherium caudam protrahens, & menſibus Iulio, Auguſto, Septembri mortales in Italia, Gallia, Græcia, Syria perterruit inſigni ſuo ſplendore, *Theodoricus Vallicolor, Supplementum Pariſij, Ricordanus, Bernardus Guidonis, Antoninus, & alij.* Hic prænunciare viſus eſt Vrbani obitum; vbi enim primùm apparuit, cœpit hic ægrotare. Mortuus eſt Peruſij 2. Octobris cùm ſediſſet annos tres, menſem vnum, & dies quatuor: Vir ſanè magnus & cui Eccleſia multùm debet. Sepultúſque ibidem in Eccleſia Cathedrali S. Laurentij: vacauítque Sedes quatuor menſes & ampliùs, *Supranominati Authores.* Obiit quoque eodem anno, ſed ante Vrbanum Azo Marchio Eſtenſis, relicto hærede nepote ſuo Opizone, quem filius eius Raynaldus in carcere Siculo ſuſceperat, *Monachus Patauinus.* Iazygas Metanaſtas Polonis infenſos hoſtes Boleſlaüs pudicus Dux Minoris Poloniæ aggreſſus menſe Iunio acerrimo prælio pugnantes fortiùs, quàm cautiùs ita deuicit, vt ad internecionem deleret; eorúmque regione potitus reliquias gentis, pœnâ capitis propoſitâ baptizari præcipit, eóque Colonias immiſit, *Cromerus lib. 9.* Pax Anglicana *per S. Ludouicum procurata*, turbata eſt; Simon enim Monfortius collecto ingenti exercitu Henricum aggreditur ad Leuuenſe oppidum 14. Maij. Vbi Eduardus Henrici filius victor dum perſequitur Londinenſes, præcipuos rebellium fautores, & qui matrem eius malè acceperant, ad 4. milliaria, cum robore exercitus, & victores Regij caſtra rebellium diriperent,

occaſione acceptâ Simon irruit in Regem, eúmque cum Ricardo Rege Romanorum, equo ſuffoſſo cepit. Eduardus rediens relictus à ſuis victus eſt. Alij volunt pacem procuratam eſſe per Dominicanos & Minoritas, *Weſtmonaſterienſis, Continuator Pariſij, Walſinghamus, & alij.* Turbata quoque Aragonia, ſubditis in arma contra Regem ire paratis, quod *Præfecti Iuſtitiæ* authoritas imminui videretur; ſed obſtitere viri pij, réſque ſapientiùs iure tranſacta, *Surita, Mariana, Gomeſius.* In Lithuania Tyrannus Stroymath cæſus eſt, à Voyſlak Mendolfi filio, in Ruſſia Monacho, qui patris vindex ſibi coronam aliam impoſuit, *Longinus lib. 7. Hiſtor. Polonicæ.* Tartari cum Hungaris fœdus inire conantur, vt faciliùs in Occidentem prorumperent: at hoc diſcuſſit Pontifex Vrbanus, Belâ eiúſque filio Stephano inter ſe reconciliatis, *Litteræ Pontificiæ, & Cantipratenſis.* Michaël Palæologus aggreſſus Michaëlem Deſpotam Epiri, & Achaiæ, viſo Cometâ recedit feſtinus Conſtantinopolim; verùm in itinere tantùm non incidit in manus Conſtantini Bulgarorum Principis, qui tum cum Tartaris & Scythis Thraciam populabatur: itaque ſe conicecit in duas Latinorum triremes, quæ tum adaquabantur, per quas incolumis in vrbem reductus eſt: ſed Thracia tum planè deſolata eſt, hominibus, & beſtiis abductis, *Nicephorus Gregoras.* Quando idem Palæologus filium ſuum Andronicum, quæſitâ ei vxore Annâ filiâ Regis Hungariæ inſignibus Imperij exornauit, & permiſit edictis ſubſcribere litteris purpureis, ſed ſine menſe, & Indictione, *idem Gregoras.* Idem quoque Palæologus ſeu ex pietate, ſeu vt ſtabiliret Imperium, præ ſe tulit magnum ardorem reconciliandæ Eccleſiæ Orientalis cum Latina, vt liquet *ex libro 3. Epiſt. Vrbani, Epiſt. 134.* & ob eam cauſam miſſus eſt Conſtantinopolim à Pontifice Epiſcopus Crotonienſis, *Theodorus Vallicolor apud Maſſonium lib. 5.*

Anno Chriſti M C C L X V. cùm ſupra quatuor menſes vacaſſet Petri Sedes, tandem electus eſt Guido Cardinalis Epiſcopus Sabinenſis, Gallus ex oppido S. Ægidij de nobili familia Groſſa, cuius pater Fulcodius poſt mortem vxoris Germanæ factus Carthuſianus obiit religioſiſſimè, diuinis etiam dum viueret reuelationibus illuſtratus.

Aberat autem Guido detentus Legatione Anglicanâ, & quoad potuit Pontificatum deprecatus est. Vxorem duxerat ex qua liberos susceperat, ac primùm arma secutus, iuri se deinde tradidit in quo sic excelluit, vt *Lumen Iuris, Primarius Consultorum, & Iurisconsultorum peritissimus* appellaretur. Quare Sanctus Ludouicus eum fecit Aduocatum suum, & à Consiliis Regiis, eúmque in oculis tulit. Dictus est Clemens IV. Viterbij 22. Febr. quo coronatus est, *Ptolemæus Lucensis, Iordanus, Nangius, Stero, Ricordanus, Antoninus, Platina, &c. Carolus Andegauensis S. Ludouici frater, designatus à Pontifice Rex Siciliæ, quamquàm ei Manfredus Alpium fauces, per Palauicinum præclusisset, Mare per Pisanos, Tibridis fauces sudibus, & saxis obturasset inter procellas maris, dictitans virtutem fortuna superiorem esse, superatis omnibus periculis Romam feriâ 4. ante Pentecostem classe inuectus peruenit, vt alij scribunt, in peruigilio Pentecostes. Tunc conditiones à Clemente propositas accepit*, quæ extant in libro priuilegiorum Ecclesiæ Romanæ, *sícque 28. Iunij constitutus est Rex vtriúsque Siciliæ cis Pharum, & vltra Pharum, exceptâ ciuitate Beneuentanâ. Adhac exercuit Romæ Senatoriam dignitatem*, Ptolemæus Lucensis, Summontius, Monachus Patauinus, Nangius, & alij. Atenim *Gallicus exercitus transire Alpes non poterat*: quare Pontifex militiam sacram in Italia exciuit, quâ iter huic patuit; sícque multi populi Manfredi partes eiurarunt, *Ptol. Lucensis, & Litteræ Pontificiæ*. Petrus Iacobi Aragonum Regis filius ad Murciam congregatos Saracenos profligat, & Murciam obsidet, *Litteræ Clementis*. Alphonsus Rex Granatæ Regem sibi reddit vectigalem, *Ptolemæus Lucensis*. Saraceni in Palæstina castrum Arsuf munitissimum expugnant, *Sanutus*. Tentarunt etiam castra Peregrinum, & Caïphæ, vnde tantùm virtute propugnatorum repulsi sunt, *Sanutus, & Litteræ Clementis*. Caïphæ tamen castrum postmodum ab iis destructum est, *Litteræ Clementis*. Rebelles Angli Barones duce Gilberto Glouerniæ seu Glocestriæ Comite rebus gerendis cum Simone Monfortio Præfecto, sed iam non ferente filiorum Collegæ sui superbiam, transierunt in partes Henrici Regis, & Eduardo captiuo elapso coniuncti prælium conseruerunt, in quo cæsus est Simon, pessimè habitus post mor-

tem Rex restitutus dignitati suæ, coactus à Simone pugnare in filium, quo in prælio etiam vulneratus est, sed leuiter. Liberatus quoque Ricardus captiuus: corpus Simonis iussu Clementis exhumatum, quia ab eo aliàs Legato excommunicatus obierat. Quamquam aliqui putarint eum miraculis claruisse, quæ metu Regis compressa dicuntur fuisse, *Westmonasteriensis*, *Continuator Parisij*, *Polydorus*, *&* *alij Historiæ Anglicæ Scriptores*. Eodem anno recusauere Archiepiscopatus nobiles Neapolitanum, & Eboracensem in Anglia, hunc Sanctus Bonauentura, illum Sanctus Thomas, *Epistola Clementis* 171. *libri* 1. *&* *Sanctus Antoninus*.

Anno Christi M C C L X V I: *Carolus Siciliæ Rex unà cum Beatrice coniuge à quinque Cardinalibus die festo Epiphaniæ in Ecclesia S. Petri coronatus, & inunctus est*, Bernardus, Ptolemæus Lucensis, & alij. *Statim se munere Pontificio dignum Carolus reddidit; duxit enim copias ad Lirini fluuium, vbi potitus est Ceperano, eiúsque ponte, sine certamine, cedente Comite Casertano, quem huic ponti Manfredus præfecerat. Cessit autem in odium Manfredi, qui non ita pridem illius vxori vim intulerat, licèt eius soror esset: tum Sangermanum occupauit, operibus, naturáque munitissimum, cum præsidio mille equitum, &* 5000. *peditum electorum ex Saracenis, Apulis, & Germanis, quorum maxima pars cæsa. Denique die Veneris* 26. *Februarij, ad Beneuentum cum Manfredo ipso pugnam atrocissimam conseruit, in qua prostratus ipse Carolus à viris fortissimis decem qui in eum conspirauerant; verùm ab iis se expediens, & resurgens, redintegrauit certamen, in quo interfectus Manfredus, Proceribus suis omnibus aut cæsis, aut captis*, Nangius, Stero, Guil. de Podio Laurentij, Blondus, Antoninus, Fazellus, Villanius, Corius, Collenutius, & alij. *Corpus Manfredi post tres dies inuentum sepultum est ad ripam fluuij qui Beneuentum alluit, aggesto super illud à militibus aceruo lapidum. Eius vxor cum liberis & aliquot Proceribus in vinculis publicis Neapoli decessere; alij emissi, qui posteà Carolo fuerunt infidi. Beneuentum ingressi cum fugientibus Galli, vrbem fœdissimè diripuerunt*, Litteræ Clementis. *Neapoli thesaurus Manfredi inuentus in tres partes à Caroli quæstore diuisus est, vna Regi, altera Reginæ, tertia militibus cessit*, Villanius, Ricordanus, Collenutius,

Summontius. *Sic toto Regno potitus Carolus cuius affinitatem Balduinus II. Imperator olim Constantinopolitanus, & Villarduinus Achaiæ Princeps prensauere*, Iuuenatius, Summontius, Gregoras, & alij. Murcia expugnatur à Iacobo Aragonio, cùm ipse à pellice sua sic expugnatus esset, vt peteret à Pontifice separari à sua coniuge quasi leprosa, vnde increpitus est à Clemente, *Litteræ Pontificiæ.* Alphonsus quoque Castellanus Mauros domat, ac sibi vectigales facit, *Mariana lib.* 13. Res quoque Anglicæ compositæ curâ, & studio Ottoboni Cardinalis Legati, *Westmonasteriensis.* Poloni nobilem de Ruthenis eorúmque Principe Suarno (qui Tartaros in auxilium suum euocarat) victoriam retulere duce Petro Palatino Cracouiensi. Victi etiam castra, & omnia sua impedimenta perdiderunt, quanquàm quatuor Polonum vnum aggrederentur, neque longo post tempore Poloniam vexarunt, *Cromerus, Longinus.* Hæc victoria adscripta est precibus Boleslaï pudici Minoris Poloniæ Principis, & vxoris eius Kingæ siue Kunegundis, cui oranti assistere visi sunt SS. Geruasius, & Prothasius, quorum memoriæ sacratus erat dies, quo pugnatum est, *Longinus.* Bendochar castrum Saphet expugnauit, vbi & multos Martyres fecit, excitatos à duobus Minoribus, qui cum Priore Templariorum excoriati sunt. Locus vbi eorum corpora iacebant iussit Sultanus maceriâ circumdari, quia singulis noctibus super ea videbant lucem splendentem, etiam Saraceni, *Sanutus, Siffridus, Litteræ Clementis.* Armenia quoque vexata à Saracenis atque desolata, & Haythonij, auxilij causâ profecti ad Tartaros, filiorum altercæsus in acie, alter captus, *Haytho, Litteræ Clementis, Sanutus. Comitia Generalia Minoritarum Lutetiæ celebrata sunt, quibus præfuit Sanctus Bonauentura, vbi & habitæ disputationes publicæ, in omnibus comitiis deinceps semper celebratæ*, Wadingus in Annalibus Minorum.

Anno Christi MCCLXVII. Ecclipsis Solis contigit anno Græcorum 6775. die Mercurij 25. Maij. *Nicephorus Gregoras. Tunc creatus à Pontifice Carolus non Vicarius, sed vt ipse scripsit Pontifex* Paciarius, *seu pacis sequester; in Tusciæ partibus Romano subiectis Imperio. Quod Manfredi fautores eo sublato, in Conradinum respectarent*, Litteræ Pontificiæ. *Polli-*

citus est Carolus se hanc dignitatem post triennium depositurum, Liber priuilegiorum Romanæ Ecclesiæ. Conradinus in Italiam suscipit expeditionem Mense Octobri cum suo cognato Friderico Austriæ Duce, & lectissimis copiis Veronam obsidet, atque excommunicationem Pontificis incurrit, *Monachus Patauinus*, *Villanius*, *&c.* Sed quibus authoribus, nemo facilè statuet. Plerique tamen huius faciunt irruptionis authores duos fratres Hispanos Henricum, & Fridericum Regis Alphonsi Castellæ filios. *Mariana*, *Nangius*, *& Villanius* de Friderico tacent, & Henricum vnum nominant, saltem primum eius authorem, *Blondus ex Scriptis Cardinalis Aragonensis*, *S. Antoninus ex Leonardo*, *Marineus Siculus.* Certum est autem Henricum insignem proditorem fuisse, multùm nocuisse Carolo, à quo vti consanguineus benignè fuerat susceptus; Fridericum fratri tulisse suppetias, sed proditoriè, adductis octingentis equitibus Hispanis. Quid autem fecerint ambo isti perfidiosi disces *ex Epistolis Pontificiis*, *Nangio*, *&* *aliis. Contra Carolum multi insurgunt*, *Romani*, *Senenses*, *Siculi*, *quibus & Saraceni Luceriani*, *atque Africani se coniunxerant*, *adeò vt ancipiti distraheretur bello; Supra reliquos ei negotium exhibuit Henricus Castellanus*, *factus Senator Romanus*, *cum Galuano quodam scelerato*, *qui tandem pœnas luit Carnificis manu*, S. Antoninus, & Litteræ Pontificiæ. Turbæ Anglicæ iterum recrudeuere, Gilberto Glouerniæ Comite Londinum occupante: sed arcem tutatus est Legatus Ottobonus Cardinalis. Accurrit ad Patris & Legati auxilium Eduardus cum triginta hominum millibus, per quem rebelles ad obsequium rediere, *Westmonasteriensis*, *Epistola Clementis* 138. *lib.* 3. Concilia duo habita sunt hoc anno, vnum Wratislauiæ in Silesia die festo Purificationis ex Episcopis Poloniæ, pro subueniendo Terræ Sanctæ, cui præfuit Guido Cardinalis, *Michonius lib.* 3. Idem quoque aliud habuit Viennæ (non Veronæ) 10. Maij, ex Episcopis Diœceseon Salisburgensis, & Pragensis, *Stero apud Canisium*, *& inter Concilia*, *vbi extant eius Acta integra. Sanctus Ludouicus cum tribus filiis die festo Annuntiationis die Dominicâ vouet Expeditionem aduersus Saracenos*, Nangius, Gaufridus de Bello-loco, & Clementis Epistola, *quare Clero Gallicano triennalis imposita Decima*, *quam*

hic permolestè tulit, Litteræ Clementis. *Atque vt Sanctus Rex propitium haberet Deum suis armis, sanctissimas leges edidit, de corruptelis Iudicum, de Blasphemiis, lusoribus, meretricibus*, quas leges apud Nangium, Ianiuillæum, & Gaufridun de Bello-loco. Perseuerant in Oriente bella inter Venetos, & Genuenses, quæ tollere Pontifex, & S. Ludouicus frustrà conati sunt, *Sanutus, & alij.* Clemens ad Palæologum rescribit, eúmque accendit in Saracenos exemplo S. Ludouici, Litteræ Clementis; certè anteà missi erant Apocrisiari Minoritæ qui coniunctionem Græcæ Ecclesiæ cum Romana vrgerent; sed improbauit ab iis acta, quia authoritatis sibi commissæ limites excesserant, *Clementis Litteræ.* Bendochdar suburbana Ptolemaïdis deuastauit, immò & Antiochiam oppugnauit, *Sanutus, Stero, Bernardus, Villanius, Longinus seu Duglofchus.* Elchanes Apucha, seu Abuga Tartarorum Imperator, se Christianum esse finxit, & exitium Saracenorum meditari, *Litteræ Clementis datæ Viterbij, Haythonus, Sanutus.*

Anno Christi MCCLXVIII. *Deficiunt à Carolo Siculæ vrbes delinitæ litteris Capitij, de aduentante Conradino*, sed in fide mansere vrbes præcipuæ Messana, Panormus, Syracusæ, *Anonymus author Siculus. Itaque Carolus in Siciliam arma conuertere compulsus est, in qua Fulco è Podio Ricardi Dux eius insigni Siculorum proditione victus fuerat*, Epistola Clementis. Conradinus intereà Veronam venit, & inde Ticinum, ideóque afflatus anathemate, nisi desereret Italiam: perrexit & Pisas vsus classe Pisanorum: quare Pontifex die Ascensionis in eum eiúsque fautores sententiam excommunicationis confirmauit, *Litteræ Clementis.* In gratiam Pisanorum Conradinus Lucensem agrum populatur: cui dum obsistere molitur Caroli Præfectus prope Laterinum pontem à Gibellinis per insidias superatus est. Quare ferox iuuenis Senas ingreditur, & inde Romam venit, vt se Henrico proditori coniungeret; prope Viterbium transiit adeò vt videri posset à Pontifice, qui hanc victimam ad cædem pergere prædixit, *Jordanus, Nangius, Ricordanus, Monachus Patauinus, &c.* Expilata sunt hoc tempore Romæ omnia sacra per Henricum, & in hanc vrbem omni militari licentiâ sæuitum, *Anonymus Siculus*, quanquam Romæ triumphantium

tium more exceptus esset Conradinus, *Stero.* Hinc profectus est in Apuliam, *cui occurrens Carolus ad Lacum Fucinum prælium commisit 23. Augusti. Hîc primo impetu ab Henrico Hispano deuicti Carolini: sed dum eos hic insequitur, vicit ipse Carolus Conradinum, & plenam victoriam consequutus est maximè prudentiâ Erardi, seu Alardi Valeriaci, qui ex Palæstina redux, cum aliquot aliis, egregiam in hac pugna nauauit operam. Capti in fuga Conradinus, Fridericus Austrius, & Henricus Hispanus. Hic traditus ab Abbate Cassinate, spe vitæ, vel agnitus Reate, viginti annis in carcere detentus est. Illi in calonum habitu, ex annulo detecti, quo cibos, & transuectionem Pisas, emere volebant apud Asturam, Frangipanum ditionis, detecti sunt, & oblati Carolo qui in loco suæ victoriæ Monasterium condidit Sanctæ Mariæ de Victoria; quam in concione vidit Clemens Pontifex,* Nangius, Monachus Patauinus, Villanius, Ricordanus, Antoninus, Blondus, Summontius, & alij. *Sanctus Ludouicus hoc anno Parisiis edidit Pragmaticam Sanctionem, quæ habetur* in Bibliotheca Patrum. *Isabella seu Elisabetha Sancti Ludouici soror, donata est capite S. Pauli Apostoli, quod falsum fuisse docuit Pontifex. Hæc virginitatem prætulit nuptiis Conradi patris Conradini, fundauitque Monasterium Minoritarum Longi-Campi prope Parisios, haud tamen ipsa facta Religiosa, obiitque anno sequenti anno vitæ 55. editis miraculis, quare à Sororibus huius Ordinis, permittente Leone X. vltimo die Augusti vti Beata colitur,* Wadingus. Concilium Londinense celebratum est ab Othobono Cardinale ex Prælatis Insularum Britannicarum, *Westmonasteriensis.* Obiit hoc anno Petrus Sabaudiæ Comes vir rebus gestis, ac virtute clarus, qui absque liberis mortuus fratri suo Philippo electo Archiepisc. Lugdunensi, & Episcopo Valentino, & nondum in Sacris initiato, ditionem suam reliquit, tradito ei Sancti Mauritij Annulo, quem acceperat ab Abbate S. Mauritij, & gestarat sui Principatus insigne, *Wanderbuchius in Historia Sabaudica.* Hoc anno capta est Quinsay maxima Orbis ciuitas à Tartaris, quorum Chamus Cobila (seu Coblay) eò miserat Ducem Baian-Chinsan, id est, *habens centum oculos.* Reddita autem ciuitas, quòd audierant Sinæ hanc vrbem capi non posse nisi ab eo qui centum oculos haberet. *M. Paulus Venetus.* Mortuus est hoc anno

Clemens IV. in festo S. Andreæ cùm sedisset annis tribus, mensibus nouem, & 24. diebus, de cuius laudibus multa habent *Iordanus, Ptolemæus Lucensis, Longinus, S. Antoninus, Villanius, & alij.* Denique Antiochiam hoc anno Bendocdar absque vllo tumultu 29. Maij. septemdecim Christianorum millia cecidit, supra centum millia captiuorum abduxit. Iam septimo Martij occuparat Iaffam, & aliquot alia loca, *Sanutus, Haytho, & alij.*

Anno Christi MCCLXIX. in Polonia multa visa sunt ostenta. Concurrerunt in cælo acies peditum, & equitum, quare hîc habitæ à viris religiosis supplicationes, *Longinus.* In Italia Aprili mense ingens niuium copia defluxit, pruinæ & segetes, & vineas exusserunt; venti euulserunt arbores: auium tanta copia visa vt cælum obducerent: terræ aliquot in locis conscissæ; mons Anconæ fissus in mare prosiliit, *Sigonius.* In Germania in Natali Christi talis inundatio contigit, vt ei nunquam similis extiterit, *Stero.* In Armenia terræ motu quinque castra conciderunt, tres Abbatiæ, ac pagi duodecim, *Sanutus.* Iacobus Rex Aragonum expeditionem sacram molitur, sed impudicæ mulierculæ amoribus à tam bono opere retractus est, *Surita, Bernardus Guidonis, Guillelmus de Podio Laurentij, & alij.* Certè Pontifex ei denunciarat Deum eius operâ non indigere, quod Berengariam incestuosè Theresiæ vxori legitimæ superinduxisset, *Epist. Clementis 5. Febr. anno 2. Pontificatus data. S. Ludouicus crucem accipit de manu Simonis de Bria Cardinalis Sanctæ Ceciliæ Legati, cum tribus filiis suis, Philippo Audace, Ioanne Tristano Comite Niuernensi, & Petro Comite Alenconij: Item & cum fratre Alphonso Comite Pictauiæ, & Tholosæ, cum suo genero Theobaldo Rege Nauarræ, & Guidone Comite Flandrensi, aliisque Proceribus.* Deliberatum quoque vt Eduardus Anglus rectà in Syriam tenderet, *S. Ludouicus cum fratre Carolo Siciliæ Rege regnum Tunetanum aggreditur vtilissimum ad expeditionem Syriacam, & Carolo Siculo perhonorificum. Collecta quindecim equitum millia, ducenta millia peditum,* Nangius, Ianiuillæus, Villanius, Sanutus, & alij. *Ferdinandus primogenitus Alphonsi Castellæ Regis ducit Blancham filiam S. Ludouici, qui tunc renuntiauit iuri suo in hoc regnum ex Blancha matre sua, eâ lege vt filij Ferdinandi, etiam si ante patrem moreretur,*

auo suo succederent, quod tamen impeditum est, Ianiuillæus, Nangius, Villanius, Surita, Mariana, & alij. 27. *Iulij Luceriani Saraceni longâ obsidione, & fame domiti, iniectis collo restibus, ad Caroli pedes acciderunt, ei vexilla præferentes, quos vitâ donauit, distribuit tamen in diuersa loca, vbi multi eorum fide illustrati à Mahomete recesserunt*, Bernardus, Monachus Patauinus. Victi quoque in Tuscia Gibellini *per vicarium Caroli Ioannem Bertardum Gallum; quæ causa fuit cur Senenses, & Pisani se Carolo dederent*, Ptolemæus Lucensis, Monachus Patauinus, Ioannes Villanius, &c. *Carolus profecturus ad bellum Sacrum conuocat regni Siculi comitia. Conuocati Procuratores in Conradinum & Fridericum Austrium sententiam capitis tulerunt, atque ambobus solemni pompâ Neapoli 26. Octobris capita rescissa sunt. Insimulatus etiam à Scriptoribus Gallicis in hoc facto crudelitatis Carolus, licèt ei proauus Conradini Henricus ei suo præluxisset exemplo in Normannos Siciliæ Principes. Certè in hoc Conradino semen legitimum Sueuicum defecit.* Nangius, Ricordanus, Villanius, Collenutius, Summontius, Ioannes Baptista Giraldus in Hecatommyto. *Corpora sepulturæ data, sed non Ecclesiasticæ quòd excommunicati essent. Cæsi & tortor qui capita resciderat, & Regni Protonotarius qui sententiam legerat.* Rauennæ 28. Aprilis Concilium Prouinciale celebratum contra bonorum Ecclesiasticorum inuasores, & raptores, *Appendix Historiæ Rauennatis Rubei.*

Anno Christi MCCLXX. Michaël Palæologus audito apparatu Occidentalium in Orientem veritus est ne bello appeteretur, restitueretúrque Balduinus. Obtulit ergo se paratissimum S. Ludouico ad abiiciendum Schisma, & ad eum misit Oratores quos hic remisit ad Romanam Ecclesiam, quam ob causam S. Ludouico à Cardinalibus habitæ sunt gratiæ, *Pachimeres, & Cardinalium Litteræ. S. Ludouicus ex Altari S. Dionysij, de more, vexillum sumit relictis administratoribus Matthæo Vindocinensi Abbate Sancti Dionysij, & Simone Claromontano Comite de Nigella*, de Nelle. *Soluit eius exercitus partim Massaliâ, partim Aquis Mortuis, vt multi volunt Kalend. Martiis, vel die Martis post festum Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli*, vt Nangius, Guill. de Podio Laurentij, Bernardus, Guidonis Lodeuensis Episcopus, *quod veriùs videtur. Iactatur sæuâ tempestate ad Sardiniam, vbi parum comiter*

est exceptus, inde appulit in Africam, vbi post aliquot certamina obsidet Tunetum, aut certè parauit obsidere, dum adueniret ex Sicilia Carolus frater. Verùm ex aëris inclementia, aquísque corruptis pestilens morbus inuasit exercitum, quo elatus est Tristanus Regis filius, quem & secutus ipse Rex 25. Augusti, Ecclesiæ Sacramentis sanctè munitus, datis Philippo filio præceptis, ab omnibus Regibus, propriâ manu exscribendis. Regnauit annis 43. cum 9. mensibus, & diebus duodeuiginti; vixit annos 55. cum mensibus quatuor. Caro eius vino excocta (id enim tantùm prohibuit Bonifacius VIII.) ossa Sandionysium delata, caro per Carolum in Siciliam delata in Ecclesia Montis Regulis Benedictorum condita. Philippus annos natus 25. successit patri, & parauit reditum in Galliam. Eodem ipso die quo Sanctus obiit, Carolus venit in castra, à quo confirmatus est exercitus, vt & ab Eduardo, qui eò cum classe appulit, expectans cum Gallica classe in Syriam proficisci: ab iis accedente insuper pestilentiâ quæ Mauros & Christianos depascebat, fœdus initum est: Sumptus belli refudit Rex Tunetanus, captiuos omnes dimisit, potestatem prædicandi Euangelij Dominicanis, & Minoritis fecit, & tributum quod Carolus debebat, eidem promisit. Inde rediere Galli in Siciliam ad quam octodecim naues maiores perierunt, cum multis minoribus, & quatuor hominum millia hausta sunt; Mortuus est Drepani Theobaldus Rex Nauarræ, sicut & eius vxor Margarita filia S. Ludouici prope Massiliam, sicque expeditio illa piè magis quàm feliciter terminata est, Nangius, Ianiuillæus, Gaufridus de Bello-loco, Guill. de Podio Laurentij, Chronicon Monfortianum, Bulla Bonifacij anno 1297. Bernardus Guidonis Episcopus Lodeuensis, Westmonasteriensis, & alij. Eduardus in ea tempestate quæ Christianas naues afflixit, & thesaurum à Tunetano rege acceptum perdidit, nouo se voto obstrinxit adeundæ Syriæ, quod & præstitit: eius aduentus Prolemaïdis obsidionem soluit, quam arctissimè premebat Bendocdar Sultanus. Sed hic eripuit duas Arces Hospitalariis cùm Eduardus ei occurrere par non esset, *Westmonasteriensis, Vadsingamus.* Haytho Rex Armeniæ frustratus spe auxilij Latinorum, atque Tartarorum, pro redimendo filio Liuone ex carcere Ægyptiaco iniquissimis conditionibus paciscitur. Exinde hic factus est Monachus sub nomine Macarij, relicto principatu Liuoni filio, eodémque anno piè mortuus

est, *Haytho in Historia Orientali, Iordanus, Sanutus*. Bela Rex Hungariæ frater S. Elizabethæ moritur, relicto filio suo Stephano Rege, *Stero, Longinus*. Obiit & Wladislaus Salisburgensis Archiepiscopus, castitate suâ dum iuuenis studeret Patauij clarus, *Stero, Longinus*. Denique decessit Margarita Regis Belæ filia, vota Deo à parentibus bello Tartarico, & voti sui tam tenax, vt nuptias & Bohemiæ Regis, & Ducis Poloniæ recusarit. *Stephanus Archiepiscopus Parisiensis damnauit tunc multas hæreses haustas ex Philosophorum Ethnicorum fontibus*, Bibliothecæ Patrum tom. 4. & Centuriatores. In Germania sæuit fames, quâ multi perierunt, a virgine Christina prænunciata, *Siffridus. Concilium celebratum est Compendij à Joanne Curtenæo Archiepiscopo Rhemensi, qui anno sequenti mortuus est 20 Augusti.*

Anno Christi MCCLXXI. *Philippus III. soluit è Sicilia, & patris sui ossa defert secum in Galliam; cum Carolo patruo se Viterbium confert, vt Cardinales ad creandum Pontificem incitaret. In itinere dum transit per Apuliam vxorem suam Isabellam Aragoniam prægnantem perdidit, quæ obiit Cosentiæ. Viterbio Cremonam venit, Mediolanum, Lugdunum, ac tandem Parisios; vnde Rhemos accessit, vbi inunctus est ab Episcopo Suessionensi 15. aut 30. Augusti*, Nangius, Ianiuillæus, Gaufridus, & alij. Tum creatus est Pontifex post 33. menses vacantis Sedis, primo Septembris Theobaldus vel Thealdus Archidiaconus Leodiensis patriâ Placentinus, qui Ptolemaïde in Syria versabatur. Falsum autem, ne quid grauius dicam, quod ait Author Chronici Franciscanorum, S. Bonauenturæ factam esse potestatem creandi Pontificis, aut etiam S. Sedis sibi reseruandæ, eúmque Gregorium X. elegisse, quod sanè refutatione non indiget. Miratus est Theobaldus se creatum esse Pontificem, qui nec Cardinalis esset, nec Episcopus. Instructus ergo rebus omnibus ab Eduardo Anglo hyeme & mense Decembri, se committit mari; nec adiit Constantinopolim ad Palæologum quamuis ab eo inuitatus esset, *Henricus Stero, Ptolemæus Lucensis, Longinus, Nangius, Pachymeres, & alij. Alphonsus S. Ludouici frater obiit Corneti in Tuscia, & paulò pòst eius vxor Ioanna: sicque Comitatus Pictauiensis & Tholosanus, ex conuentis, ad Philippum Regem Franciæ redierunt. Rebellarunt quidam in his Prouinciis, sed Philippi armis su-*

bacti fortiori parere didicerunt, atq; inter cæteros Fuxi Comes præcipuus author rebellionis captiuus abductus est. Gasto Benearnensis suspectus tantùm incitasse generum suum aduolutus ad Philippi pedes ægrè veniam obtinuit, Nangius. Quo tempore Philippus Rex Franciæ, & Carolus Siciliæ morabantur Viterbij, eodem venit Henricus Comes Cornubiæ filius Ricardi Regis Romanorum: aderant Regibus Simon & Guido fratres Monfortiani, filij Simonis Monfortij, qui in acie cæsus erat; & Guidoni quidem Comes Anguillariæ filiam suam dederat vxorem. Hi duo fratres Henricum in Ecclesia S. Laurentij tempore Quadragesimæ, dum sacris interesset, occiderunt in vindictam paternæ necis, & fugerunt ad Guidonis socerum. Carolus Rex Guidonem priuauit terris quas ei in Apulia concesserat, *Nangius, Ricordanus, Villanus, Westmonasteriensis, Blondus, S. Antoninus, Polydorus, & alij.* Nicolaus & Matthæus Pauli fratres Veneti redeuntes ex Coblay, seu Cobila Tartarorum magno Chamo, Ptolemaïdem ad Thealdum electum Pontificem accesserunt, orantque nomine Cobilæ, vt mitteret ad eum Legatos, & oleum de sancto Sepulchro, quod & factum: missus est Guillelmus Tripolitanus benignè cum muneribus à Chamo susceptus, *M. Paulus Venetus lib. 1. cap. 5. & 6.*

Anno Christi MCCLXXII. Ecclipsis Lunæ contigit die Mercurij 10. Augusti. Appulit in Italiam Thealdus, & rectà Viterbium tetendit, etiam Româ vitatâ, ne quid moræ eius consiliis de Bello sacro iniiceretur. Tum duodecim triremes in subsidium Palæstinæ parat, & pecuniam vndequaque ex Principibus Christianis corrogat, *Litteræ Pontificiæ.* Inde Romam proficiscitur, vbi & Tyaram accepit 27. mensis Martij, vbi & Concilium parauit pro rebus Palæstinæ ad quod Principes inuitauit, *Litteræ Pontificiæ.* Mortuus est hoc anno Stephanus Hungarus Rex cùm biennio tantùm regnasset: reliquit liberos duos Ladislaum qui ei successit in regnum, hominem atrocem & libidinosum, vnde & *Chunus* dictus est, & Andream Ducem. Regnum hoc statim turbatum ob Belam auunculum Stephani, & Ottochari consobrinum crudeliter cæsum ab Henrico, cuius mortem vltus est Othocharus indicto Hungaris bello, & abrupto fœdere etiam per Gregorium firmato,

Stero apud Canisium, Siffridus, & Chronica Australis. Obiitque quoque eodem anno Henricus Angliæ Rex 16. Nouembris, annos natus 65. regni sui anno 56. cum diebus viginti, *Westmonasteriensis, Valsinghamus, Appendix Parisij, qui hîc desinit.* Agebat tum in Syria filius eius, & successor Eduardus, qui grande periculum adijt ab Assassino per Sultanum Ægypti, Syriæ, & Babyloniæ immisso, qui eum aggressus est cultro venenato, & grauiter vulnerauit; sed ei cultrum de manu eripuit fortissimus iuuenis, & occidit, aut tamdiu detinuit donec à seruis interficeretur. Ægrè autem sanatus est Eduardus, nec nisi longis remediis. Rediit itaque ex Syria graui tempestate iactatus, & Drepani magnificè exceptus est à Carolo, *Westmonasteriensis, & Litteræ Gregorij.* Castellum Seronis deditione Rodolphi igne deflagrauit totum præter duas aut tres domos, quem casum S. Fridolinus denunciauit, *Chronicon Colmariense.* Gregorius Pontifex imposuit Gaufrido de Belliloco Ordinis Prædicatorum curam vitæ Sancti Ludouici Regis conscribendæ, *Gregorij Litteræ*: ex quo *Nangius* multa decerpsit. In Scotia circa festum Epiphaniæ ventus tam atrox sæuiit vt multas domos deiiceret, quæ mox igne ex focis excito combustæ sunt, multæque sacræ ædes, *Hector Boëthius lib.* 13. *Alexandri Regis anno* 23.

Anno Christi MCCLXXIII. *locum futuri Concilij assignat Lugdunum Gregorius, quòd huius vrbis Ecclesiæ Canonicus primum fuisset,* Paradinus, & Litteræ Gregorij. *Hoc anno mortuus est Balduinus Secundus Imperator Constantinopolitanus,* vt rectè ostendit Labbeus, ex Dandulo, Epitomes Regiæ pag. 326. & Tabularum Genealogicarum editionis secundæ pag. 172. contra Mireum, & Genealogos, & Historicos nostrates, qui differunt eius obitum ad annum 1279. eique tribuunt annos vitæ 63. *cùm tantùm vixerit annos* 56. *Successit ei Philippus filius gener Caroli Siciliæ Regis, sub anni finem.* Gregorius versus Lugdunum intendit iter vt Concilio Oecumenico interesset, ac Vrbem-veterem, inde Florentiam venit 18. Iunij, vbi delectatus amœnitate vrbis, in ea æstatem conterere decreuerat. Sed cùm hic Guelphos cum Gibellinis reconciliasset, horum etiam reuocatis exulibus, & posteà Guelphi Gibellinos vexarent, illis etiam fauente Caroli

præfecto, adeò vt hi vrbem relinquerent: Pontifex iratus & Carolo, & Guelphis Florentiam deseruit, eámque supposuit interdicto, quod ferè triennio durauit, Gregorio, & Florentinis in sua sententia obfirmatis, *Ricordanus, Villanius, Aretinus, Antoninus, & alij.* Eduardus Pontificem conuenit ad Vrbem-veterem, vbi ab eo petiit vindictam in Simonem Monfortium, qui tum excommunicatus est, & grauibus Ecclesiæ pœnis subiectus: quibus territus occurrit Pontifici, ferè nudus, laqueo in collum inserto cum suis complicibus, & ad eius aduolutus pedes veniam facinoris petiit. Gregorius eis vitam indulsit, sed carcere includendos curauit commissâ eorum custodiâ Carolo Siculo, *Litteræ Pontificis ad Eduardum datæ 3. Kalend Decembris.* Florentiâ venit Placentiam in patriam suam Gregorius 3. Nonas Octobris. Inde 8. eiusdem mensis Mediolanum vbi magnificè exceptus: sed cùm Othonem Archiep. huius vrbis restituere non potuisset, quod maximè exoptabat, renitentibus Turrianis, & populo, post triduum, hîc fine indulgentiis traductum, iratus abscessit, atque vrbi sacris interdixit, *Corius, Sigonius. Lugdunum cùm peruenisset, eum Philippus Audax conuenit, & statim abscessit, relicto ad eius, Patrúmque Concilij Præsidium Imberto Belloiocensi, consanguineo suo, cum delecta militum manu,* Nangius. *Restituit etiam Philippus Gregorio Comitatum Venesinum, quem possidebat Alphonsus, ex hæreditate Comitis Tholosani soceri sui,* Nangius, & Sanurus. Electus est hoc anno ab Electoribus, sic iubente Pontifice, Rodolphus seu Rodulphus Habspurgensis Comes adnitente potissimùm Wernero Archiepiscopo Moguntino, cùm cæteris Electoribus vix notus esset. Hic ab Othocaro Bohemo, cuius fuerat aulæ Præfectus, ad militiam institutus erat, bonis inops, sed magni animi, cui Astrologus sub Friderico II. prænunciarat Imperium, sicut & Monialis de qua anteà. Cùm autem Electores in eius verba iurare recusarent, quod deesset Sceptrum, ipse cruce vsus pro Sceptro omnes piè iurare compulit, *Stero, Chronicon Colmariense, Albertus Argentinensis. Eberardus Ratisponensis Ecclesiæ Archidiaconus in Annalibus, & alij.* Coronatus autem est Aquisgrani in Vigilia Omnium Sanctorum, quando & apparuit nubes candida in modum crucis, *idem Chronicon Colmariense:* sed pro aërea auream

crucem,

crucem, *Krantzius* repoſuit *in ſua Saxonia.* Hic autem Rodolphus author eſt Auſtriacæ potentiſſimæ Familiæ : alia quæ de hac circumferuntur à variis authoribus confutata ſunt, *vide Spondanum ad hunc annum.* Polonia turbata eſt à Paulo Epiſcopo Cracouienſi, coniuratione factâ in Principem Boleſlaüm Pudicum, ob Leſcum Nigrum ſibi delectum ſucceſſorem, & varias calumnias, quibus rerumpublicarum perturbatores nunquam carent. Is tandem infœliciter obiit, In Sileſia 1292. non poſt annos ſeptem, vt quidam volunt. cùm ei Dæmon ſuis reſponſionibus illuſiſſet, *Michouius, & Cromerus.*

Anno Chriſti M C C L X X I V. CONCILIVM LVGDVNENSE II. celebratum eſt, in quo 500. Epiſcopi, 60. vel 70. Abbates, & alij Prælati ad mille, duo Patriarchæ Latini, Conſtantinopolitanus Pantaleo, & Antiochenus Opizius, & multi Principes, eorúmve Oratores, inter quos etiam numerati ſunt miſſi ab Abagha Principe Tartarorum, quibus omnibus præfuit Gregorius. Sed vide ſis ne *Blondum*, eiúſque ſequaces in negotio huius Concilij ſequaris: de geſtis in hoc Concilio, vide *Spondanum* & *Odericum.* Hoc non omittendum in eo Concilio editas multas aut confirmatas in electione Pontificum Romanorum Conſtitutiones, *in Regeſto Gregorij X.* Item & Græcos ſuum Schiſma eiuraſſe per Georgium Acropolitam Logothetam, *Epiſtola Gregorij Papæ ad Palæologum.* Eduardus Rex Angliæ cognomento *Longibracca*, Anglicè *Langhſchaux*, Gallicè *Longues-chauſſes*, in ſuam ditionem redux 19. Auguſti coronatus eſt, *Appendix Pariſij, Florilegus Walſinghamus, & alij.* Obiit hoc anno 7. Martij in Monaſterio Foſſæ-nouæ Ordinis Ciſtercienſis prope Pipernum caſtrum, Sanctus Thomas Aquinas dictus Angelicus Doctor, anno ætatis 50. dum iuſſu Pontificis Lugdunum ad Concilium pergit. Eius obitum vidit & luxit Coloniæ Albertus Magnus, *Krantzius.* Quod autem cecinit Dantes à Carolo Siculo hunc Sanctum necatum eſſe veneno per Medicum ſuum, ſatis eſt authoris appellaſſe nomen, vt calumnia concidat; in quam tamen imprudenter viſus eſt impingere Villanius, non tamen aſſerens, ſed dictum eſſe ſcribens id factum eſſe à Medico, vt Carolo gratificaretur. De Sancto Thoma vide *Ptolemæum Lucen-*

ſem eius diſcipulum in Chronico. Henricus Geldrenſis Epiſcopus Leodienſis multorum criminum reus depoſitus eſt, poſt 27. annos Sedis, & poſteà annis 12. vixit, bellum inferens tribus Leodienſibus Epiſcopis qui ei ſucceſſerunt, donec cæſus eſt à propinquis virginis nobilis cui vim intulerat. Cùm obiit reliquit ſexaginta quinque filios naturales, cùm tamen per viros pios ſatis benè ſuam rexiſſet Eccleſiam, *Hocſemius tom.* 3. *Pontificum Leodienſ.* Lugduni mortuus eſt in Concilio S. Bonauentura Cardinalis & Epiſcopus Albanenſis, dictus Seraphicus Doctor, ætatis anno 53. decimâ Iulij die Dominicâ, cuius exequias celebrauit ipſe Pontifex, orationem habuit Petrus de Tarentaſia. A Græcis dictus eſt Eutychius, à S. Thoma etiam viuens *Sanctus* appellatus ab Alexandro Alenſi, vir in quo Adam non peccaſſet, *Wadingus in Minorum Annalibus.* Alphonſus bello Maurico implicatus accipit conditionem ſibi oblatam à Pontifice, videlicet Decimas bonorum Eccleſiaſticorum, dummodò renunciaret Imperio. Sic Gregorius ratam habuit electionem Rodulphi 6. Septembris, poſt Concilij dimiſſionem *Mariana: Surita* tamen 26. Septembris aſſignat. Quanquam in Concilio agnitus eſſet Imperator Orientis Michaël Palæologus, quod moleſtiſſimè tulit Carolus ob generum ſuum Philippum, inquiunt *Villanius, & S. Antoninus.* Conſtantinopolis tamen, & Imperium Græcorum valdè turbatum eſt Ioſepho Patriarchâ vnionem improbante, & in ſuum Monaſterium ſecedente, Sacerdotibus item adeſſe Martyrij tempus vociferantibus. Hos tumultus ſedare conatus eſt Palæologus, non verbis tantùm, ſed & relegationibus, flagris, carceribus, excæcationibus: ſed nihil, aut parum profecit: immò hinc ortæ duæ Sectæ Arſenij, & Ioſephi nominibus inſignitæ. Factus tamen Ioannes Beccus Patriarcha Conſtantinopolitanus, doctus Scriptis Nicephori Blemidæ Dogmata Latinorum & Eccleſiæ egregiè tutatus eſt, *Nicephorus Gregoras lib.* 5. Saliſburgi habitum Concilium in feſto Omnium Sanctorum pro recipiendo Concilio Lugdunenſi, *Chronicon Saliſburgenſe apud Caniſium.*

Anno Chriſti MCCLXXV. Hiſpania valdè turbata eſt per Mauros ex Africa accitos, à Rege Granatenſi, hic dictus Miralmutius Leminius, euocauit in auxilium ſuum

Muralmuminum Abeniuſſeffium Marochi Regem, virum arte militari florentem, cum magnis copiis. At primo impetu necatus Nunnius Lara Dux optimus, & aliquantò pòſt Sanctius Archiepiſcop. Toletanus Regis Aragonum filius, dum inconſultè in eos erumpit, de quo cùm diſceptarent Mauri Africani, & Hiſpanienſes cuius is eſſet, & res ad arma ſpectaret, eum tragulâ transfixit Atarius Malacæ Regulus, ne propter canem, vt aiebat, Saracenus ſanguis effunderetur, *Mariana & Surita.* Obiit tum quoque Ferdinandus Cerda maior filius Alphonſi ex morbo, dum copias in Mauros parat. Cuius frater Sanctius Alphonſum & Ferdinandum nepotes ſuos filios Ferdinandi, quibus regnum debebatur, excludit; vnde ingentes enatæ ſunt turbæ, *iidem qui ſuprà. Hoc item anno Blancha vxor Henrici Nauarræ Regis, ſuperiori anno mortui, filia Roberti Comitis Atrebatenſis fratris S. Ludouici, cum filia ſua Trimula vnica fugit in Galliam ad Philippum Regem Franciæ patruelem ſuum, cùm regnum Nauarræ Reges Aragonius Caſtellanúſque prenſarent. Præualuit Philippus, qui eam deſtinarat filio ſuo Philippo Pulchro, & quid poſſent Franci hic oſtendit* Mariana, Surita, Nangius, & alij. Gregorius iter reſumpſit verſus Italiam, habuítque obuium Lauſanæ Rodolphum electum Romanorum Regem, cum coniuge, ac liberis. Is promiſit Pontifici expeditionem in Terram Sanctam, ideóque duodecim millia marcarum recepit ab Epiſcopo Baſileenſi, iuſſu Pontificis, de Decimis ad bellum ſacrum deſtinatis, *Krantzius, & Chronicon Colmarienſe, Ptolemæus Lucenſis, Bernardus, & & alij.* Gregorius intrat Italiam, atque Florentiam venit, quam ingredi coactus eſt nolens, quòd Arnus fluuius nimis intumeſceret, per eam tranſiens benedixit quidem ciuibus, ſed ad duo millia proceſſit, egreſſúſque reliquit ciuitatem interdicto ſuppoſitam, ac die ſequenti perrexit Aretium, *Ricordanus, Villanius, S. Antoninus.* In Suecia exauthoratus eſt Rex Waldemarus ob ſua crimina, ſacrilegia, atque libidines, per Regni Proceres, & Epiſcopos, huícque ſubſtitutus eſt Magnus, rebus geſtis, & nomine Magnus, qui mox Waldemarum regnum armis repetentem vicit, ac cepit: huic tamen Regnum Gotiæ reliquit, ſibi Suecico reſeruato, *Ioannes Magnus*, quæ tamen paulò aliter

à *Krantzio* commemorantur. Tunc valdè turbata est Armenia, in eam enim irrupit Bendochdar Sultanus, & viginti hominum millia occidit, decem millia captiuorum abduxit, virgines, & pueros, & supra trecenta animalium millia. Nec melior Syriæ status, mortuo Boamundo Antiochiæ Principe vndecimo Maij, relicto filio impubere Boamundo, de cuius directione graues ortæ sunt controuersiæ, quibus implicuerunt se Episcopi, Templarij, Hospitalarij, & præcipui Ciues vrbium Tyri, Tripoleos, & Ptolemaïdis, omnibus in certum exitium præcipitantibus, *Sanutus lib. 3. parte 12. cap. 14.* In Polonia Cracouiæ puer vix semestris Tartaros irrupturos, & Polonis capita, atque etiamnum sibi demessuros prænunciauit, quod post duodecim annos contigit. Natus est ibidem puer dentatus & loquens, qui suscepto Baptismo & dentes, & sermonis vsum perdidit, *Michonius, Cromerus.* Obiítque hoc anno die Epiphaniæ Raymundus de Penna-forti, propè centenarius Barcinone in sua patria, vir sanctissimus, in Sanctorum numerum postcà relatus, *Mariana, Surita. Maria Regina Franciæ vxor Philippi inuncta est in festo Sancti Ioannis Baptistæ à Rhemensi Archiepiscopo Parisius, qua de re questus Gillo Archiepiscop. Senonensis: sed hanc litem Rex ipse diremit, quòd in Capella domus suæ id peractum esset,* Nangius, & alij.

Anno Christi MCCLXXVI. Ecclipsis Lunæ contigit 23. Nouemb. Gregorius X. vrgens expeditionem Terræ Sanctæ, & de ea tantùm cogitans moritur Aretij 10. Ianuarij cùm sedisset annis quatuor, mensibus quatuor, & diebus decem, post obitum miraculis clarus, & corpus hactenus integrum in hac vrbe seruari traditur. Author fuit publicæ Eleemosynæ in Romana curia, *Ptolemæus Lucensis, S. Antoninus, Blondus, & alij.* Successit ei Petrus de Tarentasia primus ex Familia S. Dominici creatus, dictus Innocentius V. 21. Ianuarij, qui obiit 22. Iunij, seditque menses quinque, sed non totos; desunt enim dies duodeuiginti. Excepit illum XI. aut XII. Iulij Cardinalis Ottobonus Fliscus, dictus Hadrianus V. patriâ Genuensis, qui tantùm Petri Sedem tenuit diebus 38. nam obiit 18. Augusti Viterbij, vir planè bonus, & cui Pontificis dignitas onus potiùs, quàm honor videbatur. Post 25. dies 13. Septembris ibidem

electus est Ioannes Petrus natione Lusitanus Olysiponensis ex Medico doctissimo (vt indicat eius opus *Thesaurus Pauperum*) factus Cardinalis: 20. eiusdem mensis Tyaram accepit dictus Ioannes XXI. à Platina XXII. ab Onuphrio XX. sed ad studia litterarum, quàm ad res gerendas aptior fuit, *Ptolemæus Lucensis, Martinus Polonus, S. Antoninus, Onuphrius, Stero, Bernardus Guidonis, & alij. Celebratum est Concilium Biturigibus sub Simone Briensi Cardinali Sanctæ Cæciliæ Legato Apostolico, ad Ecclesiæ iura conseruanda.* Mortuus est hoc anno Iacobus Rex Aragonum ex mœrore, vti creditur, acceptæ cladis à suis ad Luzenum per Mauros. Obiit autem Valentiæ ex morbo vigesimo septimo Iulij in habitu Cisterciensi, ætatis anno ferè septuagesimo, Regni sexagesimo tertio. Dictus est *Præliator* seu *Expugnator*, trigesies feliciter cum Mauris depugnauit; vir planè magnus, nisi eius præclara facta libido deformasset. Successit ei filius Petrus cognomento *Magnus*, coronatus Cæsaraugustæ 17. Nouembr. Iacobus eius frater Rex Balearidum factus fuit ex testamento patris, & Princeps Ruscinonis, & Montis-pessulani, soror eorum Sanctia regali cultu deposito Hierosolymam perrexit, ad sanctum Sepulchrum, vbi peregrinos excepit, post mortem miraculis clara, *Mariana, Surita, & aly.* Alphonsus Castellæ Rex Comitia Regni conuocat de causa Sanctij, vtrùm præferendus esset hic secundogenitus liberis primogeniti Ferdinandi, quòd Sanctius excludebatur pactis nuptialibus inter Blancham & Ferdinandum, ad sedandas antiquas lites; sed tum iniquitas præualuit: plures steterunt à Sanctio, pauci admodum à filiis Ferdinandi, *Mariana, Ptolemæus Lucensis: Rodericus Sanctius Episcopus Pallentinus*, id iure factum esse nequiter asserit. *Petrus Brocius Turonensis, Chirurgus olim Sancti Ludouici, tum Philippi Regis Cubicularius, iratus Mariæ Reginæ, quòd eius vxor ambitiosior eiecta esset ex Aula; illam calumniatus est, quasi primogenitum Regis veneno sustulisset, idémque cæteris liberis regiis hoc malum nouercam pararet. Excusata est Maria à Nigellensi Beguina in Brabantia, ad quam interrogandam missi etiam Episcopi. Sed cùm detectum esset in Aula Brocium habere litterarum commercium cum Rege Castellæ aduersus Principem suum, affixus est patibulo*, Nangius, Gaguinus, Paulus Æmi-

geret, rem negligente Hugone, qui hanc culpam postea frustrà conatus est resarcire, Sanutus, Nangius, Summuntius, Collenutius, & alij. Otho Vicecomes, & Archiepiscopus Mediolanensis, victis Turrianis aduersariis suis mense Ianuario, Vrbem triumphans ingressus est, factus etiam Princeps Mediolani; & hanc hæreditatem ad suos transmisit, sed Turrianis semper obsistentibus, *Villanius, Corius, Bosius, Sigonius.* Bendochdar Sultanus Babyloniæ, pugnans in Tartaros vulneratus amisso prælio rediit Damascum, vbi accedente ad vulnus ventris profluuio, & fortasse veneno obiit 15. Aprilis. Successit ei filius Melecsàir, id est *Rex desideratus*, qui ob res malè gestas pulsus est, eíque Elphi substitutus, *Sanutus, Haytho, & alij.* Rex Abasciæ misit Episcopum loco suo ad sanctum Sepulchrum, quem Rex Aden in odium Christianorum iussit circumcidi, síque mutilatum remisit. Abasinus cum exercitu Arabiam ingressus Saracenum regem vicit, eiúsque totam regionem vastauit, *M. Paulus Venetus.* Ad traiectum Mosæ saltantes iuuenes, & puellæ in ponte, nec omittentes choreas viso diuino Sacramento transeunte, ipso ponte subsidente ad ducentos submersi sunt, *Crusius Annal. Sueuicorum lib. 3. part. 3. & Krantzius.*

Anno Christi MCCLXXVIII. Nicolaus III. rem Christanam nauiter curat, missis in Tartariam Minoritis, & ad Imperatorem Constantinopolitanum, *Wadingus, & Litteræ Pontificiæ. Carolus Siculus* (quòd ea de re grauiter quereretur Rodolphus Rex Romanorum, negarétque se posse cogitare de Palæstina, quamdiu se inuito esset in Italia Imperij Vicarius) *abdicat & hunc Vicariatum, & Senatoriam dignitatem, maximè id vrgente Pontifice, malè in Carolum affecto, ob nimium in suos amorem, quem tamen semper magni fecit, & eximiis verbis laudauit*, Nangius, Villanius, S. Antoninus, Nauclerus, Ricordanus. Rodulphus Cæsar, & Ottocharus Bohemiæ Rex 23. Augusti in campis Austriæ trans Danubium acerrimo prælio congrediuntur. Desertus à suis Orthocarus, à duobus fratribus Styriis, quorum fratrem tertium sustulerat, cæsus est, *Æneas Syluius, Dubrauius, Historia Australis, Albertus Argentinensis:* Alij tamen alia de mortis eius genere, & authore scribunt, *Stero, Eberardus, &c.*

Victoriâ benè vsus Rodolphus sibi Morauiam asseruit, & domum rémque suam variis matrimoniis firmauit. Incurrit tamen in odium Principum Imperij, vt intelligitur ex *Litteris Nicolai.* Martinus Polonus Dominicanus Pœnitentiarius, & Capellanus Papæ, creatus est Gnesnensis Archiepiscopus 23. Maij Viterbij à Nicolao; sed dum in suam patriam pergit obiit Bononiæ, qui ad hoc tempus Chronicon suum protraxit, *Bernardus Guidonis. F. Rogerius Bacho Minorita ob ingenium & subtilitatem, dictus* Doctor mirabilis, *damnatus est ob propositiones suspectas, immò & inclusus carcere ab Hieronymo Cardinale etiam regimen Ordinis gerente. Damnatus item F. Petrus Joannes Oliui Gallus Biterrensis ab eodem Cardinale comburere scripta sua de B. Virgine, quòd eam supra modum, & singularibus verbis extulisset*, Vadingus in Annalibus Minorum.

Anno Christi MCCLXXIX. Græci volunt admittere vnionem Ecclesiæ suæ cum Latina, & rebellionem in suum Imperatorem moliuntur; itaque à Nicolao Papa excommunicantur, *Litteræ Pontificiæ. Carolus cum Rodolpho conuenit cùm vterque in se inuicem arma expediret ob Comitatum Prouinciæ, & Fori Neronis* (Folquarquier) cùm ad hunc Margarita vxor S Ludouici recurrisset, lis à Pontifice dirempta est, & eius sententia nuptiis firmata, *Villanius, & Nicolai Litteræ. Hoc anno inuenta esse corpora Sanctorum Maximini, Sidonij, Magdalenæ, Marcellæ, & aliorum, aliàs occultata metu Saracenorum in Prouincia*, Ptolemæus Lucensis Episcopus, Torcellanus, Bernardus Guidonis Episcopus Lodeuensis, & Philippus Episcopus Caballicensis. Post duos tamen annos Martinus IV. Summus Pontifex misit 14. Septembr. Archiepiscopo Senonensi costam ex corpore S. Magdalenæ, quam acceperat coram Sancto Ludouico Vezeliaci, *Litteræ eiusdem Pontificis.* Certè *Sigebertus* asserit ad annum Christi 747. corpus S. Mariæ Magdalenæ à Gerardo Comite Burgundiæ è Prouincia Vezeliacum translatum, quod videtur à Martino confirmatum, immò & creditum ab Innocentio III. vti liquet ex aliquot eius Epistolis. Sed has reliquias *possideant* populi *vti possident* ex veteri edicto Prætoris. Sub initium huius anni mortuus Alphonsus III. Lusitaniæ Rex, multis vitiis obnoxius, cui successit filius eius Dionysius

Dionyſius annos natus duodeuiginti, qui regnum ſuum ſatis imprudenter, & impiè ab Alphonſi patris perſecutione inchoauit, quem hæreditate paternâ depellere conabatur. Hic eſt Dionyſius cui nupſit Sancta Elizabetha Petri Aragonij maior natu filia, meliore marito dignior, *Mariana*. Obiit item hoc anno in Polonia Dux Caſſilienſium Boleſlaüs cognomento Pius, à piis operibus quibus addictiſſimus fuit. Item & 10. Decembris Boleſlaüs Pudicus Dux Cracouienſis & Sandomirienſis, vir quoque pientiſſimus, cuius vxor Kinga ſeu Kunegundis, cum ſorore ſua Yolanda vxore Boleſlai Pij ſe Clariſſis addixit, bonis ſuis in pauperes ab vtraque effuſis, quare & miraculis claruere. Denique exceſſit ex viuis Boleſlaüs Caluus Dux Lignicienſium, vir ferus, ideò dictus à ſuis *Rogatka* id eſt, *Cornutus*, *Michonius*, & *Cromerus*. *Pax inita inter Eduardum Anglum & Philippum Francum, Philippus ceſſit Eduardo agros Aginnenſem, Lemouicenſem, Petracorienſem, Santonenſem, & Comitatum Pontiui; Eduardus Philippo omne ius in Normanniam reſeruatis ſibi quotannis triginta libris Pariſienſibus pro Scacario Rothomagenſi*, Weſtmonaſterienſis. Erat tum Archiepiſcopus Cantuarienſis Ioannes Pecham olim Minorita, qui Theologiam in Anglia, Gallia, & Romæ docuerat, & ibi Lector ſacri Palatij factus; quem docentem audiebant ipſi Cardinales, & tranſeuntem aperto capite ſalutabant; ſed vbi creatus Archiepiſcopus docere perrexit, auditores hi nobiles ab hac ſalutatione abſtinuerunt, *Weſtmonaſterienſis*, *Wadingus*, *Harpsfeldius*. Hoc denique anno contigit Ecclipſis Solis die Mercurij 12. Aprilis.

Anno Chriſti M C C L X X X. *erupit tum iam parata à duobus annis coniuratio Joannis Procidæ, ſeu Prochytæ qui Inſulæ dominus, patriâ tamen Salernitanus fuit, de cuius conditione varia traduntur, nempe quòd fuerit Medicus Friderici II. & Manfredi, immò & Carolo à Conſiliis. Hic ſpoliatus fortunis à Carolo, & expulſus ob priorem coniurationem; inſuper ſciens vxorem ſuam à Francis violatam, ſtatuit & bona ſua recuperare, & illatum vxori dedecus vlciſci. Adit ergo Petrum Arragonem ſibi Siciliæ regnum ob Conſtantiam vxorem ſuam Manfredi filiam, cui ſuam pollicetur operam: inde Minoritæ habitu pergit Conſtantinopolim ad Palæologum, ſibi grauiter à Carolo metuentem,*

vtpote qui iam multas in eum parasset naues pro restituendo Philippo genero, filio Balduini II. Venit & ad Nicolaum quem nouerat Carolo perinfensum esse, cuius & fauorem obtinuit. Posteà regreditur in Hispaniam ad Petrum Aragonium; eúmque de omnibus admonet, & reuersus in Siciliam cruentam Francorum cædem adornat, Ricordanus, Collenutius, Summontius, Villanius, Blondus, Ptolemæus Lucensis, Fazellus, & alij. Mortuus est hoc anno Nicolaus IV. Pontifex 22. Augusti in Castro Suriano prope Viterbium cùm sedisset duobus annis, mensibus nouem, & tribus diebus, paulò antequàm emisisset Bullam *Exit qui seminat* in fauorem Minoritarum, *Ptolemæus Lucensis, Bernardus Guidonis, Continuator Martini Poloni, Florilegus, Platina, Onuphrius, & alij.* Multa prodigia eius Pontificis mortem præcesserunt, quæ collecta leges apud Spondanum hoc anno. *Inter cætera notandum hoc anno Sequanam fluuium totam vrbem Parisinam inundasse*, Nangius. Ecclipsis Lunæ contigit hoc anno 17. Martij inter diem Dominicum & Lunæ. Addunt alij aliam Solarem notatam esse 25. Ianuarij horâ nonâ, quæ duas ipsa horas tenuit; finitâque Ecclipsi apparuisse Lunam nigram, visúmque Draconem caudâ longiore volare per aërem, quibus superuenisse imbres bimestres, inundantes agrum Bononiensem, quos secutæ sunt fames & pestis, *Girardacius lib. 8. Historiæ Bononiensis.* Hebræi hoc anno conuersi sunt in Insula Maiorica operâ Inghetij mercatoris Genuensis, qui cùm eò mercium causâ appulisset, licèt rudis, & illiteratus doctissimos quósque eorum Rabbinos etiam ex Aragonia euocatos, Deo fauente conuicit, & mutos elinguésque reddidit, ac fidem Christanam compulit amplecti, *Nebiensis Historiæ Genuensis lib. 3.* Mortuus est hoc denique anno Albertus Magnus Dominicanus, anteà Episcopus Ratisponensis, quod onus post duos annos excusserat; vir tam eximiæ doctrinæ, vt huic, inquit *Bergomensis*, nemo comparandus videretur; & verò scientiam acceperat à B. Virgine, quâ orbatus est Coloniæ docens, paulò antequàm moreretur, sicut admonitus fuerat ab eadem Virgine, & verò ea de re suos discipulos admonuit. Vixit annos octoginta septem, corpus eius incorruptum, & miraculis clarum, ad *Krantzij* ætatem permansit, *Auentinus, Trithemius, Delrio, & alij.*

Anno Christi MCCLXXXI. Viterbij parum inter se conuenêre Cardinales in eligendo Pontifice, præcipuis authoribus duobus Cardinalibus Vrsinis, qui nolebant eligi quemquam nisi Vrsinæ familiæ sua dignitas redderetur; quare Viterbienses, duce Ricardo vrbis Præfecto, duos illos in carcerem traxerunt, *Platina, Blondus*, quæ *Ptolemæus Lucensis, Villanius, Ricordanus* authore Carolo facta volunt. Sic sublatis authoribus moræ, 22. Martij electus est Simon de Bria Gallus, ex Thesaurario S. Martini Turonensis factus ab Vrbano IV. Cardinalis, bis functus Legatione Gallicâ. Apage porrò hinc Ioannem Vercellensem, qui hîc intruditur à Dominicanis, mortuum antequàm nunciata ei fuisset electio, de quo vide hîc *Spondanum*. Porro Simon Vrbem-veterem petiit, vbi coronatus 16. Martij, quia Romam petere non poterat ob turbas inter Hannibaldenses & Vrsinos, dictúsque Martinus IV. (reuerà Secundus, cùm duo intermedij non Martini, sed Marini fuerint nuncupati) vir iustitiæ tenacissimus, & nihil in suos affectus, *Stero, Ptolemæus Lucensis, Nangius, & alij. Dedit statim Martinus Carolo, quem diligebat, aut potius ei continuauit dignitatem Senatoriam*, Litteræ Martini, Nangius, Continuator Martini Poloni. *Romandiolam rebellantem ope Philippi Regis Franciæ asserens Ecclesiæ, contra arma Guidonis Comitis Monsfeltrij Gibellini* liberauit & Guidonem Monfortium Anglum ex diuturno carcere, qui ei in hoc bello egregiam nauauit operam, *Villanius, Blondus, Antoninus, Sigonius, Ghiaradaccius Hist. Bononiensis lib.* 8. Præterea, *Nangius Continuator Martini Poloni, Walsinghamus, &c. Vrgebat Prochyta consilia sua de eiciendis ex Sicilia Gallis, & Carolo; & quia Martinum fauentem Carolo cernebat, eodem habitu Minoritæ redit ad Palæologum, & Petrum Aragonium, ab illo obtinet triginta millia vnciarum auri, quæ ad hunc detulit. Interim instruit classem Petrus in speciem contra Saracenos Africæ, in quam expeditionem pecuniam a Pontifice, Rege Franciæ, immò & à Carolo recipit*, Villanius, Fasellus, Mariana, Summontius, Surita, &c. *Missæ copiæ in Græciam a Carolo Siculo per Ducem Rososulem fugatæ sunt, atque dissipatæ*, Nicephorus Gregoras, & Phranzes; de qua expeditione magnum apud Occidentales Scriptores silentium. Mittit in Italiam Vicarium Germanum quendam

Rodulphus Rex Romanorum, id petentibus Gibellinis, ſed nuſquam ſuſceptus, niſi Piſis, & in caſtro S. Miniatis, quòd ſi veniſſet ipſe Rodulphus ſine dubio ſuſceptus eſſet, *Villanius, S. Antoninus.* Habitum eſt Concilium Saliſburgi ſub Fridetico Archiepiſcopo, vbi preces pro pace toto anno inſtitutæ, *Collectio Conciliorum.*

Anno Chriſti MCCLXXXII. *Contigerunt hoc anno Veſperæ Siculæ, hoc eſt, Francorum cædes totâ Siciliâ die Paſchæ 29. Martij, ad ſonitum campanarum pro Veſperis. Cæſi ſunt promiſcuè viri, fœminæ, pueri, Sacerdotes, Religioſi, non parcitum mulieribus prægnantibus ex Gallis, ſed exenteratæ ſunt. Adhibuere manum huic cædi non Laïci modò, ſed & Sacerdotes, etiam Religioſi Minoritæ, & Dominicani. Vnus ſeruatus Guill. Porcelletus nobilis Prouincialis ob perſpectam omnibus eius probitatem, ideò remiſſus in patriam*, Ptolemæus Lucenſis, Villanius, Fazellus, Ricordanus, Paulus Æmilius, & alij. *Prænunciare viſus eſt hanc cædem Piſcis leonis ſpecie & forma villoſus, breuioribus pedibus, horribiles planctus emittens, ad Centumcellas*, Nangius, Sabellicus. *Carolus ſtatim accurrit in Siciliam, & Meſſanam obſidet, & ſe dedere paratam honeſtis conditionibus reiicit. Hinc Mamertinis ex deſperatione enata fortitudo, quâ reſtiterunt ad Petri Aragonij in Inſulam aduentum. Sic obſidio ſoluta cum magno Caroli dedecore*, Ptolemæus Lucenſis, & alij. Inter hæc Petrus Aragonius vt omnibus illuderet paratam claſſem duxit in Africam, & Hipponenſem oram vaſtauit. Hinc vela fecit in Corſicam, vbi accepit Francorum in Sicilia cædem, in eam quaſi iam ſibi oppigneratam hoc ſanguine, delatus eſt, & menſe Auguſto Panormi Rex Siciliæ acclamatus, & coronatus eſt. *Ac cum videret ſe Carolo & copiis & fortitudine imparem, eum arte deluſit, oblato ei certamine centum equitum, quod prudenter & ſanctè Martinus diſſuaſit. Sed Carolus fortior quàm ſapientior id admiſit Burdegalæ. Petrus excommunicatus eſt à Pontifice, Regnis & bonis omnibus priuatus, eius ditio vicinis Principibus aſſignata, è quibus poſteà ſelegit Carolum Valeſium minorem Philippi Regis Franciæ filium, cui ditiones Hiſpanicas ſub clientela ſanctæ Sedis adiudicauit*, Villanius, Ptolemæus Lucenſis, Ricordanus, S. Antoninus, Fazellus, Litteræ Pontificiæ. Sanctius filius Alphonſi Caſtellæ Regis patrem ſuum regno ſpoliat, quod fuerat matri eius præ-

[illegible]atum, atque etiam ipsi ab Astrologis, & videtur fuis[illegible]tæ calamitatis causa, quod nimiùm his Astrologis con[illegible]; sed proxima quod dixisset si interfuisset Orbis crea[illegible] se hunc meliùs ordinaturum, quàm à Deo ordina[illegible]t, & monitus vt blasphemiam hanc pœnitentia elue[illegible], [illegible]tempsisset. Itaque coactus est ad Mauros confugere, & [illegible]lium ab Albeniufessio Marochi Rege hoste suo ca[illegible] postulare. Quod & hic præstitit cúmque & pecu[illegible] & milite iuuit, professus se resumpturum odia, statim [illegible] ingratum filium castigasset. Alphonsus Hispali 8. [illegible] in filium horribilem, & promeritam sententiam [illegible] sed hanc ille contempsit, immo & fœdere cum Rege [illegible]atensi coniunctus, & illegitimis nuptiis consanguineæ [illegible] per Moniali copulatus est, *Mariana, Rodericus, San*[illegible] *copus Pallentinus, Surita, Nebiensis, & alij* Genuen[illegible] & Pisani atrocissimè certant, captâ Genuensi trireme à [illegible]s, & ob excursiones Corsi cuiusdam, qui se Pisanis [illegible]iserat, *Ptolemæus Lucensis, Ricordani Continuator, Vil*[illegible] *Nebiensis* In Polonia Lescus Niger Dux Minoris Po[illegible] ope Sancti Michaelis Lithuanos, & Iazygas, qui eius [illegible] diripuerant, collecto raptim milite superat, & spoliat [illegible], Iazygas internecione delet 13. Octobris. Quare tem[illegible] nobile sancto Archangelo Lubini posuit. Poloniam [illegible]nno horrenda fames vastauit, vt & Bohemiam, quâ ma[illegible] v[illegible]runt fœtus suos, multi patriam relinquere coacti in R[illegible]m & Hungariam confugerunt; sed hi venditi sunt Cu[illegible]lli Tartaris apud quos vitam miseriorem morte tradu[illegible], *Cromerus, Michouius* Tartari duce Mungodouio[illegible] Tangodomere fratre Abagha, qui tum Persis impe[illegible] aduocato in societatem belli Lieuone Armenorum [illegible]m triginta millibus equitum in Syriam irrumpit, & [illegible]tur Elphy, seu Elsi Soldanum Ægypti, qui eis occur[illegible]t cum centum millibus peditum, & totidem equitum & [illegible] quidem victus est; sed Tartarus vti victoriâ nesciit, & [illegible]t, multa mala in regressu passus. Abagha redeuntes [illegible]tim interemit, partim veste muliebri vestiendos cu[illegible]t. Volebat & ipse suorum sarcire ignominiam, sed à [illegible]ro Saracenico corruptis extinctus est cum fratre. Suc cel[illegible] frater alter Tangodor, olim Christianus, dictus in

Baptiſmo Nicolaus, ſed hic factus Saracenus & dictus Mahometes, Eccleſias omnes euertit, de cuius morte anno 1285. dicetur, *Haytho, Sanutus, Byzarrus*. Iudæi in Germania crudeliter vexati quòd abuti Chriſti Sanguine, & Corpore, & ſubreptos infantes Chriſtianos mactaſſe, puteos veneno infeciſſe crederentur, itaque omnes Moguntiæ vel cæſi vel vrbe pulſi, quod & factum in multis Germaniæ ciuitatibus, *Trithemius, Serarius in Hiſtoria Moguntina.*

Anno Chriſti MCCLXXXIII. *Expectabat omnis Europa exitum certaminis Burdegalenſis inter centum Equites Francos cum Carolo, & centum Aragonios cum Petro, atque incredibilis hominum multitudo iam Burdegalam confluxerat. Adfuit Carolus cum ſuis equitibus, & à mane ad veſperam expectauit. Petrus non comparuit, aut ſaltem ſub veſperam ignoto habitu ſerui*, inquit Surita, *ad Prætorem vrbis acceſſit, cui & arma tradidit, cauſatus Franciæ Regem in armis eſſe; cum reliqui Scriptores negent illum comparuiſſe, & tantum fallere Carolum eiuſque fortitudinem eludere voluiſſe*, Ricordani Continuator Iacobus, Ptolemæus Lucenſis, Chronicon Monfortij, S. Antoninus, Nangius, Villanius, &c. Petrum Aragonium Martinus Pontifex excommunicarat, & Regem prohibuerat appellari; quæ vt irrideret impius iſte, atque ſacrilegus, imperabat ſe appellari militem Aragonium, patrem duorum Regum, & maris dominum, & ad futurum Pontificem prouocarat, *Weſtmonaſterienſis, Continuator Ricordani, Surita.* Ne quid tamen negligeret, & potentiam Francorum reformidans, Eduardo Anglo ſe adiungere conatus eſt, & ſibi per nuptias conciliare, Eleonoræ ſcilicet filiæ Eduardi, cum filio ſuo primogenito, quas impedire ſuis Litteris Martinus voluit, *Litteræ Martini Papæ.* Euocatus in auxilium Alphonſi Caſtellæ Regis Rex Marochius parùm, aut nihil proficiebat: profecit magis Pontifex fulminibus ſacris, & iis multos Hiſpanos patri contra filium adiunxit, *Litteræ Pontificiæ, & Mariana.* Dauid Leolini frater Principis Walliæ author fratri rebellionis in Anglos, cæſo Leolino in prælio, ipſe captus eſt, & ad caudam equi relegatus poſteà ſuſpenſus, & decollatus pœnas ſuæ rebellionis exſoluit, *Weſtmonaſterienſis, & Waſinghamus.* Tum inuentum eſt in ciuitate Legionum ſeu *Caërneruon* cadauer Conſtantij patris

Magni Constantini, ac iubente Rege in Ecclesia honorificè collocatum. Tradita quoque ibidem in Vallia Eduardo corona magni Regis Arturij, *iidem.* In Scotia anno Alexandri Regis 34. pestis primùm grauiter sæuiit, morbus hactenus Scotis ignotus, *Hector Boethius lib.* 13. Hoc anno mortuus est Michaël Palæologus Imperator Constantinopolitanus cognomento *Magnus*, in medio sui exercitus morbo cardiaco prope Lysimachiam, in Thracia inter vicos Pachomium, & Allagem. Deceptus autem Pachomij nomine ex oraculo, ob quod Pachomium virum quendam excæcasset ne aliquando imperaret. Obiit autem anno ab orbe condito ex supputatione Græcorum 6791. qui in hunc annum cadit. Successit ei filius primogenitus Andronicus annos natus 23. aut 24. qui patrem suum Ecclesiasticâ sepulturâ donari vetuit, quòd Concilio Lugdunensi, & Latinæ Ecclesiæ adhæsisset, magnáque est persecutio in Catholicos à Schismaticis concitata, Patriarchis subinde mutatis, & Becco suam sponte deserente Sedem, *Gregoras, Pachymerius, Phranzes, Nicetas.* De Concilio tum habito Constantinopoli vide *Spondanum.* Tunc temporis peregrinabatur in Palæstina, *Borchardus Dominicanus Germanus*, cuius habemus Hodæporicon, & descriptionem Terræ sanctæ.

Anno Christi MCCLXXXIV. contigit clades grauissima Pisanorum mense Augusto, illata à Genuensibus ad Meloriam Insulam in conspectu Pisarum positam, quâ cæsa sunt aut capta sexdecim millia, iusto Dei iudicio, cùm eorum operâ Entius Friderici nothus filius pergentes ad Concilium Romanum Præsules sub Gregorio Nono in nauibus Genuensium, cepisset & dirissimè tractauisset, *Ptolemæus Lucensis, Continuator Ricordani, Villanius, S. Antoninus, Nebiensis, & alij.* Mortuus est hoc anno Alphonsus Rex Castellæ & Legionis, Aprili mense, ætatis anno sexagesimo tertio, & climaterico. Debet huic Hispania linguam suam politiorem; vir doctissimus fuit, & *Sapiens* vulgò cognominatus. Eius filius Sanctius exhæredatus licèt testamento patris, Sceptrum arripuit debitum Alphonso, & Ferdinando Cerdis ex Blancha genitis. Dictus est *Fortis*, ab aliis conuenientiùs *Ferox*, qui mox filiam ex Isabella & incesto matrimonio genitam, Regni hæredem cum consensu

Procerum pronunciauit, quod tamen seruatum non est, *Rodericus, Santius in Historia Hispanica, Mariana, & alij. Carolus Claudus filius Caroli relictus Neapoli à patre, prouocatus iniuriis Rogerij Lauriæ Aragoniorum Archithalassi experientissimi, certamen cum eo nauale conseruit, quod vrgebat Lauria interceptis Caroli litteris, quibus se profecturum cum ingenti classe pollicebatur. Desertus à suis Dux iuuenis, naue etiam per vrinatorem suffossâ, captus est 5 Iunij. Adfuit post triduum pater, magno suo dolore, & in filium iracundiâ, cui optauit mortem, aut certè malum Clericum appellauit. Carolus Claudus ductus in Siciliam à Siculis morti adiudicatus est, ob Conradinum capite truncatum. Sed eum sapienter subduxit Constantia, (aut vt alij volunt piè, cùm ei die Parasceue moriendum esset) & in Catalaniam misit posteà redimendum. In reliquos captiuos à Siculis igne sæuitum,* Ricordani Continuator, Villanius, S. Antoninus, Nangius, Collenutius, Summontius, & alij. *Philippus Pulcher 16. Augusti annos natus 15. duxit vxorem Ioannam Reginam Nauarræ, quæ dotis nomine huic regnum detulit, & Comitatus Briæ, atque Campaniæ. Quidam tamen in annum sequentem reiiciunt has nuptias,* Nangius, Hocsemius, & alij. Mortuus est hoc anno Hugo Lusignanus Rex Cyprius, aut sequenti die 16. aut 26. Martij, Tyri in Syria, qui & sibi Hierosolymitanum regnum vindicabat; ei successit filius Ioannes, & post annum eius frater Henricus, *Sanutus, Bosius in Historia Hospitalariorum.* Deditum est hoc anno Margathum oppidum Saracenis ab Hospitalariis, cùm illi cuniculum ad eius muros duxissent, & his paratam ruinam indicassent; sic boni illi propugnatores dimissi sunt incolumes, *Villanius, Continuator Belli sacri.* Ptolemaïs quoque seu Accon *Acre*, à variis dominis lacerata, & certa discordiæ sedes in exitium proximum non tam ruebat, quàm præcipitabat, *iidem Scriptores.*

Anno Christi MCCLXXXV. multi Viri illustres obiere, atque inter cæteros *clarissimus Carolus Andegauensis vtriusque Siciliæ Rex, Foggiæ in Apulia, cùm regnum percurreret, ad suos in officio continendos, qui titubare videbantur ob acceptas à suo Principe clades: mortuus est autem pientissimè ætatis anno 66. Siculi regni 20. Hierosolymitani 8., vir planè magnus, & ab hostibus etiam Græcis impensè laudatus. Vxor eius Margarita Co-*

mes Tornodori de Tonnerre, *ad sua rediit, vbi & Nosocomium excitauit, in quo pauperibus reliquâ vitâ suâ cum magna pietate seruiuit*, Continuator Ricordani, Nangius, Villanius, Gregoras, & alij. *Successit patri Carolus Claudus Princeps Salernitanus, qui quòd captiuus teneretur, Pontifex Gerardum Cardinalem Legatum suum, Baillivum huius Regni constituit, qui regnum Neapolitanum cum Roberto Comite Atrebatensi, eò per Philippum misso, & Maria Hungara Caroli Claudi vxore, administraret*, Collenutius, Paulus Æmilius, Litteræ Martini, &c. Eodem anno Mahometus ille Tartarus, aliàs Christianus, & in sacris aquis dictus Nicolaus, factus posteà Saracenus, ac Christianis perinfensus, iunctúsque fœdere Sultanis, cùm fratrem suum interemisset, à quo accusatus fuerat apud Cobilam summum Tartarorum Chamum, & Argonem filium Abaghæ, qui eadem Chamo renunciauerat, conatus esset interficere, ab eodem Argone qui ad montes confugerat, iam Rege facto, captus per medium detruncatus est, *Haytho, Sanutus, Bizarrus, Continuator Belli sacri, &c.* Cadit quoque in hunc annum Martini Pontificis obitus, qui Perusij, die Paschatis hoc anno 25. Martij, sacris peractis incidit in morbum, & post dies quatuor, 28. eiusdem mensis extinctus est, cùm sedisset annos quatuor, mensem vnum, & septem dies; mortuus est in habitu Minoritæ, & sicut mandarat se sepeliri Assisij in Ecclesia S. Francisci. Sed cùm eius successor id neglexisset, Perusij remansit, vbi propter miracula vti Sanctus colitur, *Testis αὐτόπτης Poloni Continuator, Nangius, Westmonasteriensis, & alij.* Successit ei Iacobus Sabellus 2. Aprilis, & coronatus 15. eiusdem mensis die Dominicâ, dictus est Honorius IV. *iidem qui suprà.* Hic Pontifex fulmina in Petrum Aragonium à Martino contorta fulminauit, prouocatus ab eo iniuriis & animi duritie, *Surita, & Platina.* Idem Petrus veritus arma Francorum, auxilium à Rodolpho Cæsare postulauit, sed ab eo nihil obtinuit præter verba, quoniam bello Heluetico implicitus erat, *Mariana lib. 14. cap. 9. Philippus Audax Aragonium Petrum aggreditur eíque Perpinianum eripit; Gerunda tribus mensibus restitit, cùm à Raymundo Cardona fortiter defensa esset. Sed cùm Petrus tendens insidias Francis commeatum & stipendia ducentibus, cum quingentis equitibus & bis*

mille peditibus, à trecentis equitibus selectis Francis, Ducibus Rudolpho de Nigella (Comite Stabuli, & Ioanne de Harcurio Mareſcallo victus eſſet, & tantùm non captus in Vigilia Virginis Aſſumptæ, Gerunda ſe dedidit. Cùm tamen lues in caſtris Francorum ſæuiret, Philippus rediit in Galliam pedeſtri itinere, & imprudentiſſimè magnam nauium partem, vt inutilem comburi iuſſit; reliquias claſſis aggreſſus Rogerius Lauria Archithalaſſus vicit, capto etiam earum Præfecto. Quo nuncio accepto Philippus maturauit iter, ipſe iam æger deuectus lecticâ, cuius agitatione, morbo ingraueſcente, obiit Perpiniani ſexto Octobris, vel 23. Septemb. die Dominicâ ante feſtum S. Michaëlis, ætatis ſuæ anno 40. & ampliùs, regni 15. cum menſe vno, & diebus vndecim. Succeſſit ei Philippus Pulcher annos natus 17. & iam Rex Nauarræ, Nangius, Ptolemæus Lucenſis, Villanius, S. Antoninus, & alij. *Mortua quoque eodem anno Margarita S. Ludouici vxor, & mater Philippi Audacis menſe Decembri in Monaſterio Clariſſarum S. Marcelli quod fundarat, quæ & reliquit omnem ſupellectilem pretioſam ſuam magno Noſocomio Pariſino*, Fratres Sammarthani. *Diſcedentibus Francis Gerunda breui rediit in Aragoniorum manus, & Petri; qui dum Iacobum fratrem Regem Balearidum bello perſequi parat, quòd Francis adhæſiſſet, obiit Villafrancæ octauo Nouembris, ex vulnere quod in loco inſidiarum acceperat, vel ex libidine, cùm nondum vulnere ſanato, cuidam mulieri permixtus eſſet.* Abſolutus eſt moriens ab Archiepiſcop. Taraconenſi. Succeſſit patri Alphonſus filiorum Maximus, qui tum bellum gerebat in Iacobum auunculum, eúmq; deturbarat regno. Alter autem Iacobus frater Alphonſi, qui cum matre Conſtantia Siciliam regebat, dixit ſe eius Regem, Ducem Apuliæ, & Principem Capuæ, fecítque alteram ſtirpem Aragoniorum, qui in Italia rerum potiti ſunt, *Villanius, S. Antoninus, Mariana, Surita, &c.* Deceſſit quoque Philippus Comes Sabaudiæ Septimus, virtutibus omnibus illuſtris, qui imminente morte, à præcone per totam Sabaudiam, & Burgundiam vxoris ſuæ ditionem proclamari iuſſit, ſi quis ab eo læſus eſſet, accederet ſatisfactionem, ſine dubio, accepturus. Inſuper ſupellectilem ſuam pretioſam diſtribuendam curauit inopibus, & Monaſterium Altacumbæ vbi ſepultus eſt multis donariis, & reditibus illuſtrauit, *Hiſtoriæ Sabaudiæ Scriptores.* Venceſlaüs filius Othocari, Othoni Brandebur-

gensi commissus post septem annos, ingenti auri pretio redemptus, Bohemis exultantibus restitutus est. Duxit Iudicham seu Iutham Rodolphi Cæsaris filiam, ex qua natus alter Venceslaüs; vnde Rodolphus aliquas ei ditiones concessit, eúmque Electorem creauit sub nomine *Imperij Pocillatoris*. Hic tam pius fuit, vt duobus ante nuptias annis perpetuò cilicium gestarit, sæpè ieiunarit, quod & fecit maritus; denique ita vixit, vt miracula etiam ediderit, *Dubrauius, & alij*. Mutatus hoc anno Carmelitarum habitus, & pro chlamide albâ latis fasciis pallis distinctâ, albam ferre cœperunt, *Massonius in Honorio*: dicebantur tamen in Gallia Sacculi seu Sacati; hac tamen vestis mutatione offensus est Sultanus Saracenus, qui eos antè coluerat, atque ex monte Carmelo deiecit, *Villanius, S. Antoninus, Continuator Belli sacri. Honorius instituit Parisiis Arabicæ & Linguarum Orientalium studium, curâ commißâ Cardinali Choleto*, in quod studium incubuit quoque Raymundus Lullus, *Litteræ Pontificiæ, & Surita*. Argon Tartarus post supplicium Mahumeti Ecclesias reparat, sibíque denuò Principes Armeniæ, & Georgiæ conciliat, à Tartaris per Mahumetum alienatos, *Haytho, Sanutus, & alij*. Monachij in Bauaria 80. Iudæi combusti, quòd puerum aculeis cæsum interemissent, & alium per Anum rapere conati essent, *Chronicon Salisburgense apud Canisium*.

Anno Christi MCCLXXXVI. natus est Sancio *Forti* seu *Feroci* ex incœsto Isabellæ connubio Ferdinandus, quem statim in conuentu Procerum hæredem suum declarauit, *Rodericus, Sanctius Episcopus Pallentinus*. Honorius Ordinem Apostolorum dictum, mendicantem damnat, *Litteræ Pontificiæ*. Damnat & Petri Aragonij successores, *eædem, & Surita*. Inuitat Rodolphum Cæsarem ad Coronam Imperij accipiendam; sed ille veritus arma Ciuitatum, & Principum Italorum, is vendidit libertatem, *Villanius, Sigonius, & alij*. Bellum tamen gessit in Comitem Wirtembergensem Principem turbulentum, & inquietum, excisum in vtero matris, & à matre prænunciatum fore inquietissimum, *Sueuici Annales*. Ladislaüs *Chunus* Hungariæ Rex contaminatissimis moribus, & stipatus pellicibus Cumanis, in se prouocauit Romanum Pontificem, qui eum ad sanam men-

tem reuocare conatus, etiam appellato auxilio Regis Bohemiæ, & Principum Poloniæ, *Litteræ Honorij. Philippus IV. cognomento Pulcher, Rhemis inauguratus est die sacro Epiphaniæ, rediénsque Parisios audiuit egregiam orationem Ægidij Romani, de familia Columnarum, Augustiniani, S. Thomæ discipuli; quem Rex vti præceptorem semper coluerat* : is factus est Generalis sui Ordinis & Archiepiscop. Bituricensis, dictus Doctor *Fundamentarius*, & *Fundatissimus*, & à Seripando Cardinale item Augustiniano *puppis Theologorum*, de quo iterum in eius obitu 1316. dicetur, *Trithemius, Chronicon Augustinianum.* Cæsus est omnibus exosus, à Proceribus coniuratis 23. Nouembris Ericus Rex Daniæ in lecto sex & quinquaginta vulneribus, relicto Erico filio duodenni, percussores fugere in Noruegiam, vnde magna sunt enata bella, *Krantzius, Pontanus. Henricus Rex Cypri Ptolemaïdem occupauit eiecto præsidio Siciliæ Regis quare Robertus Atrebatensis Rector Regni Neapolitani bona Templariorum, & Hospitaliorum, qui ei fauerant proscripsit*, Sanutus, Walsinghamus, Continuator Belli sacri, &c. Mortuus est Senis in Tuscia 20. Martii Ambrosius Sansedonius Dominicanus, vir sanctissimus, & à Clemente VIII. in numerum Sanctorum relatus, *Dominicanorum Annales.* Concilia hoc anno duo celebrata sunt Foroliuiense à Bonifacio Archiepiscop. Rauennate, & Bituricense per Simonem de Belloloco eiusdem vrbis Archiepisc. & Primatem, *Concilia Generalia.*

Anno Christi MCCLXXXVII. *conditiones admodum acerbæ propositæ sunt Carolo Claudo captiuo, quas Pontifex vti summus dominus improbauit*, Surita, Mariana, Litteræ Honorij. Celebratus est hoc anno Conuentus Herbipolensis à Rodulpho Cæsare, & Proceribus Germanis, in quo multa vtilissimè proposita, atque tractata; & ea sæpè sunt per varias Synodos confirmata, publicata sunt à Iacobo Cardinale Episcopo Tusculano die Martis post Dominicam *Lætare*, seu quartam Quadragesimæ, *Trithemius, Eberardus, Stero, Auentinus, & alij.* Obiit hoc anno Honorius IV. Romæ 3. Aprilis in Cœna Domini cùm duobus annis, & vno die sedisset. Dilata creatio successoris in annum sequentem ob morbos, & mortem quorumdam Cardinalium ex cæli, locíque grauitate, *Bergomensis, Sabellicus, Trithemius, Ciacco-*

nius, Volateranus, & alij. Vnus restitit in hoc loco Hieronymus Cardinalis Asculanus Minorita, & à se atque suis luculento igne periculum discussit, *Ptolemaus Lucensis, & alij. Concilium celebratum est Rhemis initio Octobris, in causa Dominicanorum, & Minoritarum de Pœnitentibus audiendis ex concessione Martini IV. quibus Episcopi & Parochi obsistebant, proponebántque ius antiquum, & consuetudinem; ibíque statutum, hanc litem* ad tribunal Pontificis referendam, *Concilia Galliæ.* Habitum quoque Mediolanense 12. Septembris feriâ 6. in Æde Sanctæ Theclæ contra hîc grassantes hæreses; cui præfuit Otho Archiepiscopus, *Corius, & Ripamontius.* Hic tum Ducatui præerat, effecítque vt eius regimen in annum tanquam Capitaneo committeretur (hoc est, Duci) fratri suo Matthæo. Deinde in quinquennium hæc dignitas extenderetur, quæ denique perpetua huic familiæ addicta fuit, *iidem qui suprà.* Tartari in Polonia grassati sunt; Lesco Principe cum vxore ac liberis in Hungariam fugiente. Certe tum abducta fuerunt viginti puellarum innuptarum millia. Abstinuere tamen à desolatione Monasterij Lissesensis S. Crucis, inde fulminibus, grandine, & imbribus depulsi. Intactum quoque remansit Sandacense Monasterium, ex quo abscesserat S. Cunegundis cum duabus sororibus suis, & septuaginta virginibus in Pieninam arcem munitissimam. Iidem Tartari Russos qui eos receperant malè mulctarunt infectis veneno magico eorum aquis, quo plurimi interierunt, *Stero, Eberardus.* In oppido Wesela ad Rhenum die Parasceues passus est Vernerus adolescens à Iudæis crudeliter necatus, *Trithemius, & Surius in eius vita 19. April.* Obiit hoc denique anno Thomas de Cantilupo Episcopus Herefordiensis olim Cancellarius Angliæ, Faleriis 2. Octobris dum Româ redit acturus de Ecclesiæ defensione: ossa eius relata sunt in Angliam, multísque claruere miraculis; quibus cùm occurreret Comes Glocestriæ seu Glouerniæ, ad eius aspectum copiosum sanguinem emisere. Quo portento stupefactus Comes, eius persecutor, facta sua salubri pœnitentiâ emendauit, *Westmonasteriensis, Wasinghamus, Surius, in eius vita 2. Octobris.*

Anno Christi MCCLXXXVIII. Frater Hieronymus Asculanus Franciscanus, Cardinalis Episcopus Præne-

stinus electus est Pontifex 22. Februarij, & 24. apud S. Petrum coronatus, dictus est Nicolaus IV. in gratiam Tertij, à quo fuerat creatus Cardinalis, *Villanius*, *Onuphrius*, *&* *alij*. *Ex pactis anno superiore Olorone 29. Octobris liberatur Carolus Claudus datis obsidibus tribus filiis Ludouico, Roberto, & Ioanne*, Nangius, Villanius, Ptolemæus Lucensis, S. Antoninus, Platina, Surita, Mariana, Walsinghamus, Westmonasteriensis, Collenutius, & alij. Plerique omnes, præter quosdam Dominicanos; *qui Carolum per miraculum à Sancta Magdalena, cui addictissimus erat, liberatum volunt, & Tertium ei apparente, noctu è custodia eductum, atque prope Narbonam constitutum, eius festo die*; quæ nemo prudens facilè admittet contra tot testium fidem. *Pollicitus erat Carolus Claudus Aragonio cessionem Insulæ Siciliæ Iacobo Aragonio, approbante Pontifice; absolutionem Aragoniis, eorúmque fautoribus, & Carolum Valesium depositurum nomen, & titulum Regis Aragonum*, Nangius, Villanius, Ptolemæus Lucensis, S. Antoninus, & alij. *Sed hæc pacta improbarunt Philippus Pulcher, eiúsque frater Carolus, & ad inuadendos Aragonios paratos vidit. Enimuerò Ioannes Choletus Legatus, nouum fœdus inierat Lugduni, mense Iulio, inter Philippum Franciæ, & Sanctium Castellæ Regem; videlicet Alphonsus Cerda abstineret titulo Regis Castellæ, sed acciperet Regnum Murciæ, cui etiam succederet minor frater Ferdinandus, si primogenitus absque prole moreretur, daret Sanctius Philippo mille equites, immò iter Gallis in Aragoniam per suam ditionem expediret. Quod aduertens Alphonsus Aragonius fratres duos Cerdas fidei suæ commissos liberos emittit: statímque Alphonsus Iaccæ ab amicis & fratribus Lupi Hari, (quem Sanctius sustulerat, aliàs sibi fidum & vtilissimum) Rex Castellæ, & Legionis coronatus, vnde magni sunt tumultus concitati*, Mariana, & Surita. Vgolinus Comes Pisis cum duobus filiis, atque nepotibus datus est in carcerem, ibíque fame necatus, etiam inclusis negatâ confessione, *Villanius*, *S. Antoninus*, *Blondus*. Secta Reiudaïzantium hoc anno emersit, *Emericus in Directorio*, *&* *Litteræ Pontificiæ*. Contigit hoc anno, die Sabbati 5. Iunij. pugna illa celeberrima, ad Coloniam inter Ioannem Ducem Brabantiæ, & Henricum Comitem Lutzemburgi de Ducatu Limburgensi. Brabantino fauebant Comes-stabuli de Nigella, & Harcurius Marescallus maxi-

mi duces; Lutzemburgensi Siffridus Colpniensis Archiepisc. Reginaldus Comes Gueldriæ, & Adolphus Nassouius posteà Rex Roman. Ioannes produxit 1500. equites, Henricus 1300. omnes selectissimos. Pugnatum à manè ad vesperam atrociter, & peritè, quingenti ex vtraque parte cæsi, cecidit Henricus cum duobus fratribus, victoria Ioanni cessit sicùt & Ducatus, victi pænè omnes capti, paucis admodum fugientibus. Ioannes tamen Henrico Lutzemburgico iuniori, filio interfecti, dedit filiam suam vxorem, qui sic vixit, vt posteà dignus Imperio videretur, *Hocsemius, Ioannes à Leidis, Meyerus, Villanius, S. Antoninus, Æmilius, & alij.* Meditatur Argon Tartarorum Rex in Perside suscipere Baptisma in vrbe Hierosolyma, quam Saracenis eripere cogitabat; quare ad eum scripsit Nicolaus, misítque Minoritas, qui hoc negotium promouerent, *Litteræ Nicolai, & Wadingus.* In villa Archel Diœcesis Leodiensis puella sine potu & cibo triginta ipsis annis vixit, re per Parochum sanctè probatâ, *Nauclerus.*

Anno Christi MCCLXXXIX. *Carolus Claudus redux ex carcere Aragonensi venit in Italiam, & Florentiæ exceptus est magnificentissimè, dato Florentinis duce Americo Narbonensi egregio bellatore. Hinc Reate perrexit ad Pontificem, vbi die Pentecostes 29. Maij Rex Siciliæ, & Apuliæ coronatus est, fremente Aragonio, qui Carolum tantùm Apuliæ Regem, non Siciliæ agnosci volebat,* Villanius, Nangius, Surita, & alij. Iacobus Siciliæ Rex Catanzanum oppidum Calabriæ sibi asseruit mense Iunio, atque Aragonio præsidio firmauit; *quod illicò Robertus Atrebatensis Caroli Legatus obsedit. Sed statim Iacobus adfuit cum Rogerio Lauria, vt Robertum depelleret. Certatum itaque terrestri certamine, victi Iocobus & Lauria, maiori tamen ignominiâ quàm damno, quòd hic nondum victus esset, ille pugnas à clade auspicaretur,* Fazellus, Villanius, S. Antoninus, Paulus Æmilius, &c. Iacobus tamen Caietam classem duxit, eámque obsedit; *sed Carolus iam Neapoli degens, eam obsidionem discussit, immò & inducias obtinuit in duos annos, reddito Catanzano, quòd ægrè ferens Atrebatensis iratus cum magna parte nobilitatis repetiit Galliam, accusatus à Gallis quòd victoriam elabi sibi sineret ex manibus; sed saluti populorum suorum, quàm suæ gloriæ magis prostitueret, ideò à Francis dictus* Cunctator, *sed*

pari cum Fabio Maximo gloria, Nangius, Villanius, S. Antoninus, &c. *Eodem tempore Aimericus Narbonensis nobilem de Aretinis ac cæteris Gibellinis, pro Guelphis victoriam retulit, in qua cecidit Guillelmus Episcopus Aretinus, qui meliùs ad aram stetisset, quàm armatus in campo,* Villanius, Antoninus, &c. *Condita est hoc anno à Nicolao IV. Montis pessulani Academia,* Litteræ Pontificiæ: qui Pontifex prouidit quoque populis Orientalibus Armeniæ, & Persidis, idémque Meridionalibus & Æthiopiæ; denique & Septentrionalibus, & Tartaris per Minoritas, *eadem Litteræ, Wadingus, & M. Paulus Venetus:* idem Pontifex creauit Archiepiscopum Marochi Rodericum Minoritam, eúmque Legatum Apostolicæ Sedis constituit, *Litteræ Nicolai.* In Syria Tripolis capta ab Elpi, seu Elfi, qui & Melec-Meser, seu Melec-Mesor, qui & eam penitùs exscidit, cæsis septem millibus ciuium, cæteris in seruos abductis: id contigit in festo Sancti Marci, aut certè die sequenti. Occupauit exinde aliquot præsidia Christianorum; mox vt acquisita seruaret cùm iis inducias fecit, *Epitome Bellorum sacrorum, Villanius, Continuator Belli sacri.* Hoc anno Constantiæ in Sueuia niuibus è cælo copiosè cadentibus, nihilominùs calida tempestas fuit, & Hyems similior Veri, *Crusius in Annalibus Sueuicis.*

Anno Christi M C C X C. contigit Ecclipsis Solis die Martis 5. Septembris. *Parisiis 2. Aprilis die festo Paschæ mulier Iudæo obtulit, pro vestibus oppigneratis sanctam Eucharistiam sumptam in æde S. Mederici. Hic configit sanctum corpus cultro pennario, vnde sanguis effluxit. Tum clauo & malleo transuerberauit, sanguine quoque defluente. Monetur ab vxore vt abstineat, sed impius hostiam in igne proiecit, hæc per totam domum volitauit: discindere eam nititur cultro, integra semper manet; appensam lanceæ percutit iuxta latrinam, copiosus de more sanguis effluit: inde proiicit in aquam bullientem, sed eleuata in Crucifixi formam iterum se Iudæo videndam obiicit. Res detecta est à muliercula, quæ hostiam vase, quo ignem quærebat, excepit. Hostia autem translata in ædem S. Joannis de Grauia, vxor Iudæi & filij baptizati, pater impœnitens cum libro quem iactabat, igne combustus; in Iudæi domo ædes constructa data Fratribus Charitatis Sanctæ Mariæ; hæc capella ædificata est anno 1294. à Parisino ciue Raynerio Flamingo, dicta* Miraculorum, *quam Philippus Pulcher 1299.*
domo

domo adiunctâ auxit, Labbeus tom. 1. Bibliothecæ nouæ pag. 663. item Nangius, Villanius, S. Antoninus, & alij. *hodie dicitur Ædes Billettarum, ab Aqua bulliente, & in ea culter & alia instrumenta miraculi à Patribus Carmelitis Mitigatis ostenduntur.* Obiit hoc anno Alexander III. Rex Scotiæ lapsus ex equo, & fractâ ceruice cùm annis 41. regnasset, mors eius prænunciata ab Ariolo Thoma Leermondo Anglo, qui dicebatur *Rythmicus Vates.* Disceptarunt de eius successione Ioannes Baliolus, & Robertus Brusius, eiúsque negotij iudicium ad Eduardum delatum fuit. Hic causam adiudicauit Baliolo, quia hic se, cupiditate Regni, Anglo submittebat, reiectus Brusius pluris faciens libertatem, & Regni decus, *Maior, Boëthius, & alij.* Eduardus Iudæos expulit ex Anglia, bonis eorum fisco adiudicatis, quod anno superiori factum erat in Aquitania, ex Concilio Londinensi, *Westmonasteriensis, Walsinghamus, Polydorus.* Cæsus est hoc anno 19. Iulij à Cumanis, quibus se nimis addixerat, Hungariæ Rex Ladislaüs cognomento *Chunus* dum in tabernaculo quiesceret, homo penè ad insaniam libidinosus, sub quo ad tantam inopiam redacta est hæc Prouincia diues, vt homines ad currus & aratra iumentorum loco iungerentur, *Bonfinius, Michouius. Carolus Siciliæ vtriusque Rex eius loco Neapoli 8. Septembr. die Natiuitatis B. Virginis filium suum maiorem natu Carolum cognomento Martellum coronari fecit, per Legatum Sanctæ Sedis, quòd genitus esset ex Maria Ladislai sorore. Sed eum non misit in Hungariam; quia eius Regni Proceres Andream nomine Venetum, seu Andreatium; anteà ad se in odium Ladislai euocatum, crearant Regem. Sícque de eo Regno magna est excitata contentio, Rodolfo Cæsare etiam id pro filio suo prensante*, Michouius, Villanius, Bonfinius, & alij. Mortuus est hoc anno Felicius Magnus Rex Sueciæ, vir valdè pius, & in Ecclesiam optimè affectus, relicto filio Birgero impubere sub tutela Turgilli Dapiferi, *Jo. Magnus Vpsalensis Præsul in sua Suecorum Historia lib. 20. cap. 9.* Circa hæc tempora datus est in carcerem à fratre Andronico Constantinus Porphyrogenitus, cui pater Thessalonicense Regnum parabat, ob vultus, & morum elegantiam, in quo carcere obiit, cum multis suis amicis, inter quos eminebat Strategopulus Dux fortissimus, quibus Imperium valdè in-

digebat vt Turci Græciæ imminentes depellerentur, *Gregoras*, & *Phranzes*.

Anno Christi MCCXCI. *expediebantur arma à Francis & Castellanis in Aragonios, Carolo Siculo nequicquam reclamante, sed demùm à Legatis Pontificiis inter eos pax inita est Tarascone in Prouincia sub initium Februarij. Non sunt vocati Tarasconem Iacobus, & Siculi, ne moras iniicerent, quare in Iacobi fidem iterum iurarunt, parati omnia subire potiùs, quàm submitti Francis*, Summontius, Surita, Mariana, & Litteræ Pontificiæ: *quæ Pax etiam nuptiis firmata. Carolus enim Siculus dedit Clementiam, seu Margaritam, filiam suam Carolo Andegauensi, vt iure in Aragoniam cederet, Alphonsus Aragonius expectans Eleonoram filiam Regis Angliæ, & paratis omni magnificentiâ nuptiis* 18. *Iunij obiit Barcinone annos natus* 27. *ibique in veste Minoritæ sepultus. Cùm ἄτεκνος obiisset successorem habuit Iacobum fratrem coronatum Cæsaraugustæ* 24. *Septemb. quo ex Sicilia accesserat, in ea relicto Friderico fratre administratore, qui tamen secutus testamentum Alphonsi fratris dixit se Regem. Iacobus autem cum Sanctio pacem iniit acceptâ in sponsam Isabellâ eius filiâ nouenni, neglectis Cerdis, qui tum nihil poterant*, Surita, Mariana: at Villanius, & S. Antoninus hæc in annum 1295. reiiciunt. *Ptolemaïs vrbs ditissima & munitissima, Christianorum in Palæstina caput, sed ab iisdem turpissimè fœdata, atque lacerata moribus corruptissimis (de quibus* Continuator Belli sacri, & Brochardus *tum in Palæstina degens) bello appetitur à Sultano Melec-Messor cum centum sexaginta peditum millibus, & equitum sexaginta. Sed veneno sublatus est ab exercitus huius duce, qui dum regnum inuadit à suis in frusta concisus est. Successit ergo patri Asseraffus vulgò* Melec-Seraph, *id est*, Rex ardens, *adiuratus à patre, ne corpus eius sepeliretur nisi captâ Ptolemaïde. Itaque* 5. *Aprilis obsedit vrbem, quam tamen seruabant armatorum quadraginta octo millia ex veteranis militibus, & nouis supplementis. Selectus est communi consilio Petrus, seu Guillelmus Beliusius Templariorum Magister, qui conatus Sultani fortiter elusit, succensis eius machinis, & ingenti editâ Saracenorum strage; verum cùm hic cæsus esset, & plurimi per mare liberum in Cyprum Insulam recessissent, vrbs capta, incensa, diruta, rescissis etiam mœnium & & publicorum ædificiorum fundamentis*, 19. *Maij; cæsis aut abductis vltra sexaginta Christianorum millibus, præter eos qui sub-*

merſi ſunt, aut cymbis degrauatis, aut in nauibus tempeſtate quaſſatis dum Cyprum petunt. Fugit maturiùs quàm deceret Rex Cypri, qui ſuppetias laturus vrbi aduenerat; Legatus Pontificius Nicolaus de Anapiis Dominicanus, vltimus cymbam conſcendens, & nimis multos excipiens, cum eis periit. Moniales Clariſſæ, iis prælucente Abbatiſsâ, ſibi nouaculis naſum abſciderunt, totúmque deformarunt vultum, ideóque à Saracenis omnes interemptæ. Sic pulſi de Palæſtina Chriſtiani, captis inſuper Sidone, & Beryto; Saracenis tamen in ſeſe atrociſſimè ſæuientibus, vt ſcribit Haytho: de hac clade Nangius, Villanius, Sanutus, Corius, Blondus, Hiſtoria Hoſpitalariorum Bozij, S. Antoninus, & alij. His auditis Nicolaus IV. Chriſtianos ad Bellum ſacrum inuitauit, immò & Argonem Tartarum: coniungere conatur Ordines Templariorum, & Hoſpitalariorum, quam rem admodum vrgebat Raymundus Lullus, ſed fruſtrà, *Epiſtolæ Pontificiæ, & Wadingus.* Celebrata ſunt hoc anno Concilia Mediolanenſe, Saliſburgenſe, *& aliquot in Gallia, Corius, Chronicon Saliſburgenſe, Nangius.* Exceſſit è viuis hoc anno Rodulphus Rex Romanorum in oppido Germersheim prope Spiram 30. Septembris, eodem die quo creatus erat, ætatis anno 73. regni duodeuigeſimo, vir pius & iuſtus, & quod regnum pietate ſibi conciliarat, ſummâ iuſtitiâ reddidit illuſtrius, *Chronicon Alberti Argentinenſis ex Epitaphio, Onuphrius, & alij. Philippus Pulcher per totam Galliam Italos Mercatores comprehendi iuſſit nocte primi Maij, ſpecie inquirendi in fœneratores; qui tamen mox pecuniâ ſolutâ liberati ſunt; quare vti ſordidus reprehenſus eſt à Nicolao, & Cœleſtino Pontificibus*, Litteræ Pontificiæ, Villanius, S. Antoninus. Tranſlata creditur hoc anno ex Palæſtina ædes Nazarethana, & auulſa ex templo, quo olim Helena Auguſta eam incluſerat: continebat Aram, Imaginem Crucifixi ab Apoſtolis ipſis conditam, & Imaginem cedrinam B. Virginis filium geſtantis, per Sanctum Lucam elaboratam. Collocata autem eſt primò in colle inter Terſactum & Flumen oppida Dalmatiæ, imminente Sinui Hadriatico, *Baptiſta Mantuanus, Caniſius de Deipara, Blondus lib. 2. de Italia Illuſtrata, Regione 5. Turſelinus, Petrus Roëſſius è Societate Ieſu in eius Apologia, & alij aduerſus obtrectatores.*

Anno Chriſti MCCXCII. Francofurti electus eſt hoc

anno 6. Ianuarij, vel vt alij volunt 1. Maij; coronatus Aquisgrani 24. Iunij Rex Romanorum Adolphus Nassouiæ Comes, potissimùm arte Gerardi Archiepiscopi Moguntini, qui & callidè exclusit Albertum Austrium Rodolphi filium, qui eò cum magno comitatu accesserat. Dicitur & Venceslaüs Bohæmus eodem quo pater Othocarus fastu hanc dignitatem oblatam recusasse, *Siffridus*, *Annales Colmarienses*, *Cuspinianus*, *Historia Australis*, *Nauclerus*, *Krantzius*, *Dubrauius*, *& alij*. Hoc anno vrgens negotium Palæstinæ, & Armeniæ mortuus est Nicolaus IV. 4. Aprilis, cùm sedisset annos 4. mensem vnum, & 14. dies *Villanius*, *Platina*, *Wadingus*, *Ciaconius*, *& alij*. Nugatur *Chronicon Belgicum*, cùm ait statuisse Nicolaum, vt deinceps tantùm ex Minoritis Pontifices elegerentur; sed delirat *Krantzius* dum ait deposuisse reliquos Cardinales, vt Minoritas crearet, & adegisse eos, vt tantùm Minoritæ crearent Papam, ideóque Fratres creasse occultum Pontificem Max. vsque ad Sixtum IV. De eo caue quoque fidem adhibeas *Walsinghamo* qui eum vocat *Idolum Fratrum Minorum*. 24. Iulij obiit S. Cunegundis Clarissa, miraculis clara, *Michouius*, *Cromerus*, *Wadingus*: item Drepani 7. Augusti S. Albertus Carmelita, cuius obitus plenus miraculis fuit, *Trithemius*, *Menologium Carmelitarum*, *Surius*. Hoc anno, vel præcedenti factus est Minorita Vernolij in Normannia Nicolaus de Lyra, seu Lyranus, Hebræus genere, vir peritissimus Linguæ Hebraïcæ, cuius scripta sunt in omnium manibus, *Wadingus*. Hoc denique anno factus est Genuensis Archiepiscopus Dominicanus Iacobus de Varagine, dictus & de Voragine ob crebras citationes Scripturæ. Vertit ille totam Scripturam Italicè: scripsit & *Legendam Auream*, aliter *Speculum Sanctorum*, seu *Historiam Longobargicam*; qui & dicitur omnia volumina S. Augustini memoriter tenuisse, *Sixtus Senensis lib. 4. Bibliothecæ*.

Anno Christi MCCXCIII. *leuissima decausa bellum oritur inter Anglos & Francos, videlicet ob aquationem. Hinc abactæ prædæ; quibus satisfacere dum detrectat Eduardus euocatus, nec comparens damnatus est. Missus in Aquitaniam cum exercitu Radulphus Comes Stabuli de Nigella* (de Nesle) *qui anno sequenti Burdegalam occupauit*, Nangius, Villanius, Westmonasteriensis, Walsinghamus. Alienati sunt Iacobus Arago-

nius, & Sanctius Castellanus quamuis ad Logronium conuenissent, ille alienato animo ab Isabella, eam relinquere destinat, causatus propinquitatem. Itaque ad Iuncariam agit cum Carolo Rege vtriusque Siciliæ mense Decembri, & ab eo petit filiam Blancham, *Surita*, *Mariana*. *Obiit hoc anno Gasto Moncada Vicecomes Benebarnensis, sine prole mascula. Duo eius generi Comes Armaniacus, & Comes Fuxensis disputarunt, etiam inito certamine ad Gisortium oppidum Normanniæ, cui Philippus Rex interfuit; sed res composita, Rege sibi litis diremptionem adiudicante; qui demum successionem Comiti Fuxensi adiudicauit*, Nangius, & alij. In Silesia captus est Henricus Dux Lenciciensis, dolo patrui sui Comitis Glogouiensis hostis sui, ab vno ex suis Consiliariis cuius patrem iniustè cædendum curarat. Interceptus est nudus in Balneo, & impositus equo vili palliolo tectus Glogouiæ iniectus est in vas ferreum angustum, in quo duo angusta foramina, vnum ad capiendum panem, alterum ad ciborum reliquias exerendas, vbi sex menses ipsos contriuit, donec vermes ex eius corpore scaterent: nec emissus est nisi numeratis triginta marcarum millibus; quæ tamen ei parùm profuerunt, intra tres annos lentâ tabe consumpto, *Michouius*, *Cromerus*. Decessit denique hoc anno 29. Iunij Henticus Gandauensis, Parisiensis *Doctor*, dictus *Solemnis*, Archidiaconus Tornacensis, cuius supersunt opera, *Trithemius*; vide Partem 1. differt. P. Labbei de Scriptoribus Ecclesiasticis, pag 422.

Anno Christi MCCXCIV cùm vacasset Pontificia Sedes duobus annis, tribus mensibus, & duobus diebus, Cardinales pressi à Perusinis, tædio affectis moræ tam diuturnæ, elegerunt tandem 5. Iulij Petrum de Murrhone Eserninum Samnitem, qui in monte Murrhone duobus millibus passuum à Sulmone Eremiticam vitam coluerat, atque multis ad eum confugientibus in Eremo Magellana in Apulia Monasterium statuerat, sub Regula Sancti Benedicti, & obtinuerat sui Instituti confirmationem ob sanctimoniam, nullo negotio, à Gregorio X. sub nomine *Sancti Damiani*, quod posteà ex eo *Cælestinorum* dictum est. Auditâ electione suâ, quia se imparem tanto oneri putabat fugere voluit, sed prohibitus ab incredibili multitudine populi circumfusa, adiectis precibus Caroli Regis & Latini Car-

dinalis, dignitatem accepit. Accitis ergo Aquilam in Aprutium Cardinalibus cum duobus Regibus Siciliæ, & Hungariæ, & illius filio, multísque Proceribus, in Asino venit, ægro etiam mirabiliter sanato. Coronatus est 29. Augusti coram ducentis hominum millibus, dictus *Cælestinus*. Inde Neapolim venit, hortante Carolo, vbi duodecim Cardinales, plerosque Gallos, & duos è suis monachis creauit, vt cum iis piè viueret. Statim autem vir optimus intellexit, claustro se, quam Pontificio muneri aptiorem; itaque de deponendo hoc onere cogitauit; quod ipsi visum est intolerabile potissimùm, ex quo Latinus Cardinalis obiit. Enimuerò in demortui locum receptus Cardinalis Caietanus, cùm ei animos addere debuisset, abiecit. Nihil autem hic moramur tubum, & per eum emissam vocem quasi Dei quâ mouebatur, vt si saluus esse vellet dignitatem deponeret, hæc enim excogitata sunt à Columnis, & Gallis sub Philippo Pulchro in Bonifacium VIII. concitatis. Igitur sanctus vir, renitente Carolo, mense Pontificatus sui quinto, & die octauo, 12. aut 13. Decembris Neapoli coram Cardinalibus Pontificatu se abdicauit. Id improbatum à paucis, & Bonifacij inimicis, probatum ab aliis cum laude tanti viri, qui id abiecerit, in quod tam multi præcipites ruunt; certè posttridie huius diei Cælestinus claudo sanitatem restituit, *Petrus de Alliaco Cardinalis in eius vita, Stero, Eberardus, Continuator Poloni, Bernardus Guidonis, Petrarcha, Blondus, S. Antoninus, &c.* Eodem ferè tempore Athanasius Patriarcha Constantinopolitanus deseruit quoque Pontificatum, sed ob austeros mores, & suis intolerandos, *Gregoras, Onuphrius, & alij.* Hoc anno Nazarethana ædes translata est 10. Decembris ex Dalmatia in agrum Recinetensem *(de Recanati)* in Piceno, & in agrum piæ ac diuitis Matronæ *Lauretæ*, vnde deinceps sacræ hinc Ædiculæ *Lauretanæ* nomen, *Turselinus, Roëstius, & alij.* 24. Decembris Neapoli creatus est à Cardinalibus Benedictus Caietanus, patriâ Anagninus, vir planè magnus, & cui tantùm obfuerunt susceptæ cum Gallis inimicitiæ; cùm tamen maximè operâ Caroli Regis ad Pontificatum conscendisset. Statim etiam antequàm coronaretur, Neapoli acta Nicolai IV. & Cælestini, nondum executioni mandata, rescidit, *Continuator Poloni, Platina,*

& alÿ. Spectant ad hæc tempora Paupetes Eremitæ Domini Cælestini, ex Minoritis decetpti, intet quos viri magni, vt Angelus Clarenus, qui nocte Natiuitatis Chtisti Domini linguam Græcam edidicit, qui cum F. Liberato Maceratensi eorum Præposito secessit in Insulam Achaïæ, vt Superiores Minoritarum iis insultantes vitarent, *Appendix Wadingi.* Dirum inter fratres Armenos de Regno dissidium extitit, de quo *Sanutus.* Vtrùm autem Haytho de quo hîc mentio, fuerit idem cum Haythone dicto Macario, vide egregiam *Spondani Diatribam hoc anno num.* 8. Ad id hoc quoque tempus referes Cassanum Tartarorum Regem filium A[illegible] (ad quem ptostant Nicolai Pontificis Litteræ) qui fauit Christianis, & Mahumetanos è suis tetris expulit factus Christianus. Nempe cùm vxorem duxisset filiam Regis Armeniæ pulchettimam, & ex ea filius deformis natus esset, eum cum matte, quasi adulterâ flammis addixit. Petiit [illegible] ante supplicium filius baptismate tingeretur, qui sacrâ [illegible]us aquâ, speciosissimus euasit: quo miraculo motus [illegible]anus cum tota gente Baptismum recepit, *Villanius ex re[illegible]ne viri cuiusdam Florentini, qui hîc versatus erat, atque ex [illegible] Antoninus. Eduardus auxilia vndecumque quæsiit in [illegible]um Pulchrum, magnâ etiam pecuniâ sibi Adolphum Romanorum Regem adiunxit, qui repetiit à Francis Regnum Arelate[illegible] sed petiisse contentus, destitit,* Stero, Eberardus, Westmonasteriensis, Walsinghamus. Valli in Anglos rebella[illegible], atque Edmundum Regis Eduardi frattem superarunt. C[illegible] quoque in Aquitaniam missæ, pecuniis collectis ex [illegible] & sacrilegio fusæ sunt atque dissipatæ, *Walsinghamus, Westmonasteriensis, Polydorus. Philippus Pulcher acciuit [illegible]nem Flandriæ Comitem, cum filia sua Philippâ, quam contra [illegible]onem Beneficiari, desponderat Eduardo Principi Walliæ, [illegible]us Eduardi.* Mortua hæc est Parisiis. Vtrùm autem [illegible]o necata sit, eruditè negat *Spondanus hoc anno num.* 14. [illegible]a *Ioannem à Leidis, Christanum Masseum Canteracensem, [illegible]s ex Villanio, Nangio, Meyero, Petro Diueo, Westmonasteriensi, & Walsinghamo.* Tariffam, olim Catteiam, vel [illegible]um, egregiè tutatus est Alphonsus Petesius Gusmanus, cognomento *Bonus*, ex liberalitate in Pauperes. Hic [illegible]it in hostem gladium suum, quo filius suus cæ-

deretur, potiùs quàm vrbem dederet. Sic soluta obsidio Ioannis Regis fratris cum Rege Marochiano, *Rodericus, Sanctius, Mariana, Lipsius*. Denique hoc anno dependit pœnas, quas pridem promeruerat Sodomita Comes Acerranus, posteriora ad os vsque traiectus ardenti veru, & deinde viuus igne crematus; qui proditiones in Carolum Andegauensem, & Carolum Claudum eius filium, antequàm periret, aperuit, *Nangius, Author Memorialis Historiarum, & alij.*

Anno Christi M C C X C V coronatus est hoc anno Romæ die Dominicâ 16. Ianuarij Benedictus Caietanus, dictúsque Bonifacius VIII. coram Regibus Siciliæ Carolo & Hungariæ eius filio, qui Stratorum functi sunt officio, *Petrus de Alliaco, Villanius, S. Antoninus, & alij.* Tum duo tristia contigerunt prodigia: primum quod dum pergeret ad coronationem, offusæ sint densissimæ tenebræ, ortáque tempestas ceteros omnes, ac lampadas Ecclesiæ extinxerit. Alterum quod in egressu Ecclesiæ plures quadraginta interierint oppressi atque suffocati; *Appendix Wadingi.* Fugientem in Dalmatiam comprehendi iubet S. Cælestinum Bonifacius, cúmque habet sub dura custodia, quando à viro sancto prænunciatum quidam putant; *Ascendisse vt vulpem, regnaturum vt leonem; moriturum vt canem, Walsinghamus in Eduardo I. & alij*, quod tamen multi ab eius inimicis confictum putant, quibus non caruit. Mortuus est hoc anno Sanctius Rex Castellæ Toleti 25. Aprilis, vir & fortis, & callidus, impius in patrem, iniustus in suos nepotes, quibus omnibus regnum eripuit. Sepeliri voluit in habitu Franciscani, vti tradunt Minoritæ, *Mariana, & alij Historiæ Hispanicæ Scriptores. Fœdus inter Francos, & Aragonios renouatum eâ lege vt Carolus Regis Franciæ frater cederet iure Regni Aragonij, Nuptiæ inter Isabellam Sanctij filiam, & Aragonium rescinderentur ob consanguinitatem, Sicilia & quidquid in Calabria & circa Pharum occupatum esset ab Aragonius S. Sedi redderetur. si Siculi parere recusarent, iuuaret Francos Aragonius suis copiis obsides filij Caroli Neapolitani restituerentur*, Regi Iacobo patruo Baleares Nepos redderet; *spes iniecta Corsicæ, & Sardiniæ sub censu Pontificis*, Litteræ Bonifacij, Mariana, Surita. Recepti ergo Principes qui in custodia septem annos hæserant: inter illos erat S. Ludouicus, institutus à Minoritis, qui & se S. Fran-

Francisco vouerat, quare agens annum vigesimum-primum tonsurâ initiarivoluit, & mouit omnem lapidem, vt Sancti Francisci habitum reciperet, patre reclamante, atque ei etiam regnum suum offerente, *Wadingus, & alij.* Huic affinis Andreas Anagninus ex Principibus Signiæ, Alexandri IV. pronepos, consanguineus Bonifacij; qui iam Minorita, nunquam induci potuit, vt cum purpura sibi oblata pannos S. Francisci commutaret, *idem Wadingus, & alij.* Turbata fuit hoc anno Castella Ferdinando puero sub tutela matris relicto: nam Henricus Sanctij patruus, sibi Regni procurationem depoposcit: Ioannes Sanctij frater etiam Regnum, causatus Ferdinandum illegitimum, vtpote ex incœstis nuptiis natum. Dionysius quoque Lusitaniæ Rex bellum Ferdinando indixit. Fœdus denique initum inter Iacobum Aragoniæ Regem, & Alphonsum Cerdam sibi titulum Regis Castellæ, atque Legionis vindicantem, vt armorum societate regnum sibi debitum nepos recuperaret, eâ lege vt Murcia cederet Aragonio, Legione, Galliciâ, & Hispali Ioanni promissis. Murciam certè occupauit Aragonius, reliqua sequentibus annis peracta sunt, *Mariana lib. 15. cap. 1.* Creatus est & inunctus totius Poloniæ Princeps Præmislaüs, iam magnâ ex parte eius dominus, vir magnus, & hoc regno dignissimus, qui hanc ditionem pacare nitens, sublatus est à Marchionibus Brandeburgensibus eius veteribus inimicis, ætatis anno 38. ferè cum quatuor mensibus, mense regni sui octauo. Eius vxor Lukerda ab eius pedissequis cæsa mortis eius causa fuisse creditur; quam cùm vltus non esset, dicebatur imperasse, quòd sterilis esset, aut ex ea tantùm filiam suscepisset, vt aliam duceret, quæ ei daret successorem, *Michouius, Cromerus.* Rex Scotorum Ioannes Balliolus defecit ab Anglis, contra iuratam Eduardo fidem, & antiquum cum Gallis fœdus renouauit etiam oblatis nuptiis, quæ tamen effectu caruerunt, *Sammarthanus, & Buchananus.* Obiit hoc anno Otho Vicecomes Archiepiscopus Mediolanensis, relicto in familia sua, & nepoti suo Marthæo Magno, Principatu, 8. Augusti annos natus duodenonagesimo, *Corius: Bossius* triennio anteà. In regno Castellæ apparuere cruces in vestibus Iudæorum, & suppellectile, cùm hi anteà

admoniti essent aduentare iis redemptionem. Pauci tamen ex iis conuersi, quibusdam Magiam, aliis vanum quiddam suspicantibus, *Author Fortalitij fidei ex Alphonso de Spina Medico Iudæo, libro quem posteà conuersus scripsit.* Hoc denique anno exorta est factio in Italia Nigrorum & Alborum, maximè Florentiæ, & Lucæ: primi eius authores *Cancellarij* de vrbe Pistoria, sic dicti ab Authore, quorum filij diuites ex diuersis coniugibus, rixati sunt atrocissimè vsque ad cædes, quorum discordia ad multa Italiæ loca peruasit, *Ptolemæus Lucensis.*

Anno Christi MCCXCVI. Mortuus est hoc anno B. Petrus de Murrhone, seu S. Cælestinus in Arce Fumonis in Hernicis, vbi anno superiore fuerat inclusus à Bonifacio, apostemate ex loci situ contracto, ætatis anno 87. vel 81. sepultus in quodam sui Ordinis Monasterio dicto Sancti Antonij de Ferentinis, quod ipse construxerat, posteà relatus inter Sanctos à Clemente V. sub nomine S. Petri Confessoris; quia à quibusdam vti Martyr colebatur, *Cælestini vitæ Scriptores.* Neque enim hîc audiendi qui hunc Sanctum mactatum volunt clauâ iussu Bonifacij, id suadente, & vrgente eius nepote; quod ab eius inimicis Columnis, & Gallis passim iactatum est. Scotiam ingressus Rex Eduardus, sæpè Scotos vicit, totámque regionem est fœdè populatus. Cepit autem Balliolum vel sponte dedentem se, vti Angli scribunt; vel à suis turpissimè proditum, vt Galli asserunt; conclusúsque cum filio impubere in turri Londinensi. Sustulit quoque Eduardus ex Sconæ Monasterio Lapidem sacrum, Regnum Scotiæ inaugurationi addictum, & transtulit Westmonasterium, *Walsinghamus, Westmonasteriensis, Hector Boëthius, Nangius, & alij.* Factus est hoc anno Minorita Guido Monfeltrius Comes Vrbini, vir scientissimus rei militaris, & aliàs Pontificibus, & Ecclesiæ inimicissimus. Item & S. Ludouicus filius Regis Caroli Claudi, qui electus Episcopus Tholosanus à Bonifacio, dignitatem hanc recusauit, nisi priùs emissis votis Minoritarum, quod & præstitit, primùm humillimus Franciscanus, deinde optimus Episcopus translato omni iure in Regnum Siculum Roberto fratri iuniori, *Litteræ Pontificiæ, Wadingus.* Erupit hoc anno ira, odiúmque Bonifacij in Columnenses,

quorum duo Cardinales ei obstiterant, quominùs fieret Pontifex, atque huic quasi illegitimo obtrectarant. Stephanus quoque frater Petri Cardinalis eius supellectilem diripuerat, dum Anagniâ veniret Romam, & alias ob caussas, ideò in ius vocati Vadimonium deseruerunt, expedierunt arma, & Præneste oppido firmissimo sese incluserunt; itaque in vniuersam familiam, hoc est, in Iacobum & Petrum Cardinales, in Stephanum, Agapetum, & Saram Laïcos atrocissimam sententiam tulit, *in sexto Decretalium.* Cùm autem eos Genua recepisset Porchettus Spinola, olim Minorita, die Cinerum petenti cineres sacros, eos ei in oculos proiecit Bonifacius cum his verbis: *Memento homo quia Gibellinus es, & cum Gibellinis in puluerem reuerteris;* immò & posteà eum Archiepiscopatu exturbauit, *Blondus lib. 2. Decade 9. Platina in Bonifacio.* Cæso Premislao successit electus Posnaniæ 23. Aprilis Wladislaüs frater Lesci Nigri, dictus *Lokticus*, quasi *Cubitalis* ob paruam staturam, vir fortis & acer, sed sensim ad delicias degenerans regnum amisit, *Michouius, Cromerus.* Florentius Hollandiæ Comes ob libidinem & stupratam coniugem Velsij viri nobilis, cui iungere Scortum suum voluerat, ab eodem primò captus, deinde proximus libertati viginti vulneribus cæsus est. Velsius interceptus in cado acutis stilis præfixo inclusus vicatim à plebe volutatus, caput demùm perdidit: huic Comiti aderant perpetui comites vultures duo mansueti, qui nunquam eum deseruerunt, sed cum eo fame mortui sunt, *Becka in Joanne II. Joannes à Leidis, & alij.*

Anno Christi MCCXCVII. Bonifacius in Columnenses crucem promulgari iubet, Cardinales Columnenses libellis se famosis defendunt, eúmque de multis criminibus accusant. Tandem accidunt ad Bonifacij pedes Reate, & absoluti sunt à censuris, cum spe restitutionis. Sed cùm id non fieret, iterùm rebellant, & profugi in diuersas regiones feruntur. Stephanus optimè receptus à Philippo Pulchro: Sciara captus à Piratis Massiliensium, remo addictus est, mentiens se Bubalorum custodem, timens ne Pontifici venderetur: sed agnitus Massiliæ, à Rege redemptus est, *Villanius, S. Antoninus, Walsinghamus, Iouius, & alij.* Bellum paratur in Fridericum Siculum; reconciliantur Constan-

tia Regina, Rogerius Lauria, & Ioannes Prochyta Carolo. Nepos Lauriæ securi cæditur à Friderico Prochita, Romæ hæsit, fessus turbarum, & cædium: Constantia facta Monialis Tertij Ordinis S. Francisci obiit Barcinone, *Villanius, Summontius, Fazellus, Mariana, Wadingus.* Obiit hoc anno 22. Martij Maria Cortonensis, inspectione cadaueris viri cuiusdam tacta diuinitùs, atque de lasciuo viuendi genere ad pietatem traducta post ingentem pœnitentiam, in tertio Ordine S. Francisci, post multas reuelationes & miracula recepta cælo est, cuius corpus integrum & illæsum ostenditur Cortonæ annuente Leone X. *Wadingus.* De Fratre Petro Ioanne Oliui, de Serignano Minorita hoc anno mortuo, & posteà exhumato, motâque in eum viuentem & mortuum persecutione, eiúsque scriptis improbatis primò, deinde approbatis, vide quæ habet *Spondanus hoc anno num. 7. & Wadingum tom. 2. Annal. Ord. Minor.* Eruperunt hoc anno *Fratricelli* & *Bisochi*, & *Fratres de Paupere vita*, & *Begardi*, & *Beguini*, quorum author Hermannus Pongilopus Ferratiensis post viginti annos ab obitu exhumatus, & igni traditus, *Prateolus de Hæresibus, Sabellicus, & alij.* His affines fuere Pseudo-Apostoli, authore, vel propagatore Geratdo Segarello Parmensi, igne posteà cremato, qui sibi omnem Ecclesiæ authoritatem arrogabant; diuersi tamen ab Apostolicis, qui longè anteà apparuerant, *Pegnitius Commentario ad Directorium Emerici. Philippus Pulcher Insulas in Flandria capit, multáque oppida, victis ad Furnas Flandris & Germanis missis ab Adolpho Cæsare. Eduardus Comiti Guidoni suppetias tulit; sed frustrà, cùm ad condictum tempus non adfuisset Adolphus, itaque Franci præualuere,* Villanius, Westmonasteriensis, Walsighamus, S. Antoninus, Paulus Æmilius, & alij. Adolphus Principibus Germanis exosus vel ob pecuniam Angli retentam, cuius pars ad eos pertinebat, vel quia erat inutilis Imperio, vel ob libidinem, aliáque vitia deponitur ab Electoribus, eiúsque loco substituitur Albertus Austrius. Hi autem Electores sparserunt in vulgus se habuisse à Bonifacio VIII. eius deponendi facultatem, quod posteà negauit ipse Pontifex, *Chronicon Colmariense, Nauclerus, Siffridus, Eberardus, Trithemius, Magnum Chronicon Belgicum, & alij. Denique hoc anno xj. An-*

gusti Vrbe-Veteri S. Ludouicus Rex Franciæ in Sanctorum est relatus numerum, laudatus magnificè ab ipso Pontifice, Bulla canonizationis, & duæ Papæ Bonifacij VIII. conciones.

Anno Christi MCCXCVIII. Carolus Siciliæ Rex Anglos, Francósque conciliat, induciis in biennium factis, *Walsinghamus*; quæ commodissimè Anglo acciderunt, turpiter ad sua redire compulso, *Villanius & Nangius*. Adolphus Cæsar cum modico equitatu in agro Spirensi, cum Alberto Austrio æmulo congressus occubuit 2. Augusti, cùm sex annis & sex mensibus regnasset. In eius locum iterùm electus Albertus 27. Augusti, *Stero, Eberardus, Appendix Martini Poloni, Villanius, Ptolemæus Lucensis, Nangius, Chronicon Colmariense, & alij.* Quem Bonifacius confirmare noluit, quod monoculus esset, & aspectu rustico, certè truci, *Felix Faber in Historia Sueuica. Felicius hoc anno 20. Augusti, Brincolæ in Prouincia mortuus est S. Ludouicus Episcopus Tholosanus ex febre, anno ætatis 23. cum sex mensibus, à Ioanne XXII. in Sanctorum numerum relatus. Natus erat in vrbe Luceria, seu Nuceria Saracenorum in regno Neapolitano, mense Februario. Falsum ergo quod vulgò iactatur eum eodem die, ac loco natum esse, corpus eius Massiliam translatum ibidem colitur, & ad distinctionem S. Ludouici Regis dicitur, Sanctus Ludouicus de Massilia*, Wadingus, Bulla eius canonizationis, Surius, & alij. Contigit hoc anno in Italia terræ-motus horribilis, adeò vt hyemis sæuissimæ tempore Bonifacius Reate in medio claustro Dominicanorum, in casa ex leuissimis asseribus habitaret, ne ruinâ opprimeretur. Apparuit & horrendus Cometes, *Villanius, Lucensis, Continuator Poloni, Siffridus, & alij.* Terræ quoque motus ad Thraciam vsque pertinuit, *Nicephorus Gregoras.* Bonifacius VIII. 3. Martij promulgauit Librum sextum Decretalium, per tres illustres Viros compilatum, *Guill. de Mandagotto Archiepisc. Ebredunensem, Berengarium Frædoli Episcopum Biterrensem, & Ricardum de Senis Vice-Cancellarium*: Opus præclarum, *sed quod in Gallia, in authoris odium, non admittitur.*

Anno Christi MCCXCIX. Pontifex hoc anno sententiâ suâ conatus componere dissidia orta inter Eduardum Anglum, & Philippum Pulchrum, ob Comitem Flandriæ quem hac sententiâ implicuerat. *Et verò statim atque induciarum tem-*

pus effluxit, Comitem inuasit Philippus, eiúsque totam ditionem occupauit, per Carolum fratrem, præter Gandauum, vbi sub specie honoris Regi exhibendi inuitauit ad deditionem cum duobus filiis suis, eâ lege, vt eos reduceret, si Rex eis veniam denegaret. Rex nihilominùs eos detinuit, & diuersis carceribus inclusit, vnde vulgò creditus est à Deo magnis cladibus castigatus, Villanius, & alij. *Conueniunt Philippus Rex, & Albertus Cæsar ad Vallem-Colorem, vt fœdus antiquum inter Imperatorem & Regem Franciæ renouarent, & se mutuò iuuarent aduersus Pontificem, vtriusque aduersarium; cùm Philippum odiisset Bonifacius, ob Columnenses receptos; Albertum agnoscere Cæsarem recusaret;* quod fœdus *etiam nuptiis firmatum est*, Nangius, Vignerius, Massonus. Eduardus ita statuente Bonifacio Balliolum emittit ex Turre Londinensi, eâ lege, vt non regrederetur in Scotiam, sed Ditionem suam Ballioli in Normannia obtineret; ius autem sibi in Scotiam Pontifex arrogauit, negauítque hanc Anglici Dominij esse, sed Pontificij, *Westmonasteriensis, Walsinghamus, Litteræ Bonifacij*. In Sicilia pugnatum bis ab Aragoniis, Francis & Siculis pugnis nauali, & terrestri. Illâ victus Fridericus à Rogerio Lauria, tum Caroli militanti; 4. Nonas Iulij ad Promontorium Orlandi in Sicilia. In illa captus Philippus Princeps Tarentinus Caroli Siculi filius primo Decembris ad Lilybæum, sícque æquata damna, bellum gestùm maioribus odiis, quàm fructu, *Villanius, Fazellus, Lucensis, Surita, Mariana*. Effecit & hoc anno Bonifacius vt Carobertus Strabo filius Caroli Martelli, Caroli Claudi Siculi nepos coronaretur, quo tamen regno non nisi post decennium frui potuit, *Bonfinius*. In Germania malè habiti sunt Iudæi, qui Sancto Christi Corpore abusi erant; in eos variis locis sæuitum: Agricolâ quodam dicente se electum à Deo vt impiam gentem deleret; quem incredibilis multitudo secuta est, adeò vt huic cedere compelleretur Albertus: posteà tamen seditiosorum duces captos, seuerè mulctauit, *Stero, Eberardus, & alij*.

Anno Christi M C C C. oblata est occasio Christianis Terræ sanctæ recuperandæ, quam elabi passi sunt imprudentissimè. Cassanus enim Tartarus equitum, peditúmque ducenta millia in Syriam adduxit aduersus Saracenos, hoc anno ineunte. Huic cùm occurrisset ad Emesam, hodie *Ha-*

mam Sultanus Ægypti & Syriæ Dominus Melecnazarus cum centum millibus equitum, & innumerabili peditum multitudine, nihilominùs victus eſt. Duplici vſus ſtratagemate Caſſanus, primum pedes cum ſuis donec Saraceni pharetras exhauſiſſent; ſecundum cerâ tantùm iuncto iaculis ferro, ne iis vterentur Saraceni. Spolia locupletiſſima collegit, de quibus nihil præter enſem reſeruauit ſibi; & totam occupauit Syriam atque Palæſtinam, quas conceſſit Armenis, Georgianis, & Chriſtianis huc ex Cypro conuolantibus. Reſtaurauit & Hieroſolymam, quod tamen quidam negant. Cùm autem audiuiſſet conſanguineum ſuum Raydonem Perſidem inuaſiſſe, eò properauit, relictâ in Syria magnâ parte exercitus, & Capcako quodam Saraceno, à Sultano transfugâ Damaſci cum mandatis relicto, vt Syriam, atque Palæſtinam Chriſtianis ex Occidente aduenientibus redderet. Sed Capcakus videns Occidentales non adeſſe, reconciliatus Sultano, Tartaros eiecit, *Haytho*, *Villanius*, *S. Antoninus*, *Bizarus.* Iubileum celebrari voluit hoc anno Bonifacius, quando magnus factus eſt Romam populi concurſus, excluſis tamen Siculis, Genuenſibus, Columnenſibus, & qui arma deferrent ad Saracenos. Adfuere multi Principes Germani, inter cæteros Carolus Martellus Rex Hungariæ, qui inde acceſſit Neapolim ad patrem, *Villanius*, *S. Antoninus*, *Trithemius*, *Litteræ Bonifacij.* Cremata eſt hoc anno Guillelma, ſeu Guillelmina ante ſex annos mortua, & ſepulta vti Sancta à Monachis Clareuallenſibus, detecta ab ſuo Amaſio Andrea Samarita, qui & ipſe eſt detectus à diuite mercatore, qui vxorem ſecutus erat ad infamem conuentum; itaque cum ſociis hic Andreas viuus igne combuſtus eſt. Hæc Guillelma Sacerdotem agebat, & mulieres vti Clericos attondebat, *Corius in Hiſtoria Mediolanenſi.* Circa hoc tempus Manfreda cognata Vicecomitum Mediolanenſium dicebat Spiritum Sanctum in hac Guillelma incarnatum eſſe pro mulieribus, *Ioan. XXII. in excommunicatione Matthæi atque filiorum*; quod & aiebat virgo Angla pulcherrima, cuius meminêre *Annales Dominicani Colmarienſes.* Wladiſlaüs Lokticus Poloniæ Rex cùm ſe totum deliciis dedidiſſet, exauthoratus eſt; & hoc tempore Iubilei priuato habitu Romam venit; eius loco electus eſt à Pro-

ceribus Wenceslaüs Rex Bohemiæ, *Michouius*, *Cromerus*. Ortus Imperij Turcici ad hunc annum à plerisque scriptoribus affigitur, aurhore Orromano, seu Osmane Orthoguli filio, cui inter Duces Turcos, qui Græcos ex Asia Minore depuleranr, Bithynia, & Regio ad Olympum montem obtigerant. Hic Prusam vrbem longâ obsidione, & fame ad deditionem compulit. Adopratus est ab Aladine Iconij Sultano, cuius ramen Dynastiam occupauir eius Visirus Sahibus: ar exinde Osmane se *Chanem* seu *Regem* dixit, regnauit annos 28. qui ab hoc anno procedunt, *Phranzes*, *Chalcondiles*, *Historia Musulmanica*.

FINIS DECIMI-TERTII SÆCVLI.





DECIMVM-QVARTVM ÆRÆ CHRISTIANÆ SÆCVLVM,

SVMMORVM PONTIFICVM, relictâ ad tempus Italiâ Auenione in Gallia sedentium: siue Ottomanorum in Asia regnantium.



ANNO Christi MCCCI. mense Septembri visus est Cometes post Solis occasum, in signo Scorpionis, comâ vel caudâ obuersâ in Occidentem, quandoque in Orientem, & Meridiem; *Siffridus* ait visum esse diebus quindecim, *Ptolemaeus Lucensis*, *Continuator Martini Poloni*, *& Chronicon Monfortiense* quatuor mensibus, *Villanius* vsque ad mensem Ianuarium. *Carolus Valesius Philippi Regis Franciae frater* euocatur à Pontifice, cùm, vt auxilio esset Carolo Siciliae Regi ad eam Insulam Friderico Aragonio eripiendam, tum vt dotale acciperet Imperium Constantinopolitanum, sícque bellum in Orientem transferret. Venit Carolus Valesius Anagniam mense Septembri magnificè susceptus à Bonifacio, vbi & illum in-

uiſit Carolus Siculus, de ſuis negotiis acturus cum eo. Atque interim dum ab vtroque paratur claſſis, Valeſius Eccleſiæ Romanæ Præfectus, & Tuſciæ Paciarius conſtituitur, ad tollendas factiones Alborum & Nigrorum in quos Gibellini, & Guelphi tranſierant. Sed nihil præſtitit; ſiue eius culpa fuit, ſiue Pontificis, ſiue quia *hæc diſcordia arte humanâ ſanari non poterat.* Certè tum Dantes Aligerius Florentinus egregius Poëta, atque Philoſophus, & Etruſcæ linguæ conditor, & patriam, & domum, & bona ſua perdidit, vnde concepit in Philippum Pulchrum, & Carolum Valeſium virus, quo ſua ſcripta aſperſit, *Villanius, S. Antoninus, & Hiſtoriæ Gallicæ Scriptores.* Tum quoque eiectus pater Franciſci Petrarchæ, qui Aretium perrexit, *Franciſcus Petrarcha. Mouit & tum litem Eccleſiæ pernicioſiſſimam Bernardus Epiſcopus Apamienſis, qui à Bonifacio Legatus ad Philippum Pulchrum, ea fecit & dixit quæ Regem cum Pontifice commiſere. Certè ſi vera ſunt capita quæ ipſi obiecta ſunt in Conuentu Syluanectenſi, ſaltem egit imprudentiſſimè, & meruit iuſſu Regis Ægidio Archiepiſcopo ſuo tradi, vt accedente conſenſu Bonifacij, in eum more maiorum, atque Eccleſiæ animaduerteretur. Miſſi ſunt à Rege atque à Pontifice Legati; ab hoc Iacobus de Normannis, ab illo Petrus Flotta Miles Aruernus, dominus Reuelli, qui, & potiſſimùm Flotta, cùm horum Principum animos demulcere debuiſſent, potiùs irritarunt. Hinc ſcriptæ ſunt ab vtroque Epiſtolæ, & mittentibus & accipientibus prorſus indignæ; niſi tamen hæ confictæ ſint ab hominibus malitioſis, & turbulentis, qualem hunc fuiſſe Petrum Flottam etiam Gallici Scriptores innuunt. Interim ab iis præſtitum quidquid à Regibus, & Pontificibus iratis fieri ſolet, ſed magno vtriuſque damno*, Codex Victorinus manu-ſcriptus, & Acta huius cauſæ in Archiuo Regio ſeruata. Hoc tempore Caſtellani prudenter vſi odio Bonifacij in Philippum, qui vnus moram iniiciebat quominùs matrimonia quædam à Romana Sede probarentur, vinculo affinitatis ſublato, vtilia & Caſtellanis, & Luſitanis, quæ ſtatim propter Philippum ſublata ſunt à Bonifacio, *Litteræ Pontificiæ.* Nobiles fœminæ Genuenſes & bona ſua & ſeipſas obtulerunt, ad transfretandum in Palæſtinam, vt obſequia cruce ſignatis deferrent ſua, quas Pontifex etiam Epiſtolâ ſuâ laudandas putauit, *Littera Bonifacij ad Porchetum Spi-*

nola Minoritam Archiepiſcopum Genuenſem. Morte Andreæ turbata eſt valdè Hungaria, Proceribus diſtractis, dum aliqui Caroberto filio Caroli Martelli parere volunt, quem Pontifex probabat, alij Wenceſlaum Bohemiæ Regem optarent. Hic cùm recuſaret Regnum, etiam eius filium annorum tredecim inaugurandum curarunt. Quare Budenſibus templis interdictum ſacris; quod temnentes fatui quidam Hungari Sacerdotes, etiam in ipſum Pontificem tulerunt Anathema, eíque non modò ſacris, ſed & aqua, & igne interdixerunt, ideò grauiter poſteà meritóque mulctati. Nec hæ turbæ compoſitæ niſi ſub Clemente V. quando Carobertus Rex tandem agnitus eſt, & ab omnibus cultus, *Bonfinius, Dubrauius, & alij. Compendij celebratum eſt Concilium per Archiepiſcopum Rhemenſem Robertum Curtenæum contra quoſdam Abbates qui conſpirauerant in ſuos Epiſcopos, & Magiſtratus laïcos, qui Clericos ad ſua tribunalia pertrahebant*, Meyerus Annalium Flandriæ lib. 10. Ioannes Patriarcha Conſtantinopolitanus, contemptus à ſuis Sedem ſuam deſerit, & reſtitutus Athanaſius creditus ab Imperatore Prophetes, licèt ei multi propter ſeueritatem obſiſterent, *Gregoras, & Pachymerius.* Viuebat tum Nicephorus Calliſtus, qui Andronico Seniori nuncupauit opus ſuum, grandius quàm accuratius.

Anno Chriſti MCCCII. Iſchia Inſula olim Inarime & Pithecuſa, egeſſit ignem ſulphureum tantâ copiâ, vt incolas pænè omnes cum animalibus, arboribus, & villis ipſis abſumpſerit, repleuerit pumicibus vicinum mare, & cinerem ad centum leucas effuderit; quòd etiam aliàs accidiſſe tradit Strabo, *Ptolemæus Lucenſis, Villanius, Summontius. Jnuadit Siciliam ingenti claſſe Carolus Valeſius cum Rogerio Lauria, & in ea aliquot Vrbes capit; Fridericus cum eo callidè pugnat, ei tantùm inſidiando, & commeatum ſubtrahendo; hinc lues Francos afflauit; Itaque ſapienter Carolus aliunde cogitans de Imperio Conſtantinopolitano, pacem firmat inter Carolum Siculum, & Fridericum, conditionibus vtrique commodis: probauit hanc pacem Pontifex, ſicque omninò pax Siciliæ reddita. Cùm autem expediret claſſem ſuam Carolus Valeſius, vt vela faceret in Orientem reuocatus eſt à fratre Rege Philippo ob Curtracenſem cladem, itaque cum reliquis copiis ſuis in*

Galliam mense Nouembri rediit, Ptolemæus Lucensis, Continuator Nangij, Villanius, S. Antoninus, Aretinus, Fazellus, Surita, Mariana, & alij. *Contigit autem hoc anno Curtenacensis clades xj. Iulij, quam stoliditate stupendâ Franci sibi acceperunt, irruentes cum equis in fossam ingentem aquis plenam, quæ eos à Flandris separabat; quam suis equis & cadaueribus, sic impleuerunt, vt Flandri per ea traiicerent, eósque penitùs delerent, quamuis illi sub signis numerarent suprà septem equitum millia, peditum quadraginta sub experientissimis ducibus Roberto Atrebatensi, & Rodulpho de Nigella Comite Stabuli, multísque Proceribus; hi vix viginti armatæ plebeculæ millia haberent. Ceciderunt certè Francorum equitum sex millia, pedites innumeri, Duces, Comites, Proceres omnes præter Claromontanum, Sancti Pauli, & Bononiæ Comites maturiùs quàm eorum dignitas exigeret, ex prælio discedentes. Insuper periit Robertus Atrebatensis qui laceratum Bonifacij diploma in ignem coniecerat; item & Petrus Flotta Bonifaciarum turbarum præcipuus Incentor, in quorum nece Scriptores Ecclesiastici, etiam Galli, vindictam diuinam agnoscunt*, Villanius, Antoninus, Massonius, Ioannes à Leydis, Meyerus, & alij. *Exardescebant nihilominus hoc tempore dissensiones inter Philippum & Bonifacium, quâs tamen sedare conatus est Philippus, misso ad Pontificem Episcopo Antissiodorensi, qui eum rogaret & supersederet negotio, quo Romam aduocabat Episcopos Franciæ, Præsules, & Theologos sub pœna excommunicationis*, Continuator Nangij, Monachus Sandionysianus. Molliri etiam nonnihil visus Bonifacius cùm negauit Principes sæculares in temporalibus Ecclesiæ Romanæ subiici, *Litteræ Apostolicæ.* Sed his remediis excitatum incendium restingui non potuit. *Philippus Pulcher nouum exercitum cogit decem equitum millium, & sexaginta millium peditum, quibuscum ipse irrumpit in Flandriam, sed eius impetum ac furorem pluuiæ restinxerunt, itaque re infectâ redire coactus est, pactis vnius anni induciis*, Villanius, & alij. Existimat tamen Ægidius de Roya in Annalibus Belgicis, & insinuat Gaguinus *rediisse Philippum admonitum fraudulenter à Rege Angliæ, & sorore suâ eius vxore, eum à suis Proceribus tradendum esse. Tum pecuniam adulterandam curauit Philippus Rex consilio duorum Florentinorum, vt stipendia copiis suis inueniret*, Villanius. Albertus Cæsar in Electores

Ecclesiasticos, & in Palatinum Rheni copias ducit, vt eum ad officium suum reuocaret: in eius copiis miles quidam ex B. Virginis corona, commilitone reclamante, gemmam rapuit: sudauit Imago, ex pectore quoque gemmam euulsit, secutum est lac cum sanguine ex plaga, sacrilegus furiosus se in fluuium Naham præcipitem dedit, vbi & interiit: multa in hoc Monasterio donaria reposuit Albertus, rémque contestatam hîc reliquit, *Trithemius*, *Serrarius de rebus Moguntinis*. Pienafiele in Vaccæis Hispaniæ celebrata Synodus Prouinciæ Toletanæ sub Consaluo Archiepiscopo, in quo multa sancita ad pietatis & disciplinæ Ecclesiasticæ instaurationem, *Mariana lib. 15. cap. 5.* Matthæus Vicecomes pulsus Mediolano dominatum perdidit, quem ei patruus Otho Archiepiscopus acquisiuerat, pulsus à Guidone & Turrianis: qui rogatus à Guidonis fratre quandonam reuerteretur; cùm peccata eius, inquit, meis præpondetabunt, *Villanius*, *Corius*, *Petrarcha*. Cœpit hoc anno Societas Catalana, ex Catalanis, Genuensibus, & aliis Italis, qui pro Siculis, & contra Siculos militauerant. Hi delegerunt sibi Ducem Rogerium militem Templarium, coactâ classe 20. triremium, quâ Græciam & Thraciam Constantinopolim vsque diripuerunt, cæsísque sæpè Ducibus suis Atticam & Peloponesum occuparunt, & interfectorum Francorum vxores duxerunt, *Villanius*, *S. Antoninus*, *Continuator belli Sacri* ait magna ex parte fuisse Templarios, & inde potissimùm factum, vt eorum Ordo extingueretur. *Surita & Mariana*, ortum duxisse scribunt ex colluuie Sicularum copiarum quas Fridericus, vt ab iis se expediret, immisit in Græcos; sed hos Authores consule, sicut & *Pachimerium*, per quos eorum Catalanorum rapinæ exponuntur. Inuenta est denique hoc anno Pyxis nautica à Flauio quodam Malphitano in Regno Neapolitano. Aliqui tamen eius authorem, vel vt quidam putant, restitutorem Ioannem Goiam nominant, ciuem item Amalphitanum, *Summontius*, *Genebrardus*, *& alij*.

Anno Christi MCCCIII Bonifacius quam hactenus improbarat Alberti Cæsaris electionem confirmat, vt eum Regi Franciæ opponeret; quod odia inter eos iam inchoata, fouit, *Villanius*, *Litteræ Pontificiæ*, *Ciacconius*. *Idem Bo-*

nifacius per Ioannem Monachum Cardinalem mittit Articulos ad Philippum Regem, quibus Rex non respondit, vt Pontifex expectabat, Litteræ Pontificiæ. Quare Decretum excommunicationis emittit *in Regem, & Francos Præsules, & Theologos euocatos Romam, quæ dum Nicolaus Benefractus Archiepisc. Constantiensis deferret ad Legatum, interceptus Trecis datus est iussu Regis in custodiam. Immò & idem Rex Conuentum Prælatorum, Doctorum, & Procerum conuocauit Parisios. Fugit Legatus noctu Romam. In his Comitiis per Guill. Plessiacum accusatus est Bonifacius, de Hæresibus aliquot, de nece S. Petri Calestini, de simonia, luxuria etiam abominanda, magia, sacilegiis, &c. ita assentientibus omnibus (præter Abbatem Cisterciensem Ioannem de Pontisara) prouocatum ad futurum Concilium Generale, & legitimum Pontificem*, Villanius, Continuator Nangij, Walsinghamus, & alij. Itaque Anagniæ *Rex excommunicatur, sublatâ Academiis docendi facultas, toto Regno sacris Interdictum, Regnum oblatum Alberto Cæsari, concitati in Regem Flandri, & Angli*, Litteræ Bonifacij, Continuator Nangij, Acta in Bonifacium, &c. *Post hæc saltem conniuente Philippo Rege Columnenses, cum Guillelmo Nogareto de Sancto Felice Aquitano nobili milite, & Legum doctore, ac Primario Regis Consiliario, itémque Guill. Plessiaco accusatore Bonifacij, consilium ineunt de Bonifacio mulctando. Hi delati Staggiam prope Senas, dum fingunt pacem, tractore cum Pontifice, collectis trecentis equitibus, & aliquot peditibus ex reliquiis exercitus Caroli Valesij 7. Septembr. Anagniam subeunt corruptis auro Ciuibus, & aliquot Cardinalibus. Bonifacius in veste Pontificia & ornamentis Papalibus sedit, Nogaretum Paterinum vocat, quòd eius auus Albigensis hæreticus exustus esset. Sed tum insignem alapam à Sciarra Columna dicitur accepisse, & in terram abiectus esse, quod aliqui Nogareto affingunt, alij malè exceptum fuisse negant. Quidquid sit, eius thesaurus ingens à militibus, & Anagninis expilatus, & triduo captiuus detentus Anagniæ. Exinde quidam Romam ab Francis equitibus deductum volunt, alij liberatum ab Anagninis, ad se redeuntibus, & ab iis Romam deductus; ei quoque Romanis accurrentibus; vbi in febrem ardentem incidit, in qua multa horrenda, & blasphema effutiisse, quæ meliùs suppressa fuissent silentio, quàm typis Parisinis excusa*, Villanius, S. Antoninus, Massonius, Acta cau-

ſæ Bonifacianæ Pariſiis apud Cramoiſios fratres excuſa. Obiit Bonifacius die Sabbathi XI. Octobris, cùm ſediſſet annis octo, menſibus & diebus 18. Quomodo autem inuentum ſit Bonifacij corpus integrum cum veſtibus, excepto naſo, & labiis anno 1605. leges apud Spondanum αὐτόπτην hoc anno, numero 16. Accurrit in Rom. Eccleſiæ auxilium Carolus Rex Siciliæ cum mille quingentis equitibus, & octo millibus peditum, eiúſque freti potentiâ Cardinales ſtatim elegerunt 22. Octobr. Nicol. Bocaſſinum Cardinalem Dominicanum, Bonifacio addictiſſimum patre Opilone natum in agro Taruiſino, & quondam Ludimagiſtrum Venetiis, ſed in primis eruditum, qui ſe Benedictum dixit XI. cùm ſit IX. vel X. coronatus 27. eiuſdem menſis. Digniſſimus ſanè Pontificatu fuit, nihil ſuis addictus, vtpote qui matrem ſuam ſplendidè veſtitam agnoſcere noluerit, in paupere cultu amplexus ſit, *Krantzius, S. Antoninus, Leander, Villanius, & alij. Statim ad eum miſit Philippus Rex Petrum de Bella-Pertica illuſtriſſimum ſui temporis Iuriſconſultum*, cuius operâ Benedictus & Regem & Regnum in priſtinum ſtatum reſtituit, omnéſque implicitos Bonifacianis turbis abſoluit, præter Nogaretum, *Epiſtolæ Pontificiæ.* Recepit & in gratiam Columnenſes, Iacobum tamen & Petrum Cardinales vti purpurâ vetuit: Sciaram, Nogaretum, eiúſque fautores ad ſe citatos & vadimodium deſerentes Anathemate perculit, *eadem.* Caſſanus hoc anno nouam ſuſcepit expeditionem in Saracenos, vanam tamen, cùm ob Baidonis nouam rebellionem, tum Ducis ſui Cotuluſſæ imprudentiam, *Haytho cap. 44. Obiit denique hoc anno in Minori Britannia; ſeu Armorica in Diœceſi Trecorenſi 27. Nouembris S. Yuo Preſbyter, dictus* Pauperum, Viduarum, & Pupillorum *Patronus, ob miracula, & vitam ſanctiſſimè traductam, relatus inter Sanctos à Clemente VI.* 1347. Clementis Bulla, & Surius 19. Maij.

Anno Chriſti M C C C I V. Compendij celebratum eſt Concilium die Veneris poſt Circumciſionem Prouinciæ Rhemenſis à Roberto Curtenæo, vbi potiſſimùm actum eſt de excommunicatis, eorúmque fautoribus. Hoc anno die Lunæ 20. Iulij Aretij ex patre exule Florentino natus eſt Franciſcus Petrarcha, vir multùm & nondum

laudatus satis, *idem Petrarcha.* Benedictus Pontifex magna molitus in bonum Ecclesiæ cùm sedisset mensibus octo, & diebus 17. mortuus est Perusij 6. Iulij, vel 7. ex veneno, vt vulgò creditum est, vel à Cardinalibus Columnensibus, vel à Florentinis ipsi inimicis propinato, per iuuenem habitu ancillæ Monialium Sanctæ Petronillæ, quæ in vase argenteo, ei ficus recentes obtulit, veneno illitas, quas vbi gustasset lethali morbo correptus est, *Villanius, Westmonasteriensis, Leander, Corius;* Miraculis post obitum claruit, *Bernardus Guidonis, S. Antoninus, Sabellicus, & alij. Philippus Pulcher hoc anno Flandros duplici prælio attriuit, priori quidem nauali, die Sancti Laurentij, quo Raynerius Grimaldus Genuensis sexdecim triremibus conductis à Rege, & viginti nauibus Gallicis, Iuniorem Guidonem Comitem Flandriæ cum octoginta nauibus turritis sibi magnâ pompâ occurrentem deuicit, cepit cum multis aliis, reliquis necatis, nauibúsque omnibus, aut submersis aut captis* 18. *Augusti. Alterum prælium terrestre ab ipso Rege commissum est, ad Montem Populeti, vel Pabuli, vel de Pascuis vulgò* Montem Pueli, *inter Duacum & Insulas, vbi à Flandris hostem aggressis in proprio tentorio Rex tantùm non est cæsus, eius tamen maximè virtute confectum est prælium, victi hostes, cæsis sex millibus fortissimorum militum, reliquis nocte elapsis, cùm ad faces etiam pugnatum esset; Rex mille & quingentos equites perdidit, & ex iis aliquot Comites,* Villanius, S. Antoninus, Massonius, Nangij Continuator. *Obsedit exinde Insulas Philippus Rex, & in ea vrbe reliquit Philippum Guidonis senioris filium. Sed illico hortatore Io. Comite Namurcensi adfuere sexaginta Flandrorum millia, qui clausis tabernis iurarunt se nunquam redituros domum nisi commisso prælio, aut pace obtentâ. Rex cum desperatis pacem inire maluit, sibi magis vtilem quàm honestam,* suprà laudati Scriptores. Tunc obiit Guido senior Comes, octogenario maior vel Compendij, quo redierat, ex pacto, vel in Flandria, dimissus à Rege, *Villanius, Joannes à Leidis, & alij. Joanna Regina Nauarræ Philippi Pulchri vxor, obiit* 2. *Aprilis. Credita est maleficiis interiisse. Certè Guichardus Episcopus Trecensis, quondam Benedictinus, horum accusatus, à calumniatore Eremita, inclusus est duro carcere bonis omnibus suis exutus, & per Pontificem deiectus est Episcopatu, & ad aliam Sedem translatus curante Enguerranno Marinio, tum apud suum Prin-

Principem potentissimo, Historiæ Gallicæ Scriptores. Mortuus est hoc anno magno Christianitatis damno Tartarorum Rex Cassanus, magnus Saracenorum terror, cui successit aut frater aut filius Carbanda, in Baptismo dictus Nicolaus. Is christianè vixit dum habuit in viuis matrem; sed eâ post annos sex mortuâ factus est Mahometanus. Sub eo certè apud Tartaros defecit fides, *Haythonus*, *Sanutus*, *Bizarrus*. Societas Catalana suum perdidit Ducem Entenzam, qui victo Calo-Ioanne, filio Andronici, & cum copiis cæso, vicissim victus est ab Eduardo Doria Genuensi, qui eum fefellit, & cepit, *Surita*, *Mariana*. Terminata lis hoc anno Cerdarum de iure in regnum Castiliæ per arbitros iniquissimos Reges Aragoniæ, & Portugalliæ. Alphonsus Cerda contentus esse iussus, oppidis & prædiis, non auditâ sententiâ arbitros execratus *Parisios venit, ex quo natus Ludouicus, posteà Rex Canariarum; item & Carolus, Franciæ Comes Stabuli*, Surita, Mariana, Belleforestius, Sammarthanus, &c. *Joannes Parisiensis cognomento* Pungens Asinum, *Dominicanus Theologus, prohibitus est à Stephano Paris. Episcopo docere Theologiam, atque disputare, quòd aliqua de Sacramento Eucharistiæ, non satis congrua dixisset; ille prouocauit ad sanctam Sedem, & Romæ obiit*, Trithemius, Bellarminus, Spondanus. *Magna controuersia Lutetiæ concitata inter Academiam Parisiensem, & Vrbis Præpositum, ob Scholasticum Clericum præcipiti iudicio suspensum; diúque cessatum à lectionibus & concionibus, donec Academiæ, iussu Regis, factum est satis*, Continuator Nangij.

Anno Christi MCCCV. Haytho mortuo Cassano, relictâ Armeniâ in pace sub Lieuone Rege consanguineo suo, impleturus votum suum nauigat in Cyprum, vbi fit Monachus Præmonstratensis, *idem Haytho cap.* 46. Iudæi Pragæ Christianum die Parasceues, in loco ab arbitris remoto suffixerunt cruci, priùs modis omnibus vexatum, quibus Christus exceptus fuit. Tantum scelus atrociter vltus est populus Pragensis, ac nouo Martyri ex carnificum spoliis statutum monumentum, *Dubrauius lib.* 18. Obiit sanctè anno ætatis præter propter 34. 23. Iunij Venceslaüs Rex Bohemiæ pientissimus, cui successit filius cognominis Venceslaüs III. annorum sexdecim, & robustæ

iam nequitiæ, qui cùm aliàs Hungariæ regnum perdidiſſet, etiam Polonicum, quod pater conſequutus erat, amiſit. Wladiſlaüs enim Lokticus Poloniæ dominatum, quâ vi, quâ voluntariâ populorum deditione recuperauit ex parte. Multa hic Lokticus bella geſſit cum Crucigeris Pruthenis hominibus nequam, ſicut & fuere Cruciferi Liuonici, qui Rigenſem Archiepiſc. ſuâ ditione ſpoliarunt, facti in ruinam Chriſtianitatis, potiùs quàm ſalutem, *Michouius*, *Cromerus.* Cùm diſſiderent inter ſe Cardinales in eligendo Pontifice, quibuſdam *optantibus amicum Philippi Pulchri, aliis fautorem Bonifacij, Matthæus Rubeus, qui horum caput erat Pratenſi qui illos regebat propoſuit tres à Bonifacio creatos Cardinales, & eorum primum Archiepiſc. Burdegalenſem Philippo, & Carolo eius fratri perinfenſum, quem tamen ſpe Pontificatus addici poſſe Philippo Pratenſi indicauit. Itaque Philippo reſcripſit vt cum eo ageret, ac deuinciret ſibi. Ergo accitum Angeriacum, ſic demulſit, vt ei ſponderet omnia. Sex petiit Rex, 1. vt veniam ampliorem daret Regi, atque Francis. 2. vt reciperet in gratiam fautores facti ſui. 3. vt decimas daret ob expenſas belli Flandrici. 4. vt memoriam Bonifacij damnaret. 5. vt Columnenſes Cardinales reſtitueret, & ſibi gratos aliquos alios crearet. 6. ſuo loco ac tempore declaraturum. Promiſit hæc interpoſito iuramento Bertrandus de Agutis* Bertrand d'Agouſt, *corruptè* de Gotto *Arch. Burdegalenſis; itaque miſſo nuncio, qui intra dies triginta Peruſium aduolauit, creatus eſt communi conſenſu quinto Iunij in Vigilia Pentecoſtes, poſteaquàm Romana Sedes menſibus ferè vndecim vacaſſet*, Villanius, S. Antoninus, Maſſonus, Seuertus, & omnes Hiſtoriæ Gallicæ Scriptores. *Hic ſtatim Lugdunum aduocauit Cardinales, aſſumpto Clementis V. nomine. Coronatus eſt 14. Nouembris die Dominicâ (non in die Sancti Martini xj. vt alij ſcribunt) coram Philippo Rege, fratre eius Carolo Valeſio, Ducibus Burgundiæ, Britanniæ, Lotharingiæ, & multis Proceribus. Sed hæc coronatio multis magni ſtetit. Nam in ea Ioannes Britanniæ Dux frænum Pontificis tenens interiit ex muri ruina, Carolus frater Regis ab alia parte frænum quoque tenens grauiter læſus. Occidit quoque Pontificis frater, Rex iuxta Clementem equitans periclitatus eſt; Pontifex delapſus eſt equo excuſâ Tyarâ, ex qua decidit, & diſparuit carbunculus magni pretij, quæ omnia volunt prænunciaſſe Romanæ*

Sedis in Galliam translationem, Villanius, S. Antoninus, & alij. *Statim omninò Gallia Ecclesia reconciliata; paulò pòst Iacobus & Petrus Cardinales Columnenses restituti; creati Cardinales Philippo accepti*, Historiæ Gallicæ Scriptores, aliíque. Eduardus Angliæ Rex misit ad Clementem supellectilem cubiculi, & mensæ penitùs auream, *Westmonasteriensis*, & *Walsinghamus*. Sæuiit hoc anno frigus ingens, rapidissimi quíque fluuij glacie constricti, & maximè Rhenus, *Trithemius*. In Wandalia sub initium Octobris cecidit grando, in qua igniti lapilli vbique magna excitarunt incendia; quidquid iis tactum est, etiam animal, flammis absumptum est, *Krantzius lib. 7. Wandalic. cap. 46.*

Anno Christi MCCCVI. *Clemens V. reuocat Constitutiones duas Bonifacij, in gratiam maximè Philippi, cui dat decimas in quinquennium ob bellum Flandricum*, Villanius, & Gallici Historici; dedit & in biennium decimas Eduardo Angliæ Regi, ad Palæstinam recuperandam, *Westmonasteriensis*. In Italia Florentini & Lucenses Pistorium vndecim menses obsessum deditione occupant, euertunt eius mœnia, eiúsque territorium inter se partiuntur. Quare à Clemente excommunicati, & Interdicto subditi, quæ contempsere potissimùm Florentini, & Ecclesiasticos tributis attriuerunt, *Villanius, Leonardus, Antoninus, Rubeus, Blondus.* Robertus Archiepiscop. Cantuariensis restitit Ministris Regiis, idcircò accusatus à Rege quasi suos ad rebellionem, tempore belli Flandrensis excitasset, quare relinquere Angliam compulsus est, in quam à Regis successore anno sequenti reuocatus, eidem quoque fortiter restitit, & præbuit se fortem Sancti Thomæ Martyris imitatorem, *Westmonasteriensis, Walsinghamus, Harpfeldius.* Robertus Brusius Scotiam Anglis per Balliolum subditam liberaturus, communicat consilium suum Cumeino è sanguine Regio Scotiæ, viro forti; sed ab eo proditus est Eduardo: quare eum interemit 29. Ianuarij, in Choro Minoritarum, fugítque in Scotiam, vbi se Sconæ inaugurandum curauit 25. Martij, impetratâ à Pontifice violati sacri loci veniâ. Sed victus est ab Anglis præsidiariis, & in sylvas fugere compulsus, vbi multa passus, nunquam deposuit regni consilium. Eius amici crudeliter ab Anglis vē-

xati; Eduardus eò redigere Scotos conatus est vt nunquam rebellarent, *Hector Boëthius, Westmonasteriensis, Walsinghamus.* Vencellaüs Bohæmus dum cogitat Poloniam aggredi Olemutij in Morauia cæditur à sicario, *Chronica Aulæ Regiæ Bohemiæ*, de cuius successione multæ turbæ concitatæ sunt ditionem prensantibus Henrico Duce Carinthiæ, & Alberto Cæsare, *Dubrauius, Æneas Syluius, & alij. Eiecti sunt ex vniuersa Gallia 22. Julij omnes Iudæi, quorum plerique in Germaniam commigrarunt. Variæ proferuntur causæ, maleficia, auaritia Philippi, sacrilegia in sacrosanctam Hostiam, fortaßè simul omnes veræ*, Continuator Ptolomæi Lucensis, Bernardus Guidonis, Trithemius, Blondus. *Seditio excitata contra Philippum Regem ob restitutionem monetæ, aliàs ab eodem adulteratam, ob bellum Flandricum; Rex obsessus in Templo Parisiis, substracta huic in vnum diem cibaria; tandem nobiles periculum discusserunt, multis ex plebe trucidatis*, Historiæ Gallicæ Scriptores. Obiit hoc anno 10. Septembris S. Nicolaus Tolentinus Eremita Augustinianus, sic dictus ab hac vrbe Piceni, *Martyrologium Romanum Baronij, Pamphilus in Chronico Augustinianorum, S. Antoninus, &c.* Henricus Coloniensis Archiepiscopus Begardos & Beguinas exagitat, *Collectio Synodorum Coloniensium*, vbi eorum errores & mores recensentur.

Anno Christi MCCCVII. Haytho iussu Clementis Historiam suam scribit, *Præfatio eius Historiæ.* Idem Clemens creauit Legatum suum in regionibus Orientalibus Io. de Monte Coruino Minoritam, qui egregiam Ecclesiæ in Tartaria nauauit operam, per quem & creditur baptizatus Magnus Chamus Tartarorum, Ioannes in Baptismo dictus, qui mortuus post triginta annos inuentus est integer cum ornamentis Imperialibus, *S. Antoninus, Wadingus. Petit Philippus à Clemente damnari memoriam Bonifacij; negat sapienter Pontifex ex consilio Nicolai Cardinalis Pratensis id fieri posse, nisi in Concilio, seque id indicturum; sicque furorem Regis compescuit, ac delusit*, Villanius, S. Antoninus, Continuator Ptolemæi Lucensis. *Templariorum Ordinis paratur extinctio, (quod sextum fuisse promissum Clementis plerique tradunt; cùm alij id fuisse malunt de exhumandis ossibus Bonifacij; aliqui de Imperio à Germanis ad Francos reuocando.) De eorum*

innocentia, vel facinoribus multi ſcripſerunt, ſicut & de cauſa eorum perſecutionis, Villanius, Continuator Nangij, Bernardus Guidonis, Blondus, Boccatius, Continuator Belli ſacri, & alij: quibus omnibus præferendus eſt ipſe Clemens in ſuis Litteris ad omnes Chriſtianos, *in quibus aſſerit eos apud ſe initio ſui Pontificatus accuſatos eſſe Apoſtaſiæ, Idololatriæ, Sodomiæ, Hęreſeos; ac principio ſe id credere noluiſſe de Ordine tam benè de Eccleſia merito; ſed cùm eadem ſibi Philippus Rex indicaſſet, de iis diligenter inquiri iuſſiſſe, eáque vera eſſe deprehendiſſe, ex eorum confeſſione*, Litteræ Clementis apud Rubeum in Hiſtoria Rauennare lib. 6. *Capti ſunt igitur hoc anno in Gallia, & aliis regionibus 16. Octobris, eorum plerique ignibus lentis cremati, quidam perpetuis incluſi carceribus, cætera in Concilio Viennenſi peracta ſunt*, Appendix Rubei, Gaguinus, Continuator Belli ſacri, Memoriale Hiſtoriarum, Continuatores Nangij, & Poloni, Bernardus Guidonis, & Tractatus P. Puteani de Templariis, ex Archiuis Regiis, & Commentariis manuſcriptis. Dulcinus Fratricellorum propagator multos ſeducens, & in omnem libidinem inducens captus ſacro die Cœnæ cum Margarita ſcorto Vercellas deductus, cum aliquot ſociis membratim conciſus, & crematus eſt, *Continuator Ptolemæi Lucenſis, Nangius, Chronicon Monfortij, Bernardus Guidonis, Corius, & alij. Ludouicus Hutinus filius Philippi Pulchri coronatus eſt Pampelonæ 1. Octobr. Rex Nauarræ, vt matris hæres*, Hiſtoriæ Gallicæ Scriptores. Eduardus Angliæ Rex in expeditione Scotica moritur ex dyſenteria annos natus 68. regni ſui 34. cum ſeptem menſibus & diebus vno & viginti, cùm paulò ante obitum quinquaginta quinque nobiles pueros antè captos crudeliter ſuſpendi iuſſiſſet, *Hector Boëthius, Walſinghamus.* Succeſſit Patri Eduardus II. vel V. dictus de *Caerneruan* à loco vbi natus erat, iam annos natus 24. Hic ſtatim oblitus monitorum patris, de exſcindendis Scotis fœdus cum iis iniit. Quare Robertus Bruſius animos recepit, ac per ſe & per fratrem ſuum Eduardum Anglos & & Scotos Anglis fauentes malè mulctauit, *Hiſtoriæ Anglicæ Scriptores.* Fœdus Helueticum hoc anno ſumpſit initium, cùm malè haberentur Vrij, Suitij, & Vnderualdij à Præfectis Auſtriacis. Hi etiam pileum colendum illis obiiciebant:

quod cùm ſpreuiſſet Tillius quidam, iuſſus eſt ſagittâ decutere pomum ex filij capite; ſed hic attulit ſagittas duas, quarum altera Præfectum cæderet, ſi filium ſuum interfeciſſet, quod faſſus, ductus eſt in carcerem à militibus, ſed ab iis ſe expediit, & Vrios ſuos excitauit, cæſo Præfecto, quibus alij duo pagi ſe coniunxerunt. Hi eò denique potentiæ peruenerunt aliis coniuncti vt toti Europæ aut formidabiles aut amabiles videantur, *Hiſtoriæ Heluetica Scriptores.*

Anno Chriſti MCCCVIII. Eduardus Angliæ Rex Elizabetham Philippi Pulchri filiam iam ſibi à teneris deſponſatam ducit vxorem. Reuocat & in Angliam Petrum Gauerſ-tonium iuſſu patris eiectum ex Anglia quòd Proceribus odioſus eſſet, cui & multa bona conceſſit, & nobiles nuptias, immò & conceſſit ei regni adminiſtrationem dum epulis, ganeis, & ſcortationibus vacaret, quare in eum armati irruerunt Angli; & iterum faceſſere ab Anglia coegerunt, *Walſinghamus, Polydorus, Harpsfeldius, & alij.* Cæſus eſt Albertus Auſtrius dum bellum parat in Heluetios apud Rhinfeldam 10. Maij à nepote ſuo Ioanne Sueuiæ Duce, filio fratris ſui Rodulphi, quem cum ſuis liberis educarat eius tutor, ob denegatum ſibi patrimonium, factâ conſpiratione cum iis quos Albertus bonis ſuis ſpoliarat. Grauiter in eius percuſſores animaduerſum, Ioannes coactus ab Henrico, Alberti ſucceſſore Eremiticam vitam profiteri, in qua obiit, *Albertus Argentinenſis, Villanius, S. Antoninus, Trithemius, Æneas Syluius, & alij.* Succeſſit Alberto Henricus Lutzemburgenſis ab Electoribus nominatus intra octiduum, vt petitio Philippi Pulchri eluderetur, vt vult, *Villanius:* ſed hoc incertum vt de loco electionis & coronationis. Hoc certum Henricum hunc VII. aut VIII. fuiſſe, corpore luſcum, animi dotibus bello atque pace ornatum, atque Imperio digniſſimum *Serrarius Rerum Mogunt. lib. 5.* Cardinalis Gentilis de Monte Floris olim Minorita miſſus in Hungariam 27. Nouembris Catobertum Regem inunxit in ciuitate Peſcenſi; & deinde aliis in locis, *Bonfinius, Onuphrius.* Romæ Baſilica Lateranenſis cum Patriarchio deflagrauit die feſto S. Ioannis ante Portam Latinam, ſola ſeruata eſt

ædicula, in qua capita Sanctorum Petri & Pauli seruabantur. Sed magnificentiùs reparata, fœminis etiam Romanis nobilibus currus lapidibus onustos trahentibus, *Continuator Ptolemæi Lucensis, Villanius, qui eum casum mense Iunio contigisse scribit, & Clementis Litteræ. Clemens vltionem sumpturus de Ægidio Bituricensi Archiepiscopo (quia eum excommunicarat, & talem denunciarat per Gualterium Episcopum Pictauiensem quondam Minoritam) Archiepiscopatum Burdegalensem eximit à iurisdictione Bituricensis, eámque Sedem vni Pontifici submittit. Gualterum autem deposuit, & remisit in suum Cœnobium: at hic prouocauit ad Dei tribunal, & moriens schedulam appellationis secum voluit sepeliri. Cùm autem Clemens audisset ad eius tumulum miracula fieri, eum referari iussit, sed ex eius manu nunquam tollere schedulam ipse potuit, nisi cùm promisit se eam restituturum; nec exire inde potuit Pontifex, nisi repositâ schedâ; quare eius tumulum donis exornauit*, Wadingus, §. Antoninus, Nicolaus Ægidius, & alij. *Pictauij grauiter ægrotauit Clemens, bis curatus à Petro Medico, quem ad eum miserat Henricus Cæsar vt peteret fratri suum Archiepiscopatum Moguntinum, sed ob ætatem iuniorem repulit Balduinum, Petrum ipsum creauit, vt animos iam curaret*, Serrarius rerum Mogunt. lib. 5. *sed posteà Balduinum creauit Archiepiscopum Treuirensem.* Hoc anno mortuus est 8. Nouembr. annos natus 33. Ioannes Duns Scotus Minorita Coloniæ, natione Scotus, aut vt alij volunt, Hibernus, *Doctor subtilis* dictus. Quòd autem apoplexiâ correptum viuum volunt quidam fuisse sepultum, vulgò à Minoritis arguuntur, *Wadingus, & alij.* Obiit item Sancta Clara de Monte-Falcone Monialis Sancti Augustini, 17. Augusti, de Cruce cognominata, in cuius corde insignia passionis quasi insculpta, in vesica felis tres globuli, in trianguli formam dispositi, quorum duo æqualis ponderis cum vno, *Wadingus qui eam Franciscanam facit*, & *Pamphilus in Historia Augustiniana.* Michaël Palæologus filius Andronici Imperatoris Constantinopolitani ad Apros Thraciæ victus, & à Rupefortio Duce Catalanæ Societatis, tantùm non captus amissis sex equitum, viginti peditum millibus, *Montanerius Catalanus, qui interfuit, Surita, Mariana, Nicephorus Gregoras.* Palæologi in Montemferratum hoc anno

translati sunt, Theodoro filio Andronici Imperatoris Constantinopoli misso, vt Ioanni Marchioni mortuo sine liberis succederet, qui filius erat Yolantis huius Ioannis sororis, *Corius*, *Nicephorus*, *& alij.*

Anno Christi MCCCIX. Henricus VII. coronatur Aquisgrani die Epiphaniæ, *Continuator Poloni.* Clemens duos Cardinales nominat, qui eum comitarentur, *Litteræ Clementis.* Veneti ob captam Ferrariam anathemate perculsi, etiam inuaduntur à copiis Pontificiis, Gallicis, & Sociis Longobardis, Bononiensibus, & Florentinis. Victi Veneti ad Francolinum cæsis sex hominum millibus, receptâ Ferrariâ, Florentiâ Ecclesiæ reconciliatâ, *Villanius*, *Continuator Poloni*, *S. Antoninus*, *& alij. Carolus Claudus eius nominis II. vtriusque Siciliæ Rex moritur Neapoli annos natus vno atque sexaginta, cùm regnasset annis viginti quatuor, & quatuor mensibus. Successit ei filius Robertus, excluso Caroberto nepote Rege Hungariæ, filio Caroli Martelli*, Collenutius, Summontius, Villanius, Sanctus Antoninus. Venêre tum ad Pontificem triginta millia Germanorum & Anglorum, vt Hospitalarios iuuarent ad Rhodiam expeditionem; sed remissi sunt cùm negarent se iis indigere Hospitalarij, & deessent naues; & hæc multitudo bonis ducibus careret, *Appendix ad Historiam Ptolemæi Lucensis. Robertus Rex creatus est à Clemente Comes Romandiolæ, & Vicarius Ecclesiastici Status, qui repressit eos qui Dominatum Estensem occupare nitebantur*, Platina, Sabellicus, & alij. Bohæmi exosi Henricum Carinthiæ Ducem, vt asperiorem, Henricum Cæsarem aduocant, eiúsque filio Ioanni annorum quatuordecim adolescenti regnum offerunt, cum Elizabetha Wencellai iunioris sorore. Adfuit Cæsar & Henricum Carinthium expulit; Ioannes coronatus est Pragæ cum coniuge die Purificationis anni sequentis, & huic celebritati plusquàm trecenta hominum millia interfuerunt, *Dubrauius*, *Trithemius.* Idem Henricus Cæsar appellauit Austriæ Ducem Fridericum Rudolphi fratrem, priùs adiunctum sibi sacramento, nè Sextus Cæsar in prensatione Austriæ interiret, quod iam quinque prensantibus obtigerat, *Nauclerus.* Athanasius Patriarcha Constantinopolitanus renunciauit suæ Sedi, quòd calumniatores suos non satis seuerè puniret

niter Andronicus Imperator; quæ Sedes duobus fermè vacauit annis, *Nicephorus Gregoras lib. 7.*

Anno Christi M CCCX. Ecclipsis Solis contigit die Sabbati 31. Ianuarij, quam malè in annum sequentem reiicit *Spodanus, quia anno sequenti 1311. pridie Kalend. Februarias cadit in diem Dominicum. Cùm Philippus Rex damnationem memoriæ Bonifacianæ vrgeret, Clemens libellis affixis denunciauit se auditurum Bonifacij accusationes & defensiones ad mediam vsque Quadragesimam, vltra quod tempus accusandi Bonifacij potestas non procederet. Accessit ergo Auenionem Nogaretus cum Guillelmo Plessiaco & magno Comitatu; accusaturus de multis sceleribus Bonifacium; cui fortiter obstitit Franciscus Caietanus Bonifacij nepos, cum suis fautoribus. Tantóque ardore accusabatur & defendebatur Bonifacius, vt meritò timeretur ne à verbis, ad arma veniretur. Fauebant & Bonifacio Reges Castellæ, & Aragonum, orantes Clementem, ne pateretur memoriam publici Parentis dedecore oblini*, Bernardus Guidonis, Continuator Lucensis, Surita, Mariana, & alij. *Clemens veritus tantos Principes offendere rogauit Philippum Regem vt sibi totum negotium permitteret, vt de eo statueret sicut è re Ecclesiæ ipse iudicaret; quod & obtinuit*, Litteræ Clementis. *Post maturam itaque deliberationem ita hoc negotium composuit, vt facti huius ἀμνηστία induceretur, processus abolerentur omnes, omnes impliciti Bonifacianæ iniuriæ, ad cautelam absoluerentur, exceptis tamen ab hac gratia Nogareto, Sciarâ, & quibusdam nobilibus, cum ciuibus Anagninis Ecclesiæ thesauri raptoribus. Posteà tamen & Nogareto certis conditionibus absolutio data, vt primâ generali expeditione in Palæstinam cum equis & armis contenderet, ibique in obsequio Christianitatis moreretur: interim varias peregrinationes obiret. Tum autem pronunciatus est Bonifacius Catholicus, & legitimus Pontifex, perpetuum vtrique parti silentium impositum*, Amalricus, Augerius, Bernardus Guidonis, Continuator Nangij, Manuscriptus codex Victorinus, & alij. Eodem ferè tempore Veneti veniam erratorum postularunt, per Legatos suos, inter quos enituit Franciscus Dandulus, qui tandiu ad pedes Clementis iacuit προσκυνήσας, donec eum flecteret, quare & dictus est *Canis.* Exceptus à suis ciuibus magno honore, & Duce demortuo, in eius locum substitutus, *Continuator Ptolemæi Lucensis, Sabellicus, Egna-*

tius, & alij. Dilatum indicti Concilij Viennensis tempus vsque ad primum Octobris anni proximi, *Litteræ Pontificiæ.* Henricus hoc anno exeunte ingressus est cum exercitu in Italiam, ex lege ei dicta à Clemente, & vt Gibellinis faceret satis, à quibus inuitabatur, relicto in Germania Ioanne filio suo Vicario, magnæ spei adolescenti; quò tamen plus damni, quàm vtilitatis intulit. Ab eo Mediolani restitutus Matthæus Vicecomes, expulsus Guido, *Corius, & Ripamontius.* Occupata est denique hoc anno Rhodus à militibus Hospitalariis, Duce eorum Magistro Fulcone Villareto Gallo, die festo B. Virginis Assumptæ, depulsis ab ea insula Turcis, qui eam Saracenis eripuerant, hi Græcis. Ab ea deinceps illi Equites Rhodij dicti, qui nunc Melitenses, *Continuator Poloni, Bernardus Guidonis, Annales Genuenses, Nauclerus, Trithemius, & alij.*

Anno Christi M C C C X I. Henricus Cæsar multam pecuniam accipit à Ciuitatibus Italiæ Venetiis, Genua, Pisis, præfecítque Vicarios Vrbibus Veronæ Scaligerum, Parmæ Corregium, Mantuæ Bonacosum; Florentiam & Bononiam, & alias fœderatas vrbes reliquit sub protectione Roberti Siculi, *Itali Scriptores. Viennam ad Concilium se confert Clemens cum multis Archiepiscopis & Episcopis, cui etiam interfuit Philippus Rex cum fratribus duobus, ac tribus filiis, aliísque Principibus; de tribus in eo Concilio actum est,* de Templariis, de Palæstina, de reformatione Ecclesiasticorum & Christianorum, *Poloni Continuator, & alij. Templariorum igitur Ordo extinctus est, eorum bona addicta Hospitalariis ad subsidium Terræ Sanctæ, exceptis tamen regnis Castellæ, Aragoniæ, Portugalliæ, & Maioricarum, ob bella Maurica. Nobiliores Templarij iudicio Summi Pontificis reseruati, alij Ordinariis relicti, vt punirentur rei ex qualitate criminum; insontes, aut qui faterentur peccata, in suis domibus aut Cœnobiis, quæ eligerent de suis bonis alerentur,* Bernardus Guidonis, Chronicon Monfortianum, Amalricus Augerius, Nangij Continuator. *Damnati quoque Beguardi & Beguinæ, quorum in Germania ingens copia, de quorum erroribus* Spondanus, *vt & de eorum Antesignanis Iacobo Iusto, & Bonanato Castellano, quorum hic viuus exustus, ille in carcere inclusus obiit. Statutum quoque de festo Corporis Christi vbique celebrando, & de Monachis, &*

Mendicantibus circa Confeſſiones, Prædicationes, Sepulturas, Sacramentorum adminiſtrationes, de Horis Canonicis, de ornatu Clericorum, de electione Romani Pontificis, de ſtudio Linguarum, de Dominio Lugdunenſi, & aliis. Durauit Concilium à decimoſexto Octobris ad ſeptimum Maij 1612. Cauſa Bonifacij intacta relicta eſt, quia ante Concilium concluſa fuerat, Acta huius Concilij, Clementinæ, Continuator Nangij, Chronicon Monfortianum, Maſſonius, Seuertius, &c. Celebratum Concilium Rauennæ à Raynaldo Archiepiſcopo Rauennate, *in Conciliis.* Decreti Cardinales ad coronationem Henrici, *Epiſtola Clementis.* Victenen Dux Lithuaniæ Paganus ſpolians Eccleſias, & S. Euchariſtiam abiiciens, internecione deletusà Magiſtro Pruſſiæ, omnes eius milites interierunt, præter ipſum, ac duo eius Comites, *Michouius lib.* 4. *cap.* 13. Niphon Cizycenus eligitur Patriarcha Conſtantinopolitanus, homo mollis, auarus, & deliciis addictus, *Nicephorus Gregoras, & Phranzes.* Theobaldus Dux Lotharingiæ I. moritur, cui ſuccedit Ferrius II. eius filius.

Anno Chriſti MCCCXII. Ecclipſis Solis contigit 5. Iulij, ſeptimo à coronatione Henrici Imperatoris die (non autem 4.) cùm Coronam acceperit non 2. Iulij die Dominicâ vt vulgò ſcribitur, cùm id factum ſit die Sanctorum Petri & Pauli, vt ipſe ſcribit Imperator ad Steronem Abbatem, *Continuator Martini Poloni.* Antequàm autem Henricus veniret Romam, Robertus in eam miſerat Ioannem fratrem ſuum Achaiæ Principem cum ſexcentis equitibus, in ſpeciem vt coronationem Imperatoris cohoneſtaret, reuerà vt cum Vrſinis aliiſque Guelphis, Columnenſium & Gibellinorum (quos tuebatur Ludouicus Senator eò præmiſſus ab Henrico cum quingentis equitibus) authoritatem retunderet. Acceſſere & auxilia Florentinorum, Lucenſium, aliarúmque Tuſciæ ciuitatum. Quare attociter in vrbe certatum, Leonina ciuitas & Palatium Vaticanum reſtitit in poteſtate Guelphorum. Exceptus Henricus Vrbe die Dominicâ 7. Maij, & potitus eſt locis munitioribus Vrbis. Attamen 26. Maij duo millia ſuorum perdidit, aut captos aut cæſos, & inter reliquos Theobaldum Epiſcopum Leodienſem, virum fortem. Quare de-

ſperans coronari in æde Sancti Petri, inunctus eſt in æde Laterana à tribus Cardinalibus die 29. Iunij, *Continuatores Martini Poloni, & Steronis, Onuphrius, & alij.* Henricus vrbem cogitur deſerere, ipſe deſertus à Duce Bauariæ, & clade à populo Romano acceptâ. Florentiam obſidet; ſed fruſtrà, & abire turpiter compellitur, impletâ ridiculè Prophetiâ, fore vt *omnia redigeret in poteſtatem ſuam vſque ad caput Mundi*, cùm in eo loco vbi caſtra poſuerat vicus eſſet qui caput mundi dicebatur, *Villanius, Leonardus Aretinus, Antoninus, Blondus, Platina, Nauclerus, & alij.* Græci à Turcis malè accepti auxilia Latinorum implorant, quos etiam Pontifex animauit, *Continuator Nangij, Summontius, Nicephorus Gregoras lib.* 7. Societas Catalanica diſcordiis torquetur, Enteza cæſus, captus Rupefortius à duce Eubœæ; itaque Societas hæc deſperans, percursâ Macedoniâ, & Theſſaliâ in Atticam irrumpit, poſſeſſam à Gualtero Brenna Gallo, qui ab iis Catalanis cæſus, captâ totâ Atticâ, vbi prædones illi demùm ſedes fixerunt, Francorum diuitiis per tot ſæcula quæſitis locupletes. Imperij tamen nomen reſeruarunt Friderico Siculo, ne à vicinis inuaderetur, *Montanerius, Nicephorus, Mariana, Surita, Summontius, & alij.* Continuantur turbæ Anglicæ contra Regem, ob Pettum Gaueſtonium quas ſedare nititur Clemens per Legatum ſuum Arnaldum, ſed vterque contemptus à rebellibus, *Walſinghamus.* Ferdinandus Rex Caſtellæ (poſt interfectos duos fratres Caruaialios Petrum & Ioannem qui ei dixere diem ad Dei Tribunal intra triginta dies) pergit contra Mauros, & in caſtris leuiculâ febri tentatus, Giennium, *Iaen*, defertur, vbi trigeſimo die vadimonij Caruaialani moritur 7. Septembris natus annos vndetriginta, cùm regnaſſet annis 17. cum 4. menſibus, & diebus tredecim, ideò dictus à ſuis *Ferdinandus in ius vocatus.* Succeſſit ei filius Alphonſus infans vnius anni, & 25. dierum, cuius educatio commiſſa auiæ Mariæ, regni adminiſtratio patruo Ferdinandi Ioanni, & Petro eius fratri, ac deinde Senatui, *Mariana, Surita, & alij.* Carobertus Hungariæ Rex Matthæum Comitem rebellem Cadmæâ victoriâ, & diuinitùs partâ vincit, 15. Iunij, *Thuoſius, Bonfinius, Dubrauius.* Secundâ Seſſione Concilij Viennenſis die

Lunæ post Dominicam in Albis, 3. Aprilis coram Philippo Pulchro, eiúsque fratribus ac filiis promulgata est abolitio Ordinis Templariorum, eorum bona adiudicata sunt Hospitalariis ad subsidium Terræ Sanctæ, & in Hispania Ordinibus militaribus, ad depellendos Mauros; quartâ Sessione 6. Maij damnati Beguini, & Beguinæ multæque editæ Constitutiones, promulgatæ à Ioanne XXII. *Acta Concilij Viennensis.*

Anno Christi MCCCXIII. Henricus grauem, sed vanam in Robertum Regem Neapolitanum fert sententiam, cùm priùs in eum & Guelphos Fridericum Siciliæ Regem armasset. Iunctis ergo illi viribus Calabriam inuadunt, & aliquot oppida capiunt: Friderico, quem Atchithalassum Imperij statuerat, dum se coniungere nititur Henricus apud Bonconuentum, duodecim à Senis millibus passuum, moritur 24. Augusti, vel 23. vixit annis vno & quinquaginta, & dies 37. regnauit ab inauguratione Aquisgranensi annis 4. mensibus 7. diebus 18. à Romana annum vnum, dies quinquaginta sex, *Villanius, Fazellus, Onuphrius, Continuator Ptolemæi Lucensis, Albertinus, Mussatus Vecerius, & alij.* Falsum autem est quod scriptum est ab aliquibus eum obiisse veneno porrecto ipsi in ablutione Communionis, per quemdam Fratrem Bernardum (alij Ioannem vocant) Politianum Dominicanum, de quo vide *Abrahamum Bzouium anno* 1313. Fridericus audito eius mortis nuncio, spretis Pisanis, qui se ei committebant, in suam patriam remigrat, vt eum aduersus Robertum tueretur, *Corius, Summontius, Villanius, & alij.* Clemens creat Robertum Vicarium Imperij, & Senatorem Vrbis, vt Vrbi, Italiæque prouideret, *Clementis Litteræ, Continuator Ptolemæi Lucensis, & alij. Magna celebritas habita Parisijs in festis Pentecostes, quando Philippus Pulcher tres filios suos Baltheo militari accinxit, cui interfuere tres Reges, Galliæ, Angliæ cum vxore sua Isabella Philippi filia, Ludouicus Hutinus Rex Nauarræ, cum multis Proceribus; qui cruce signati sunt, & sequenti die vxores eorum; quando Rex in armis ostendit viginti millia equitum, & triginta millia peditum Parisinorum. Multæ querelæ aduersus Engueranum Marinium Normannum Ducem Longauillæum, à Rege factum fisci Præfectum, ob adulteratam Monetam, & ex-*

torsiones, vt vulgò iactabatur. Tres Nurus Regis impudiciæ accusatæ, duæ conuictæ, inclusæ sunt, adulteri veretris abscissis, detrectáque viuis cute suspensi, pœnas atroces suæ libidinis dependerunt, Nangij Continuator, & alij. Sacra Imago B. Virginis de Guadalupa olim accepta à S. Gregorio per B. Leandrum, & posteà in antro metu Saracenorum defossa, hoc anno reperta est, *Ludouicus Nunnius de rebus Hispanicis.*

Anno Christi M C C C X I V. *Clemens varijs tentatus morbis, dum aërem natiuum quærit, & versus Burdegalam iter intendit, apud Rupem-Mauram* (Roquemaure) *Diœcesis Nemausensis ad Rhodanum moritur die Sabbathi 20. Aprilis cùm sedisset annis octo, mensibus decem, diebus sexdecim; vacauit Sedes duobus annis, tribus mensibus, & diebus 17. ob Cardinales Vascones & Gallos suis suffragiis distractos*, Continuator Ptolemæi Lucensis, Bernardus Guidonis, Amalricus Augerius author Memorialis Historiarum, & alij. *Cùm autem à* Dante *præcipitatus sit in Tartarum ob crimina nempe Simoniam, Libidinem, Magiam, mirum est huic calumniatori denunciato Gallorum, à quibusdam fidem adhibitam esse: ignoscendum sanè* Villanio & S. Antonino popularis sui malâ fide delusis. *Ante Clementis obitum die Lunæ xj. Martij Ioannes Mola Burgundus Templariorum Magister, cum Guidone fratre Delphini Viennensis lentis ignibus exustus est Parisius, inclamans falsa esse quæ de criminibus & hæresi iactabantur, séque dignum esse morte, quòd spe vitæ aliqua falsa confessus esset*, Bernardus Guidonis, Villanius, Continuator Nangij suprà citati. *Quòd autem aliqui addunt ab hoc Magistro citatum ad Dei Tribunal Clementem intra diem quadragesimum, & Philippum Pulchrum intra annum*, putant viri emunctæ naris hæc ab otiosis hominibus, & Pseudoprophetis esse conficta. Vt Cardinales in creando Pontifice distracti sunt; sic & Electores in creando Cæsare. Quinque enim nempe Balduinus Archiepiscopus Treuirensis, Petrus Archiepiscopus Moguntinus, Ioannes Rex Bohemiæ, Waldemarus Marchio Brandeburgicus, & Ioannes Dux Saxoniæ Francofurti 19. Octobris elegerunt Ludouicum Ducem Bauariæ fratrem Comitis Palatini, qui Aquisgrani 25. Octobris huius anni, vel fortè sequentis, coronatus est. Fridericus autem Austrius cognomento Pulcher, filius natu maior Al-

berti Romanorum Regis à duobus reliquis, ſcilicet Henrico Archiepiſcopo Colonienſi, & Rudolpho Comite Palatino Duce Bauariæ electus eſt, & coronatus Romæ, *Epiſtola Electorum quinque apud Geuuodum & Bzouium*, alij tamen aliter ſcribunt ex ſtudio partium, quæ magnam in Imperium & Eccleſiam perturbationem inuexerunt. *Mortuus eſt hoc anno 29. Nouembris apud Fontem-Bellaqueum Philippus Pulcher Franciæ Rex annos natus 46. cùm regnaſſet annos 29. vno menſe & diebus 23. ex lento morbo, & Medicis incognito, cuius cauſam nec pulſus, nec vrina indicarent*, Continuator Nangij, Bernardus Guidonis, Paulus Æmilius Gaguinus, & alij Gallicæ Hiſtoriæ Scriptores. Villanius, & Bocatius *ex equi lapſu, cùm feroci apro incurriſſet, qui ſe erexit in pedes, Regémque excuſſit hærentem tamen pede in ſtapedo, & ab eo tractum:* ineptè Meyerus *leproſum occubuiſſe aſſerit, ideóque multos leproſos combuſtos, quaſi fontes infeciſſent; quod ſupplicium ſub Philippo Longo contigit. Pulchri opus Monaſterium Piſciacum, & Regia in Inſula Sequanæ, vbi hodie Parlamentum, vt vxoris eius Ioannæ opus Collegium Nauarræ ſeu Campaniæ. Succeſſit patri Ludouicus Hutinus, hoc eſt* rixoſus, *quòd is eſſet puer, eius nominis decimus, reuerà decimus tertius; cuius inauguratio in ſequentem annum cadit*, Continuator Nangij, Paulus Æmilius, Gaguinus, & alij. Robertus Rex Siciliam inuadit menſe Auguſto, paruo aut nullo operæ-pretio, ob inundationes, & morbos, atque Fridericum detrectantem certamen, *Villanius, Fazellus, Surita.* Piſani die 14. Iunij, duce Huguitione, Lucam intercipiunt, atque diripiunt, & inter cætera Theſaurum Pontificium hîc relictum in Monaſterio S Fridiani, cùm à Cardinale Montis-Floris, aut certè à tribus Clericis, deferri non potuiſſet Auenionem, vti iuſſerat Clemens, ob bellicos tumultus, *Villanius, Author rerum Piſtorienſium, Leonardus Aretinus, S. Antoninus, & Litteræ excommunicationis Clementis.* Scoti fuderunt Anglorum ingentem exercitum, cum paucis copiis ad Striuelinum ad fluuium Banacbornium die Sancti Ioannis Baptiſtæ cum pridie accuratè ieiunaſſent, eo die omnes Chriſti Corpore eſſent refecti. Cecidiſſe aiunt Scoti Anglorum quinquaginta millia, Angli decem millia duntaxat. Vix effugit Eduardus nauiculâ vſus, & voto nuncupato, *Ioan.*

Maior, Hector Boëthius, Leslæus, Walsinghamus, Polydorus, Robertus Darton Carmelita in carmine de hac victoria, & alij. Concilium Argentæ celebratum Prouinciæ Rauennatis à Raynaldo Archiepiscopo de reformatione Ecclesiæ, *in Conciliis.* Græci duce Phile Palæologo Andronici Imperatoris cognato, licèt militiæ ignaro, sed valdè pio, paucis cum copiis Turcos ferocientes victoriâ superant: atque Græci animos recipiunt quos deposuerant, *Nicephorus Gregoras lib.* 7. Cometes horribilis apparuit sub anni finem discurrens circa Polum; quem alius secutus est minor, *Continuator Poloni, Bernardus Guidonis, Villanius.*

Anno Christi MCCCXV. *Ludouicus Hutinus cum vxore Clementia inunctus est Rhemis die Dominicâ* 3. *Augusti, vt scribit* Continuator Nangij; *die S. Ioannis Baptistæ,* Villanius, Belleforestius *Dominicâ infra Octauas Assumptionis. Hic Rex mense Augusto duxit ingentem exercitum in Flandriam & Curtracum; vnde regredi tamen coactus est mense Septembri, ob pluuias, equitatu in solo vliginoso non consistente, & deficiente commeatu, ac magnâ impedimentorum parte amissâ,* Continuator Nangij, & alij. *Celebratum est Concilium Suessionense in causa Petri de Latiniaco* de Lagny, *aut de Latilliaco* de Latilly; *is accusatus fuerat de morte Philippi Regis, & Petri decessoris sui, quasi eos malis artibus sustulisset, ideóque datus in carcerem, & bonis omnibus spoliatus. Ac primò ex canonibus restitutus est, deinde & absolutus, maximè quòd anteà quatuor mulieres veneficæ Parisiis crematæ fuissent, conuictæ quòd Petro mortem veneno intulissent,* Continuator Nangij. Furebat hoc tempore Lolhardus Walterus multas blasphemias exerens, atque spargens, posteà combustus, *Trithemius, Hocsemius, Sanderus.* Sæuiit horrenda fames in Germania, Polonia, Anglia, Dania, vbi non parcitum ab humana carne, *Ioannes à Leidis, Krantzius, & alij. Franciscus Mayronius Minorita, dictus* Doctor Illuminatus, *discipulus Scoti, induxit illam disputationem Sorbonicam, in qua plus virium corporis, quàm ingenij requiritur, in qua ab hora quinta matutina ad septimam vespertinam, per quatuordecim horas respondetur,* Genebrardus in Chronologia, Trithemius, Bellarminus. Eiectus est è Sede Patriarchali Niphon auarus, & sacrilegus, cùm quadriennio ferè eam inquinasset; successit ei Ioannes XII. cognomento

nomento Glycys ex Logotheta Dromi, quem Imperator impediit ob valetudinem nè Monachus fieret ex more. Eodem tempore florebat Theodorus Metochites, ambo in Græca Lingua excellentes, *Nicephorus Gregoras*. Fœdus primum Helueticum in Litteras relatum, & sacramento firmatum, quod probauit Ludouicus Bauarus, in odium Austriaci, *Historiæ Helueticæ Scriptores*.

Anno Christi MCCCXVI. *creatus est Pontifex Ioannes Deüsa vel de Ossa Cadurcensis, filius Sutoris veteramentarij Cardinalis Portuensis, paruus corpore, sed animo magnus, & tum septuagenarius. Creatus est 17. Augusti, coronatus 5. vel 8. Septembris, dictus Joannes à quibusdam XX. ab illis XXI: vulgò, & in omnibus actis huius temporis XXII. venítque Auenionem initio Octobris*, Bernardus Guidonis, Continuatores Nangij, & Poloni, Villanius, & Antoninus. *Cùm autem dicitur facto compromisso vt eligeret, quem vellet, seipsum elegisse, credit* Spondanus *in confectum ab eius æmulis, atque inimicis, & temerè creditum à* Villanio, ex quo alij Scriptores desumpserunt; *neque enim vera sunt quæcumque in eum à Ludouico Bauaro, eiúsque fautoribus iactata sunt. Eius equitantis frænum tenuerunt Carolus Marchiæ Comes, Regis frater, & Ludouicus Ebroicensis patruus*, Nangij Continuator. *Obiit Ludouicus Hutinus in castro Vicennarum 5. Iunij, non sine suspicione veneni, cùm regnasset anno vno, mensibus octo vel sex, diebus sex, vitæ 27. Accurrit statim Philippus Ludouici mortui frater, relicto ad custodiam Conclauis Comite Foresij. Nam Ludouicus ex Clementia vxore reliquerat Ioannam filiam, & eamdem Clementiam grauidam. Itaque procuratio regni à Proceribus Philippo demandata donec Clementia pareret, & si masculum ederet, vsque ad annum eius 18. Philippus administraret regnum. Ex Clementia ergo genitus est 14. aut 15. Nouembris Joannes, Rex agnitus; sed eo intra dies septem aut viginti dies mortuo, Philippus Rex dictus, Quintus eius nominis, cognomento* Longus, *ob proceritatem, annos natus 25. Ioannes* Pontifex negat confirmationem Imperij Ludouico Bauaro, cùm eius electionem vitiosam esse contenderet Fridericus Austriùs; & quoniam aliqua fecerat quæ potestatem legitimi Imperatoris excessisse iudicabat, *Blondus, Nauclerus, Krantzius*. Causa Cruciferorum & Polonorum coram Ioanne XXII. excussa est,

cùm vtrique misissent ad Pontificem Legatos: sacrilegiorum autem multorum, & rapinarum accusabantur isti Cruciferi, *Michouius, Cromerus.*

Anno Christi MCCCXVII. *Philippus Longus coronatus est Rhemis in festo Epiphaniæ, clausis tamen Vrbis portis, & præsidio firmatis, quia Odo Dux Burgundiæ, patruus Ioannæ filiæ Hutini reclamabat, obiiciens ius naturale, & ciuile; Philippus autem antiquam Legem Salicam obiiceret: vt lis ista terminaretur, Regni Comitia celebrata, & pronunciatum fœminas Sceptro Francico excludendas esse: cui ordinum sententiæ acquieuit Odo; & vt ei fieret satis, atque omninò demulceretur datus est ei à Rege, Burgundiæ Comitatus, cum Regis filia in matrimonium. Philippus insuper retinuit Regnum Nauarræ debitum Ioannæ filiæ Hutini, quia eius mater adulterij suspecta, dubium eius partum reddebat; at post Philippi, & eius fratris obitum, ad hanc Ioannam Nauarra rediit,* Continuator Nangij, Paulus Æmilius, Massonius, Belleforestius, & alij. Ioannes damnat eos omnes qui in Italia se Vicarios Imperij gerebant, quasi eam dignitatem ab Henrico VII. aut Ludouico Bauaro, sed contemptus est cum suis fulminibus; immò tum se Ferraria dedidit Marchionibus Estensibus, pulso excisóque Roberti Siciliæ Regis præsidio, quare confirmatus Roberto à Pontifice Vicariatus Italiæ, *Epistolæ Innocentij.* Eodem anno promulgatæ sunt eiusdem Pontificis imperio Clementinæ, iussæque in Scholis legi, atque vbique obseruari. *Retulit & in Sanctorum numerum Sanctum Ludouicum olim Episcopum Tholosanum. Hunc Episcopatum quoque mutauit in Archiepiscopatum, & Episcopatus nouos ei subditos creauit Montalbanensem, Vaurensem, Mirapicensem, Sanpapulensem, itémque Riuensem, Lombariensem, & Apamicensem. In Archiepiscopatu quoque Burdegalensi creauit Condomensem, Sarlatensem, Luconiensem, & Maleacensem,* (nunc translatum Rupellam.) *Item in Archiepiscopatu Bituricensi, Sancti Flori, Vabrensem, Castrensem, & Tullensem. Prouinciam quoque Tarraconensem diuisit in duas, & Cæsaraugustanam creauit Metropolitam,* Bernardus Guidonis, Amalricus Augerij, Continuator Poloni, & Litteræ Pontificiæ. Institutus in Aragonia Ordo Militaris Montesiæ à Sede sic dictus, aliàs Sanctæ Mariæ, & Sancti Georgij, olim Or-

dini Calatrauæ contributus; seruat Regulam Cisterciensem, gerúntque Equites vestem candidam cum cruce rubra, initio Ordo tenuis fuit; sed aduersus Mauros depopulantes Valentina littora factus illustris, cui data sunt bona Templariorum, *Surita, Mariana.* Magnum Schisma excitatum inter Hospitalarios ob vitam solutam Magistri Fulconis de Villareto, contra quem electus est Magister Mauritius de Pagnaco; vterque euocatus est à Ioanne Auenionem: Mauritius obiit, Fulco deposuit dignitatem sponte, electus Elion de Villanoua, *Bosius Tom. 2. lib. 1. Historiæ Hospitalariorum. Episcopus Cadurcensis Hugo Geraldi lapsus in omnem impietatem, & fortè coniuratione factâ in Ioannem Papam, depositus, & degradatus est, & traditus brachio sæculari, aliquâ corporis parte cute nudatus, combustus est*, Bernardus Guidonis, Amalricus Augerij, Continuator Poloni, Platina, Rebdorfius, & alij. Sortilegi exagitati à Ioanne, *Epistolæ Pontificiæ.* Ioannes XXII. insurgit in Minoritas quosdam ceruicosos paupertatem Sancti Francisci scrupulosiùs defendentes, *Litteræ Pontificiæ.* Robertus Rex immittit exercitum in Siciliam, eámque fœdè depopulatur, Friderico certamen refugiente; quæ clades tanta fuit, vt præteritas sub auo Carolo, & patre Claudo sarcisse videretur. Iussu tamen Pontificis in quinquennium factæ induciæ, ipse Ioannes arbiter controuersiæ factus, *Villanius, Leonardus Aretinus, Summontius, &c.* Scotia hoc anno sicut & Anglia valdè turbatæ, Scotis præualentibus, & Legatos Sanctæ Sedis ad se missos, aut spoliantibus, aut non recipientibus. Vnde Scotia interdicto subdita à Ioanne. Baruicum à Scotis captum, & direptum, quod recipere dum conantur Angli vincuntur ab Episcopo Caledoniorum. Archiepiscopus quoque Eboracensis dum Scotis cum imbelli multitudine conatur obsistere, victus ægrè fugit. Eduardus Brusius Roberti frater in Hibernia cecidit victus ab Anglis, & Hibernis eis adhærentibus; sic Regnum eius Insulæ ab eo occupatum euanuit, *Walsinghamus, Polydorus, Hector Boëthius, & Litteræ Pontificiæ.* Celebratum est Concilium Syluanectense mense Martio ab Archiep. Rhemensi Roberto Curtenæo, contra bonorum Ecclesiasticorum direptores, quorum tunc temporis magna copia fuit, *Tomi Conciliorum.*

Anno Christi MCCCXVIII. Ioannes XXII. agit in Minoritas rebelles, qui sibi Henricum de Ceua sui Ordinis desertorem & apostatam Ministrum Generalem elegerant, cum Prouincialibus, & Guardianis. Schismati adiungebant etiam Hæresim, fingebant duas Ecclesias, vnam spiritualem, aliam carnalem & alia eiusmodi. Eos fouebant Matthæus Vicecomes Mediolanensis, Scaliger Mastinus Veronensis, & alij Ecclesiæ rebelles. Quatuor Minoritæ qui dicebant Regulam Sancti Francisci esse eandem cum Euangelio, ac proinde non posse Pontificem super ea dispensare, combusti sunt Massiliæ iussu Inquisitorum Minoritarum, *Litteræ Pontificiæ, Wadingus.* Matthæus Vicecomes, cum Passecino Mantuano & Scaligero Veronensi spretis Ioannis monitis & excommunicationibus, ditiones suas in Longobardiam extendere moliuntur. Genua obsidetur à Matthæo & Gibellinis; inclusi Guelphi opem Ioannis & Roberti Regis implorant, obtinent; sícque liberantur sese vtrique dedentes ad decennium, *Corius, Villanius, Auctor Pistoriensis, & alij.* Hoc eodem tempore Vrbes Patrimonij Sancti Petri & Status Ecclesiastici, rebellant in Pontificem, afflati fulminibus Apostolicis, cum Estensibus Ferrariæ occupatoribus, & hanc vrbem reddere Sanctæ Sedi recusantibus, *Litteræ Pontificiæ.* Bonauentura Bononiensis Dominicanus, cognomento *Paruus*, missus in Armeniam cum Archiepiscopali dignitate, cùm innumeros hîc conuertisset 15. Augusti cum B. Virgine cælum conscendit; in vita & post obitum miraculis illustris, *Leander & Bzouius.* Renouatum hoc anno fœdus inter Francos & Scotos, additâ nouâ clausulâ ad tollendas controuersias de successoribus vtriusque Regis, *Hector Boëthius.*

Anno Christi MCCCIX. *Hæretici Waldenses repullulantes in Galliis, & aliis regnis; reprimuntur Ioannis XXII. iussu.* Item & comburuntur Libri Thalmudici, & Iudæorum blasphemiæ coërcentur, *Author Fortalitij fidei, Sixtus Senensis, Bzouius.* Magnus filius Errici, frater Birgeri, (qui ob scelera regno depulsus est) trium regnorum Rex declaratus est Noruegiæ, Daniæ, & Sueciæ, licèt trimulus, operâ Matthiæ Chetelmundi creati regni Gubernatoris, *Ioan-*

nes Magnus, Krantzius. Procuratores Regni Castellæ Ioannes & Petrus ducunt exercitum ad Granatam tantùm vt Mauris insultarent. Hîc biduo morati, tertio die dum castra mouent, in eos irruit Ozminius dux strenuus cum quinque millibus equitum, & multis peditibus, vt postremum eorum agmen carperet; sed cùm ex nimio æstu (erat enim 25. Iunij dies) Petrus mortuus esset, Ioannes exanimatus, fugit exercitus noctis beneficio; sed impedimenta direpta, & deinceps aliquot oppida à Mauris occupata, *Mariana, & Surita: Villanius, & Sanctus Antoninus*; proditioni quorumdam Baronum Hispanorum id assignant: *Continuator Nangij* Deo Christianis irato. Iacobus filius natu maior Iacobi Regis Aragonum, sponsalibus celebratis cum Eleonora Castellæ Regis sorore cessit Regni iure, factus Eques Hierosolymitanus, aut Calatrauæ, & posteà Montesiæ 23. Decembris; sed exinde voluptatibus se totum dedidit. Electus est à Proceribus eius frater Alphonsus, *Mariana, Surita.* Alphonsus rebellat in patrem Dionysium Regem Lusitaniæ, & arma vtrimque expediuntur, quòd Sanctius secundo-genitus ei præferri videretur: maiori tamen patris patientiâ, quàm fortitudine: dissidium tandem ab eius matre S. Elizabetha compositum est, *Mariana lib. 15. cap. 16.* Rex Bugiæ in Africa, pulsus Tuneto à gentili suo, opem implorat Friderici Trinacriæ Regis, à quo accepit auxilia: sed eius æmulus maiori oblatâ pecuniæ summâ plus copiarum abstulit. De quarum turbarum vicissitudine, *vide Villanium lib. 9. cap. 104. & Garinaeum lib. 39* Inchoatus est hoc anno Ordo Montis Olíueti à Bernardo Ptolemæi nobili Senensi Legum Professore, qui reddito sibi visu à B. Virgine, cum Nobilibus sociis duobus Senensibus in Montem Olíueti quindecim millibus passuum Senis distantem secessit, vbi duram & asperam vitam egit, multis posteà ei adiunctis. Quare vocatus Auenionem, vbi & probatus est Ordo sub Regula Sancti Benedicti, vestibus albis, eis à Guidone Aretino Episcopo assignatis, *Onuphrius, & huius Ordinis Historia.* Atrocissima sæuiit hyems in Longobardia, gelu constrictus Eridanus, & plaustris peruius; de cuius acerbitate multa, *Corius, & Ripamontius.*

Anno Christi MCCCXX. Italia omnis in duas partes abiit Guelphorum, qui Friderico & Ecclesiæ, Gibellinorum, qui Ludouico Bauaro fauebant, hos fouebat etiam Fridericus Siculus, illos Robertus Neapolitanus: itaque Pontifex se videns imparem tot turbis componendis, in Matthæum Vicecomitem maximè super cæteros in sanctam Sedem infensum *mittit Philippum Valesium, filium Caroli, patruelem Philippi Regis. Sed hic se deludi passus est à Berardo Mariolio castrorum Magistro pecuniâ Matthæi corrupto: eius enim consilio non expectatis aliis copiis, Pontificis, Florentinorum, & Bononiensium cum mille tantùm & quingentis equitibus progressus est inter Vercellas & Nouariam, vbi erat exercitus Matthæi trium millium equitum Germanorum, & magna copia peditum. Philippus itaque videns se tantis copiis imparem, aliunde delinitus verbis Galeatij, maioris filij Matthæi, turpiter rediit in Galliam, causatus sibi deesse pecunias, & militem, quæ tamen excusatio nec eius patri, nec Regi, multò minùs Pontifici placuit,* Villanius: Corius paulò aliter. Ioannes XX. non despondet animos, sed Philippo Francorum Regi & Roberto Neapolitano arctiori fœdere iungitur. Excommunicat etiam Fridericum Siculum sacrilegum, & Siciliam vniuersam subiicit interdicto, *Villanius, Fazellus.* Vrgebat & expeditionem in Palæstinam; *quam etiam susceperunt hoc anno Bubulci, Opiliones, & alij eiusmodi, dicti* Pastorelli, *suasoribus duobus Ecclesiasticis, & Monacho Benedictino eiecto, & sæculari excommunicato, qui se electos à Deo ad recipiendam Terram Sanctam iactabant: conuenêre primùm circa Parisios, mox totam Galliam peruagati, latrociniis omnia fœdabant, maximè Iudæis infesti, quorum sibi à Deo traditam vltionem fingebant; donec in Occitaniam, & Aquitaniam peruenerunt, vbi à Præfectis Regiis, & populis coeuntibus dissipati sunt, eorum plurimi suspensi sunt,* Continuatores Nangij, Poloni, & Belli Sacri, Memoriale Historiarum, &c. In Polonia saltem dissimulante Ioanne XXII. coronatus est & Rex, & inunctus Cracouiæ ab Archiepiscopo Gnesnensi Wladislaüs cum vxore Heduigi die Dominicâ 20. Ianuarij, ex quo tempore insignia regni, & ius inungendi Reges Cracouiam translatum, *Michouius, Cromerus.* Silesia partim venditione, partim vi, partim fraude, Polonica desiit esse, & ad Ioan-

nem Bohemiæ transiit, *Annales Silesiæ, Cromerus, Michouius.* Ioannes Poidrasius coriarij Oxoniensis filius finxit se filium Eduardi demortui, Eduardum verò regnantem supposititium, & spurium. Illuserat huic demùm felis specie, qui eum demùm non ad regium solium, sed furcam infamem, vncúmque deduxit, *Walsinghamus, Harpsfeldius.* Turbata est hoc anno Flandria cùm omnia fausta sperarer, ex quo pax cum Francis inita erat à Roberto Comite, eiúsque filius Ludouicus Comes Niuernensis *filiam Philippi Franciæ Regis, vxorem accepisset:* sed accusatus est apud patrem ille Ludouicus per calumniam, & vrgente minori fratre Roberto datus in carcerem, capitísque damnatus, seruarúsque tantùm prudenti tergiuersatione, & cunctatione Arcis Præfecti. Insuper & Confessarius eiusdem Ludouici in quæstionem datus; sed ex eo nihil elici potuit. Ludouicus itaque emissus cum iuramento, se viuo patre non rediturum in Flandriam, *Parisiis apud Philippum Regem*, ex mœrore obiit, *Roya, & Meyerus, Villanius.* Reliquit Patriarchatum Ioannes Glycys contemptus à suis, & secessit in suum Monasterium, cui successit Gerasimus Monachus Monasterij Manganij, surdaster ex senio & illiteratus, ideóque tum hac Sede dignus iudicatus ab Andronico, *Nicephorus Gregoras, & Phranzes.*

Anno Christi MCCCXXI. disceptant inter se, & digladiantur de Imperio Ludouicus Bauarus, & Fridericus Austrius, fouéntque hic Guelphorum, ille Gibellinorum partes, *Villanius, Corius.* Fridericus Rex Trinacriæ in odium Pontificis filium suum primogenitum in regni Comitiis Panormi coronandum curat, & regni consortem creat, *Fazellus, Surita. Damnatur à Ioanne XXII. Ioannes de Poliaco quòd assereret confessos Religiosis, teneri eadem suo proprio Parocho confiteri, & alia eiusdemmodi, quæ & reuocauit*, Lutzemburgicus, Prateolus, Sanderus. Anglia Scoticâ clade afflicta, internis dissidiis magis concussa est, propter Hugones Spenserios ex quorum nutu Rex, regnúmque pendebant. Et Hugo iunior electus à Proceribus post Petri Gauerstonij necem datus Regi Camerarius ab Episcopis & Proceribus, quòd Regi exosus esset, firmosissimus, & callidissimus, ita se insinuarat in animum Regis, vt iam plus

poſſet, quàm olim Gauerſtonius: cuius & pater vir militiâ bonus ſtatim potentiſſimus eſt effectus. Quare primùm coactus eſt Rex Procerum metu eorum exilio aſſentiri. Mox tamen parato exercitu Rex eoſdem reuocauit, Proceres oppreſſit, multos cecidit, quando & Thomas Lancaſtrenſis Comes perdidit caput. Inde Rex in Scotos proceſſit, qui in interiora regni ſui refugerant, cibariis omnibus elatis, aut conſumptis. Quare maturè in Angliam redire compulſus, & ſupellectilem, & multos è ſuis amiſit, Scotis eum animosè inſequentibus, *Thomas Morus, Walſinghamus, Polydorus, Ioannes Maior, Boëthius, & alij. Leproſi inficientes certo toxico aquas, vt bibentes morerentur, aut leproſi fierent, confeſſi crimen flammis combuſti ſunt totâ Galliâ, & ad Rhenum. Diuiſerant inter ſe locorum, caſtrorúmque dominia, & ſibi Principum, Comitum, & Baronum nomina impoſuerant. Alij iuſſi Noſocomiis ſe continere, nec ex iis egredi,* Bernardus Guidonis, Amalricus Augerius, Continuatores Nangij, & Poloni, & alij. *Iudæi quoque ſub Philippo Pulchro ſpoliati, atque pulſi, ſub Ludouico Hutino reſtituti, hoc anno in perpetuum ex Gallia pulſi ſunt, nunquam deinceps redituri. Credebantur excitaſſe leproſos ad maleficia, eiſque toxicum dediſſe, incitati & corrupti ingenti pecuniâ à Regibus, & Satrapis Saracenis,* Continuator Nangij. Obiit hoc anno Dantes Aligerius Rauennæ annos natus vndequinquaginta, aut vt alij volunt, quinquaginta ſex, de cuius maleuolentia in Francos ſuprà egimus; ſed quid mirum, calumniatorem eum fuiſſe, qui hæreticus fuit, *Rubeus in Hiſtoria Rauennate, Villanius, S. Antoninus, Petrarcha, Bartholus, &c.* Turbata Conſtantinopolis Andronico iuniore filio Michaëlis in auum Andronicum rebellante, quando equus Sancti Georgij depictus in pariete adhinniit, quod contigerat cùm Balduinus II. expulſus eſt Conſtantinopoli. Cauſa huius diſſidij Michaël Catharus filius Conſtantini Deſpotæ, elegantiſſimus atque fortiſſimus, quem nimiùm diligebat auus Andronicus. Vt turbæ illæ componerentur, diuiſum inter nepotem & auum Imperium; huic Conſtantinopolis, & pars Macedoniæ, illi Thraciæ reliquum & Macedoniæ relictum. Itaque Turci paratâ claſſe eas Prouincias, & Inſulas vaſtarunt. Stabat ab Andronico ſeniore

re

re Nicephorus Gregoras tum annos natus 27. in eius familiaritatem inductus à Theodoro Metochita Generali Logotheta, id est, Cancellario, ob eloquentiam, & Astrologiam; ab Andronico iuniore Ioannes Cantacuzenus Magnus Imperij Domesticus, & Princeps Consiliorum huius ambitiosi Principis, *Nicephorus Gregoras, Cantacuzenus, Villanius.*

Anno Christi MCCCXXII. *moritur Philippus Longus Franciæ Rex apud Longum-campum prope Lutetiam, ex quartana febri, & dysenteria 2. Ianuarij, cùm regnasset annis 5. mense vno & diebus 13. accusatus à Francis pecuniæ auidiùs quæsitæ. Certè Girardus Guecta eius Ærarij Præfectus postulatus, & conuictus duodecies centena librarum millia subripuisse, mox captus, equuleo tortus, ex dolore & morbo inde contracto in carcere obiit. Successit Philippo Carolus IV. cognomento Pulcher, eius frater, Marchiæ Comes, inunctus Rhemis 21. Februarij Dominicâ Quadragesimæ, quæ olim dicebatur,* deuant les Brandons, Continuator Nangij, Massonius, Villanius, Gaguinus, Hocsemius, & alij. *Eius nuptiæ cum Blancha filia Odonis, seu Othenini Ducis Burgundiæ, accusata, & conuicta adulterij, & reclusa, dissolutæ sunt iussu Ioannis Pontificis, ob cognationem spiritualem, quòd Mathildis Blanchæ mater Carolum ex sacro fonte suscepisset*, Continuator Nangij, & alij. *Bellum Carolus Rex in Anglum contumacem suscipit, mittitque in Aquitaniam Carolum Valesium Patruum suum, per quem occupata est tota Aquitania, præter Burdegalam, Baionam, & San-Seuerum: Edmundus Angli frater obsessus Regulæ, Carolo pactus est, se omnia compositurum, aut rediturum in carcerem*, Continuator Nangij, Walsinghamus, &c. Fridericus Austrius Henricum fratrem mittit in Italiam, suadente Pontifice; sed tam mittens quàm missus prodidere Ecclesiæ causam, acceptis à Matthæo Vicecomite & Cane Scaligero muneribus, *Villanius, Corius*. Obiit paulò pòst iste Matthæus, insano tum propior 29. Iunij. Mors ab eius filiis diebus 14. cælata, vt negotia componerentur. Corpus clam tumulo illatum, nè insepultum abiiceretur. Nonagenarius erat *Villanio*; annorum 72. *Corio*. Galeatius pulsus Mediolano, posteà est restitutus, *Villanius, Corius.* Fridericus Comes Monfeltri obsessus Vrbini in castro, se populo dedidit seminudus, resti collo insertâ, rogans tantùm vt sibi ceruices amputarentur, nec illuderetur. Sed à populo discerptus vnco tractus, & illusus, in sterqui-

linium, vt excommunicatus abiectus est; cæsis insuper tribus eius filiis, *Villanius, S. Antoninus*. Fridericus Austrius in peruigilio S. Michaëlis ad Muldorfium oppidum Bauariæ quod obsidebat, cum Ludouico Bauaro fortiùs, quàm prudentiùs conflixit ab ortu Solis ad occasum; tandem victus, & captus est, vnà cum fratre Henrico, & in carcerem coniectus, in quo toto triennio detentus est, *Steronus Continuator, Henricus Rebdorfius, Chronicon Salisburgense, Chronicon Aulæ Regiæ, Auentinus, Surita, Onuphrius, & alij*. Carolus Hungariæ Rex Rasciam occupat; sed auditâ suorum clade in Bauariam (fauebat enim Austrio) ad sua regreditur, *Villanius. Robertus Rex Neapolitanus Auenione penè à suis interfectus est, quos Tyranni Longobardi, & Gibellini pecuniâ corruperant*, idem Villanius cap. 172. Multæ turbæ in Hispania ad quas componendas missus Cardinalis conuentus Pallentiam indixit, Reginæ morte impeditos. Itaque visum est è regno esse, vt ipse Rex Alphonsus, licèt annorum quindecim, id administraret; quando Toletano Archiepiscopo, filio licèt Regis Aragonum, Scrinij Præfectura est ablata; quare impatiens ille. iniuriæ Tarraconensem Archiepiscop. cum Toletano mutauit, *Mariana, Surita*. Vallisoleti in Diœcesi Pallentina celebratum est Concilium à Guillelmo Legato, Patriâ Baionensi Cardinale Ordinis Prædicatorum, *In Concilijs*. Ioannes Pontifex edidit constitutionem 3. Iulij, seu 5. Nonas aduersus adulterantes pecuniam, & Alchimistas, quos infames declarauit, *Litteræ Pontificiæ. Licèt tum Rex Carolus, Philippi patris exemplo, tum Monetam imminuerit, & coëgerit Trapezitas externos dare sibi pecuniam, ne è regno eiicerentur*, Villanius. Idem Pontifex damnauit eorum opinionem qui asserebant Christum & Apostolos nullum ius habuisse, in ea quibus vtebantur; explicauítque Decretalem Nicolai III. *Exiit qui seminat* contra Michaëlem de Cesena Ministrum Generalem Minoritarum, *Litteræ Pontificiæ*. Constantinopoli Gerasimo mortuo successit Esaias Patriarcha Monachus montis Atho, ἀναλφάβητος, & vir nequam, *Nicephorus Gregoras lib. 8.* Armenia minor etiamnum Christiana destructa est à Saracenis, cùm ciuilibus discordiis esset agitata, nequitiâ Reginæ, quæ sponsum suis filiis præferebat, *Villanius, S. Antoninus, & Continuator Belli Sacri*.

Anno Christi MCCCXXIII. *Carolus Pulcher, soluto priori matrimonio, ducit Mariam filiam Henrici VII. Imperatoris, Ioann. Bohemiæ Regis sororem: eâque intra annum mortuâ, filiam Ludouici Ebroicensis patrui sui*, Nangij Continuator. *In vnam ex iis nuptiis Guillelmus Bonus Comes Hollandiæ adduxit mulierem Sclandam Gigantem, tam robustam vt duo dolia ferre posset singula* 400. *pondo, & trabem ferret, quam vix octo viri mouissent*, Iunius Batauiæ cap. 2. Res Guelphorum hoc anno non malè procedebant, adeò vt Mediolanum etiam obsideretur: sed soluta obsidio, vicissímque Gibellini præualuerunt, Ducibus Pontificiis, ob morbos, recedere coactis, *Villanius, Sanctus Antoninus, Corius*. Procedit Pontifex contra Ludouicum Bauarum: hic prouocat ad Pontificem benè informandum, & generale Concilium; quod etiam petiit, vt discuteret grauamina iniustè sibi illata, *Villanius, Antoninus, Naucerus, &c.* Conatus est Ioannes odia Genuensium restinguere, nihil potuit, creuerunt magis, & in Orientem vsque sunt propagata, *Folieta Historiæ Genuensis lib.* 6. Ineunt fœdus contra Turcos iam sibi maris interni arrogantes Imperium, Pontifex, Rex Franciæ, & Respublica Veneta, vt equitum viginti millia, peditum quinquaginta scriberent, Veneti classem centum nauium armarent. Sed non stetere promissis Galli, *Continuator Belli Sacri, Petrus Iustinianus Histor. Venetæ lib.* 4. *Sabellicus, & alij.* Sardiniam Aragoniis à Bonifacio VIII. concessam occupat Alphonsus eorum Rex, quam Pisani solo armorum iure retinebant, *Villanius, Surita, Mariana. Jordanus de Insula, nobilis Aquitanus, qui filiam fratris Ioannis Papæ habebat vxorem, cui semel parcitum erat in gratiam Pontificis, accusatus stuprorum, homicidiorum, & Apparitoris ipsâ suâ clauâ liliatâ cæsi, publicè in furca strangulatus est Iudicio Parisiensis Senatus*, Continuator Nangij, Paulus Æmilius, Massonus, Belleforestius, & alij. *Rex Carolus dirimit controuersiam ortam post mortem Roberti Comitis Flandriæ, inter eius Robertum filium, & nepotem Ludouicum, & huic causa adiudicata est à Paribus Franciæ, eique iudicio Flandri acquieuerunt. Hic tamen Ludouicus paulò pòst datus est in custodiam à Brugensibus; & tandem liberatus Caroli Regis authoritate, fidelitate Gandauensium, & censuris Ioannis Pontificis*, Villanius, Flandrici Annales,

& Historiæ Francicæ Scriptores. *Obiit hoc anno S. Elzearus de Sabrano Comes Ariani in Prouincia 27. Septembris, ætatis 28. Parisiis, vbi negotia Roberti Neapolitani curabat. Mors eius reuelata Delphinæ coniugi in Prouincia, cum qua virginitatem seruarat, eodem thoro vsus: & Institutum Tertij Ordinis S. Francisci complexus, multis in vita & post obitum miraculis clarus, ideò in Sanctorum numerum relatus* 1569. Sanctus Antoninus, Surius, Wadingus.

Anno Christi M C C C X X I V. Ioannes Pontifex blandè agit cum Ludouico Bauaro, eúmque morâ, & tempore ad sanam mentem reuocare conatur. Tandem xj. Iulij in eum vti contumacem pronunciat, & omni iure Regni, atque Imperij, si quod haberet, priuat, *Litteræ Pontificiæ.* Ludouicus in Pontificem debacchatur, & in eum armat Ioannem de Ianduno Perusinum, & Marsilium de Menandrio Patauinum. Iis quoque adiunguntur aliqui Minoritæ contumaces, quorum aliqui in Aragonia impœnitentes sunt cremati, *Litteræ Pontificiæ, Villanius, Rebdorffius, Auentinus, Emericus. Pro Ioanne scripsere Alexander de Elpidio Augustinianus, Pelagius Aluarus Minorita, & Petrus Paludanus Dominicanus, quorum extant scripta.* Variâ quoque fortunâ à Pontificiis & Mediolanensibus certatum. Ac primùm victi captíque Raymundus Catdonius, & Henricus Flander, duces Pontificij ad oppidum & Pontem Vaprij, à Vicecomitibus Galeatio, & Marco, vltimo die Februarij. Sed Henricus emissus à Germanis Galeatij; Raymundus fugit ex carcere Mediolanensi; & die 28. Martij egressus ex Modoëtia instrumenta Galeatij corrupit, & coëgit soluere obsidionem; ac demùm alternante fortunâ victi victores, denique Modoëtia, *Monza*, in manus Vicecomitum venit, *Villanius, & Corius*; sed suis Vicecomitibus addictior. Sardiniæ Insulæ negotium hoc anno confectum est, pactis initis inter Pisanos, & Alphonsum Aragonium, vt Calaris, Insulæ vrbs primaria, cum arce & territorio sub tributo à Pisanis retineretur, tota Insula cum eius supremo dominio Aragoniis cederet. Maturauit reditum suum Alphonsus, ne si in hac Insula moreretur Petrus eius frater, qui cum Patre in Aragonia remanserat, exclusis legitimis hæredibus filiis fratris, occuparet regnum, *Villanius, Mariana, Surita.*

Anno Christi MCCCXXV. Robertus Rex Neapolitanus per filium suum Carolum Ducem Calabriæ Panormum frustrà obsidet, & totam Siciliam ferro, flammísque vastat, quod & duobus annis sequentibus præstitit messis tempore, Friderico in Insulam Liparam refugiente, *Villanius*, *Fazellus*, *Summontius*. Florentini victi sunt à Castrucio Lucæ tyranno, vrbs in discrimen adducta, itaque se committere Carolo Duci Calabriæ coacti sunt: sicut & Bononienses Bertrando Legato Pontificio, cùm malè accepti essent à Passatino Mantuæ tyranno, atque insuper intestinis discordiis laborarent, *Villanius*, *&* *Author Pistoriensis Historiæ. Pax inita inter Anglos & Francos, Eduardum & Carolum, eâ lege vt pater Eduardus relinqueret filio suo Eduardo Aquitaniam, & Comitatum Pontiuensem, quam pacem procurauit Isabella Caroli soror, vxor Eduardi, quæ transierat in Galliam, vt Spenseriorum vitaret artes & insidias: Venit in Galliam iunior Eduardus, & Carolo se submittit, quoad ditiones illas duas. Statim reuocatur cum matre à patre. At illa transfretare recusauit, siue verita Spenserios, seu implicita amoribus Rogerij de Mortuomari Galli, qui elapsus ex Turre Londinensi profugerat in Galliam. Quare Eduardus Senior & filium & vxorem proscripsit. At Isabella cùm subsidia impetrare non posset à fratre, ob nouum fœdus, agit de matrimonio filij sui cum Philippa filia Guillelmi Comitis Hannoniæ, & Hollandiæ. Cùm ergo hîc copias Isabella collegisset, & multos ex Anglia confugientes, virilis animi fœmina in Angliam traiecit*, Thomas Moor, Walsinghamus, Harpsfeldius, Continuator Nangij, & alij. Andronicus Iunior annos natus 27. coronatus est Imperator 2. Februarij, Indictione 8. ab Esaia Patriarcha, cui & quæsita vxor Beatrix, aut Ioanna filia Amedei IV. Sabaudiæ Ducis, quam Græci Annam vocarunt, *Cantacuzenus lib.* 1. *cap.* 40. *&* 41. *& Nicephorus Gregoras lib.* 8. *Carolus Valesius Regis patruus* 16. *Decembris moritur ex apoplexiâ, pœnitens quòd Enguerrani Marinij mortem parum iustè procurasset, credens sibi morbum immissum à Deo ob hoc crimen, quare ei quibus potuit modis satisfecit. Fuit filius, frater, & pater Regum, & patruus item trium Regum, nec tamen Rex*, Continuator Nangij, vterque Villanius, & omnes Historiæ Gallicæ Scriptores. Ludouicus Bauarus

emittit è custodia Fridericum Austrium operâ cuiusdam Prioris Carthusiæ, iis conditionibus, vt Germaniam regeret, Ludouicus Bauarus transiret in Italiam cum Leopoldo fratre Friderici, qui esset eius Vicarius; quæ conditiones nec Pontifici, nec Electoribus placuerunt, *Villanius, Cuspinianus, Heunartius, & alij.* Ioannes XXII. damnat Postillas Ioannis de Serignano Minoritæ: item & excommunicat Religiosos, qui absque Litteris Superiorum in partes Vltramarinas se conferrent, *Litteræ Pontificiæ.* Dionysius Rex Lusitaniæ laudatus ab omnibus ob morum suauitatem sub finem huius anni moritur, cùm annis 45. regnasset. Successit ei filius Alphonsus IV. cognomento *Ferox*, ob austeros mores. Vxor eius S. Elizabetha Conimbricæ facta Clarissa, marito annis vndecim superuixit, mortua 1336. Iulij 4. Sanctis adscripta nostrâ ætate ab Vrbano VIII. *Mariana lib. 5. cap. 18. & Bulla eius Canonizationis.* Burchardus Archiepiscopus Magdeburgensis captus à suis ciuibus, & datus in carcerem, ab iisdem laruatis noctu cæsus est. Carnifices isti graues pœnas ab eius successore & vicinis Principibus dependerunt, *Krantzius in Vandalicis & Metropolibus.*

Anno Christi MCCCXXVI. Romani ad se euocant Ioannem XXII. & Ludouicum Bauarum, Præfecto sibi Sciarâ Columnâ, *Villanius.* Adueniunt Florentiam Legatus Bertrandus, & Carolus Calabriæ Dux, cui etiam Senenses suæ Ciuitatis dominium in quinquennium tradiderunt. Territi eorum viribus Castrucius Tyrannus Lucæ, & Guido Episcopus Aretinus eos ludificant, quare ambo excommunicati, *Idem Villanius.* Isabella Angliæ Regina cum filio Eduardo, & magnis copiis transit in Angliam mense Septembri, & ab omnibus recepta est, adnitente & multa mentiente Waltero Archiep. Cantuariensi. Hugones Spenserij crudeliter necati, cum aliquot aliis. Rex captus, atque depositus, qui consensit vt eius loco filius Eduardus coronaretur. Tandem cùm diceretur agitare fugæ consilia, immisso in podicem per corneam fistulam candente ferro, nè apparerent notæ supplicij, obiit, vulgari funere sepultus. Quorum omnium artifex fuisse creditus est Rogerius de Mortuo-Mari, cui animum suum & corpus Re-

gina tradiderat, *Villanius*, *Thomas Moor*, *Walsinghamus*; *Polydorus*, *Ioannes Moor*, *Harpsfeldius*, & *alij*. Flandria ciuilibus motibus agitata est, Brugæ potissimùm, vbi Iacobus Peyt immaniter sæuiit in pacis amatores; tandem Bergæ cæsus, & iussu Episcopi Moticensis exhumatus, & combustus, *Meyerus*. In Hannonia Iudæus Imaginem B. Virginis vulnerauit, ex qua prodiit sanguis: apparuit Virgo Fabro ferrario ægrotanti, & Iudæum accusate iussit. Ille sine testibus pugnam admisit, & Iudæum prostrauit, qui suspensus canibus vorandus obiectus est, *Appendix Ioannis à Leydis*, *Trithemius*, & *alij*. Guillelmus Hannoniæ, & Hollandiæ Comes cognomento *Bonus*, Iudici qui vaccam Rustico eripuerat, caput abscindi iussit suo gladio, cùm priùs Rustico hunc facere satis iussisset, eúmque coram omnibus Iudicibus sepeliendum curauit, *Appendix Ioannis de Leydis*, *Hist. Ecclesiæ Traiectensis*. Lithuani pagani cum Polonis pugnantes in Marchionem Brandeburgicum, in eius ditionem attociter sæuierunt, fœminis omnibus constupratis. Sanctimonialis quædam tracta ad stuprum à Lithuano, S. Euphrasiæ factum imitata, caput perdidit, vt virginitatem seruaret, *Michouius*, *Cromerus*. Othomanus I. moritur anno 727. Ægiræ, cùm annis 27. regnasset, cui anno sequenti successit filius Orchanes. Alij hæc reiiciunt in annum 1328. *Chalcondiles in Turcicis*.

Anno Christi MCCCXXVII. Ingreditur in Italiam Ludouicus Bauatus stipatus apostatis, hæreticis, excommunicatis, inter quos eminebat Magister equitum Teutonicorum, sacris fulminibus afflatus, ob non restitutam Polonis Pomerariam; occurrerunt ei Gibellini, & per suos Fridericus Trinacrius; & tum promissa Ludouico centum quinquaginta millia Florenorum aureorum cùm Mediolanum peruenisset, *Villanius*. disceptabant duo fratres Vicecomites, & se se mutuò accusabant, Ludouicus eorum causam discutiendam reiecit Mediolani; vbi magnificè à Galeatio receptus est, & coronatus in æde Ambrosiana, in die Pentecostes, à Guidone Petramala, Episcopo Aretino excommunicato, reiecto à Vicecomitibus Aycardo Archiepiscopo Minorita, quòd adhæreret Pontifici. Hîc tantùm non est veneno potatus Ludouicus parato à Vicomitibus, quos

ille conieçit in carcerem, Furni nomine, constituto in hac vrbe Vicario, *Corius & Ripamontius.* Ea tamen res mouit inuidiam Bauaro, sed longè magis quòd Gibellinis magnas pecunias emunxisset. Pisas pergit, & obsidet, desertus à Guidone Aretino Episcopo : cui cum Castrucio non conueniebat. Is autem Guido ex mœrore obiit, in morte Ioanni reconciliatus. Pisas capit Ludouicus per Castrucium 8. Octobris, & exigit quinquaginta millia Florenorum aureorum à ciuibus; Romámque festinat, ne occuparetur à Roberto Neapolitano, *Villanius.* Enimuero Robertus eam seruare contra Ludouicum conabatur, & in vrbem fratrem suum Ioannem Achaiæ Principem miserat, à quo occupata est Leonica ciuitas : sed recedere is compulsus est cum Legato ; vt etiam Carolus Dux Calabriæ Florentiâ, vbi Cecus Asculanus Astrologus eius combustus est viuus, *Villanius.* Eduardus Iunior exercitum ducit in Scotos, vbi tantùm non est cæsus à Iacobo Douglasio, qui cum ducentis equitibus ad Regem peruasit, Ministros aliquos eius occidit, & ferro sibi reditum & suis omnibus expediit. Ob id pax inita, quam Angli *turpem* vocant, quia Scotia immunis declarata ab Anglorum supremo Dominio, & pendere damnatus Scotis Eduardus tria aureorum millia, *Valsinghamus, Ioannes Maior, Hector Boëthius, & alij.* Iacobus Rex Aragonum obiit 2. Nouembris Barcinone, cui successit Alphonsus IV. domitor Sardiniæ annos natus octo & viginti, *Mariana, Surita.* Ecclipsis Lunæ contigit die Mercurij 2. Sept. sub initium 6836. Græcorum, *Nicephorus Gregoras lib.* 8. *Mortuus creditur hoc anno S. Rochus, ortus ex Dominis Montis-Pessulani, & Cruce rubrâ notatus, de quo Surius* 16. Augusti, *& Baronius* ad Romanum Martyrologium, *non aliter relatus in Sanctorum numerum, quàm eius Imagine delatâ in Supplicatione à Patribus Concilij Constantiensis. Corpus eius Venetiis seruatur & colitur.*

Anno Christi MCCCXXVIII. *Carolus Pulcher moritur in Castro Vicennarum* 1. *Februarij, ætatis* 33. *cùm regnasset annis* 6. *& triginta diebus. Philippus VI. cognomento* Valesius, *seu* Fortunatus, *siue* Catholicus, *ei successit secundum Salicam Legem, excluso Eduardo Anglo, coronatus* 29. *May, annos natus* 36. *qui statim regnum reliquit Ioannæ Nauarrææ*, Continuator

tinuator Nangij, Villanius, & Historiæ Gallicæ Scriptores. *Statim Flandris bellum indixit, qui Comitem suum carceri mancipauerant, & cum 12. millibus equitum, & magna peditum multitudine Flandriam est ingressus. Rebelles ei occurrerunt, & dicto prælij die, anticiparunt pugnam, quâ victi viginti suorum millia perdiderunt 22. Augusti: Casselum æquatum solo; Rex gratias egit Deo, & armatus ingressus S. Ædem B.Virg. Parisinæ, vbi adhuc eius imago equestris prostat*, Nangij Continuator, & alij. *Petrus Remius Quæstor Regis Caroli suspensus est in publica furca, quam ædificauerat ad Montem-Falconem, in qua primus omnium, Perilleo supplicio à tortore strangulatus est*, Nangij Continuator. Ludouicus Bauarus Romam ingreditur, vbi & coronatur, adnitente Sciarâ Columnâ vrbis Senatore, vnde hactenus Columnenses in Stemmate Coronam superpositam Columnæ ferunt, propudioso sanè honore, *Spondanus*. Inde Ludouicus inops pecunias ab omnibus exigit, vnde in suorum odium incurrit. Deponit Ioannem Pontificem: constituit Leges de futuris Pontificibus, & tandem Ioanni substituit Fratrem Raynalutium de Corbaria Diœcesis Reatinæ, Minoritam excommunicatum, qui sibi nomen Nicolai V. imposuit. Is statim 7. Pseudo-Cardinales elegit omnes eiusdem furfuris homines, Ecclesiæ rebelles, & Ioannem condemnauit, *Villanius, Ciacconius, & alij.* Tunc autem Iacobus Columna publicè legit Romæ sententiam Ioannis XXII. in Ludouicum, eámque affixit, mox fugit citatis equis Præneste. Quare posteà à Ioanne ante ætatem creatus Lombariensis Episcopus, quem comitatus est Petrarcha, qui ab eo factus est eius Ecclesiæ Canonicus, *Villanius & Petrarcha*. Bauarus in Robertum mouet, frustrà; & Romam deserit. Ipse posteà desertus est à suis Germanis, deficientibus stipendiis. Eius auxilio venit Petrus filius Friderici Trinacrij, sed tardiùs, cuius classis paulò pòst naufragio periit, *Rebdorffius, Platina, Auentinus, Fazellus & alij.* Periit tum Marsilius Patauinus præcipuus incentor huius Schismatis: item & Passarinus occisus à Gonzaga ciue Mantuano, qui eius Principatum occupauit, quæ attributa sunt precibus quas Ioannes fundendas curauit, *Villanius.* Michaël de Cesena fugit Auenione, fugit & Ochamus ad Bauarum; hic pollicitus cala-

mum Bauaro, si eius gladio defenderetur. Hi & alij exleges Minoritæ tam atrocia in Ioannem moliti sunt, vt de extinguendo Ordine Sancti Francisci Papa cogitaret, & id tantùm concessit precibus Magnorum virorum & Magnatum, qui pro tanto Ordine rogauerunt, *Villanius, Antoninus, Wadingus, & alij.* Pertinet ad hæc tempora Philippus de Maioricis, Franciscanus ortu nobilis, vtpote filius Regis Maioricæ, & consobrinus Regis Franciæ, sed peregrino spiritu ductus, qui Ordinem Sancti Francisci reformare voluit, ac demùm ad Beguinos transiit, *Continuator Nangij, Wadingus.* Neapoli obiit Carolus Dux Calabriæ, filius Roberti, quem impensè luxit pater, eúmque Coronam capitis sui lapsam appellauit, Princeps Iustissimus, cuius iustitiæ exemplum hoc anno commemorat *Spondanus* ex *Villanio & Summontio.* Celebratæ hoc anno Synodi duæ, vna Londini, ab Archiepiscopo Cantuariensi, altera Moguntiæ à Matthia Archiepiscopo quondam Benedictino, viro eximiæ castimoniæ, *Trithemius & Serarius.* Cùm anteà nulli in Castellæ regno Comites essent, Alphonsus perfunctus fœliciter terrâ marîque bello Maurico, Osorium amicorum præcipuum, Hispali creauit Trastamaræ, Lemoscij, & Sarriæ Comitem, rudibus ceremoniis, & quæ antiqua sæcula saperent. Sed eum Rex eiicere coactus est; itaque ex dolore rebellauit in Regem, ideóque à Gusmano obtruncatus: Rex eius thesauros vsurpauit; vnde fuit huic Alphonso *Vindicis* nomen, *Rodericus Sanctius, Mariana.* Iunior Andronicus Auum Andronicum spoliat, mense Maio, Indictione vndecimâ, occupatâ Constantinopoli. Bonus iste senex paulò pòst oculos amisit, clausus Palatio, illusus à suis custodibus, *Nicephorus Gregoras, & Ioannes Cantacuzenus.*

Anno Christi MCCCXXIX. Orchanes Turcarum Princeps Nicæam obsidet: cui dum fert suppetias Andronicus Iunior vulneratus est. Sic reddita Nicæa, & mox Nicomedia, aliæque vrbes, *Nicephorus Gregoras, Chalcondyles, Phrantzes, Leonclauius, & alij.* Sanatus autem fuit Andronicus ex eo vulnere ope Sancti Demetrij; & mox exhaustu & suffusione fontis B. Virginis, *Gregoras & Cantacuzenus.* Petrus de Corbaria venit Pisam, vbi excommuni-

cat Ioannem XXII. Robertum, Florentinos, & alios Pontificis fautores. Cremasse etiam dicitur eius imaginem stramineam, priùs degradatam, quando tanta tempestas incubuit, vt per vim interesse huic spectaculo Pisani cogerentur. Quos dum compellit Mareschalus Bauari, serò se aquâ viuâ reficere, & confouere cupiens combustus est viuus, *Villanius*, *Magnum Belgij Chronicon*. Bauarus relicto Pisis suo Pseudopontifice, expilatis Pisanis, & Lucensibus pergit in Longobardiam, exclusus Mediolano & Modoëtiâ ab Azone Matthæi Vicecomitis filio paternatum iniuriarum vltore, vtramque obsidet frustrà: sic ab omnibus contemptus cum sui Pontificis larua. Multi sunt reconciliati Ioanni, redit Bauarus in Germaniam suam specie colloquij, & quòd Fridericum Austrium obiisse audiuisset, *Villanius*, *Corius*, *&* *alij*. Mortuus est enim tum Fridericus, aut sub initium anni sequentis, veneno vti creditur, potatus, aut poculo amatorio, quia ex eius corpore vermes seu pediculi eruperunt copiosè. Eius vxor Isabella Regis Aragonum soror, ex nimio fletu in viri casibus oculos amisit, *Continuator Steronis*, *Chronicon Aulæ Regiæ*, *Cuspinianus*, *Onuphrius*, *Surita*. Obiit & hoc anno Canis Scaliger Veronæ tyrannus, dictus Mastinus, cui successit nepos, de quibus nominibus vide *Schoppium*. Item excessit Mareus Vicecomes, qui inter omnes maxime in Italiam Bauarum excierat, à fratribus, & nepote Azone suffocatus Mediolani, quòd nouas res moliti videretur, priùs tamen Florentiæ eiurato Schismate, *Villanius*, *Corius*. Damnantur à Pontifice Michaël de Cesena, Petrus de Corbaria, Bona-gratia, Ochamus, Franciscus de Esculo Minoritæ. Parisiis acto Capitulo concordia huic Ordini reddita est, *Sanctus Antoninus*, *Vadingus*. Immò Petrus de Corbaria Pseudopontifex Ioanni se submisit, deserturiam pænè ab omnibus, & Pisis absolutus per Legatum Sanctæ Sedis, *Litteræ Pontificiæ & Villanius*. Obiit Robertus Rex Scotorum mense Nouembri ex lepra, quæ eum sub vitæ finem infecit. Successit ei Dauid filius octennis sub cura Thomæ Ranulphi. Cor Regis delatum Hierosolymam, vti iusserat, selectúsque ad id munus Iacobus Douglassius, qui in itu vel reditu occidit in prælio contra Mau

ros in Hiſpania, *Ioannes Maior, Hector Boëthius, Buchananus, Froſſardus. Petrus de Cuneriis, Aduocatus Regius contra Iudices Eccleſiaſticos inſurgit, cui fortiter obſiſtunt Petrus Bertrandi Epiſcopus Auguſtodunenſis, & Petrus Royerij electus Archiepiſcopus Senonenſis, poſteà Clemens VI. Rex edidit dignam Rege Chriſtianiſſimo ſententiam: Petri de Cuneriis Statua deinceps cereorum & funalium fumo deformata in æde B. Virginis Pariſinæ; Rex item ob ſuam ſententiam* Catholicus, Felix, & optimus Chriſticola *nominatus eſt*, Guaguinus, Paulus Æmilius, Belleforeſtius, & alij. *Eduardus etiam repugnante Iſabellâ matre tranſit in Gallias, & ſubmittit ſe Regi ob Aquitaniam, & Comitatum Pontiui, Ambiani, vbi magnificè ſuſceptus*, Valſinghamus, Continuator Nangij, Froſſardus, Belleforeſtius, & alij. Ioannes Bohemiæ Rex euocatus à Cruciferis Poloniam depopulatur, & inter cæteras vrbem Wladiſlaniam vaſtat, *Cromerus, Michouius, Dubrauius.* Sed anno ſequenti Wladiſlaus Cruciferis repoſuit vicem. Aſtronomi, Hiſpani, Arabes, & Iudæi multa hoc anno polliciti erant, multa oſtenta in cælo, & in terris, quæ euanuerunt: nunquam enim annus lætior, & felicior extitit, *Auctor Chronici Aulæ Regiæ.*

Anno Chriſti MCCCXXX. Guillelmus Comes Hannoniæ Bauari ſocer, cum ſeptingentis armatis equitibus obſtrictus voto in Mauros Granatenſes proficiſcitur. Sed ab eo ſibi metuens Ioannes ad ſe Nobilitatem Prouinciæ euocat, armátque familiam ſuam, immò & eum abſoluit à voto, & remittit in patriam, *Villanius. Philippus Franciæ Rex Corpus inuiſit S. Ludouici Tholoſani Epiſcopi Maſſiliæ, & Ioannem Pontificem Auenioni, à quo Decimas accepit ad Bellum ſacrum*, Villanius & Nangij Continuator. Ludouicus fingit reconciliationem cum Ioanne, & doloſas ei conditiones offert, *Litteræ Ioannis Papæ.* Petrus de Corbario ducitur Auenionem, eóque peruenit 3. Auguſti; & 23. eiuſdem menſis, reſte è collo ſuſpenſâ, accedit ad Pontificis pedes, canítque palinodiam, errores omnes ſuos, & crimina ex ſcripto confeſſus. Hunc amplexatus eſt Pontifex, & abſoluit: retinuit tamen in ſuo Palatio, cum libris & ſociis, ne turbis & tumultibus cauſam daret; vbi tribus annis & menſe vno vixit, *Villanius, Litteræ Pontificiæ Gac-*

lanius, & alij. Excusauit se Pontifex quòd *in Litteris ad Ioannem Bohæmum* loquens de inauguratione Bauari per Corbarium, vsus esset nomine *consecrationis*, pro *execrationis*. Carolus Rex Hungariæ cum vxore & liberis tantùm non est cæsus in suburbio Wissegradi, à quodam Feliciano viro nobili, qui tum cæsus, eiúsque familia variis suppliciis sublata, *Thurosius in Chronico cap. 90. & Bonfinius.* Idem Rex Carolus suscepit bellum iniustum in Bazardum Waiuodam Transsyluaniæ, ad omnia iusta se dimittentem. Sed victus & turpiter rediens, pænè totum amisit exercitum, & ægrè mutatâ veste se subduxit, *iidem Scriptores.* Alfonsus Rex Castellæ vincit Mauros, soluere conatos obsidionem oppidi Thebæ, quod & cepit etiam desertus à Lusitanis & Aragoniis, *Villanius, Mariana.* Londinensis Episcopus agit de restituendo Eduardo Seniore, quem asserebat viuere Dominicanus Concionator, id doctus à Dæmone. Ob hanc causam Edmundus frater Eduardi Senioris caput perdidit publicè, curante Rogerio de Mortuo-Mari cum sua Isabella. Sed Rogerius posteà de variis criminibus conuictus suspensus est in furca prope caput Spenserij, Reginâ in ordinem redactâ cum pensione tantùm mille librarum annua tim, *Valsinghamus, Villanius, Nangij Continuator.* Ioannes Rex Bohæmus dum minùs cogitat magnos progressus facit, & Brixia, Bergomo, aliísque Longobardiæ locis potitur, magnificentiam muneribus cultus ab Azone Mediolanensi, *Villanius, & alij.* Ecclipsis Solis contigit die Lunæ 16. Iunij, & Lunæ die Mercurij 16. Decembris.

Anno Christi MCCCXXXI. renouat Ioannes excommunicationem aduersus Minoritas, Michaëlem de Cesena, Orchamum, Bonagratiam conuersum, & Henricum Thalheim (aliis Chassem) diu Ludouici Cancellarium, *Litteræ Pontificiæ*, quæ receptæ sunt in Capitulo Perpinianensi hoc anno celebrato vbi & probata sunt quæ facta erant in Capitulo Parisiensi, contra quæ Apostatæ isti multa crudeliter egerant in fratres suos. *Bzouius & Wadingus* Multæ ciuitates se Ioanni Bohemo dedere pergunt Cremona, Cremona, Papia, Vercella, Nouaria, Parma, Mutina, Rhegium, immo & Luca, cuius obsidionem a Florentinis soluit, cùm ei Carolus filius annorum 16. auxilio ve-

nisset ex Germania, quem pænè Azo veneno sustulit. Exinde tamen iuncti sunt societate Principes Italiæ cum Ludouico, & Florentinis contra Ioannem Bohemum: contra quem & excitati sunt Bauarus, Polonus, & Austrius. Sic ipse redire in suam Bohemiam compulsus est, relicto in Italia Carolo filio. *Tum autem vel paulò pòst affinitatem cum Philippo Francorum Rege contraxit data filiâ suâ Bannâ seu Iudithâ Philippi primogenito Ioanni, qui prius Blancham eiusdem Ioannis sororem duxerat*, Villanius, Leonardus, Blondus, Corius & alij. Cruciferi hoc anno a Polonis attriti, quibus creuerant animi ex rebellione Vincentij Posnaniæ Palatini, qui à Wladislao Rege retractus, in Cruciferos conuersus, cum longè minoribus copiis eis 40. vel vt volunt alij 20. hominum millia conscidit, 500. tantum aut vt volunt alij etiam 40. tantùm ex Polonis desideratis auxilio S. Stanislai Martyris, *Cromerus*, *Michouius*. *Philippus Rex Franciæ arma offert sua Regi Aragoniæ contra Mauros, à quo reiicitur, etiam minante se propulsaturum armis, qui se inuito bella sua gerere vellent*, Surita. *Cogitauit & de expeditione in Orientem, ideoque decimas petiit, & multa à Pontifice, quæ ab eo reiecta sunt, & Cardinalibus*, Villanius. *Robertus Atrebatensis Comes Bellomontanus Rogerij damnatur à Senatu Parisiensi, & lis adiudicata est Mathildi, cum ille tabulas adulteratas protulisset, aptatas à nobili fœmina Bethuniensi, quæ & fatidica credebatur, & igne cremata fuit. Iratus ille minatur se qui Valesium euexisset, depressurum, quod & ferè præstitit multorum malorum Franciæ author*, Continuator Nangij, Hocsemius de Episcopis Leodiensibus, Paulus Æmilius & alij. Eduardus Balliolus degens in Normannia, à Tuina quodam Scoto excitatus in Angliam venit, vbi collectis & ducibus & copiis in Scotiam appellit mense Augusto: bis fractis Scotis, Rex Scotiæ inungitur; fugit Daniel in Galliam, *Walsinghamus*, *Polydorus*, *Hector Boethius & alij*. Ioannes Patriarcha Constantinopolitanus à thoro ad thronum contra consuetudinem artibus Cantacuzeni Magni Domestici euehitur, *Nicephorus Gregoras*, *Cantacuzenus*. Ecclypsis Solis contigit hoc anno die Sabbathi 30. Nouembris. Item & Lunæ die Dominicâ 15. Decembris.

Anno Christi MCCCXXXII. *Robertus Atrebatensis*

recedit in Angliam furoris plenus in Regem, & Galliam, Continuator Nangij, & alij. Italici Principes vires coniungunt aduersùs Ioannem Bohæmum, & vrbes ipsi deditas inter se partiuntur; Azoni Cremona, Scaligero Parma, Gonzagæ Rhegium, Estensi Mutina, Florentinis Luca. Sed primo conflictu vincuntur ad Sanctum Felicem Diœcesis Mutenensis; Azo tamen Ticinum seu Papiam occupat, *Carolus in vita sua, Villanius, Leonardus, Corius, Dubrauius, & alij.* Pro Ludouico Bauaro intercedit Ioannes Bohæmiæ Rex, & Auenionem adit Pontificem; misit & ad hunc Legatos Ludouicus, sicut & Otho, & Albertus Duces Austriæ, sed nihil impetrant, quòd Bauarus nondum satis demissus videretur, *Litteræ Ioannis.* In Castella inuenta est Militia *Banda* nomine, ad quam admittebantur tantùm Ingenui, & in Castris, Palatióve decem annos minimùm versati, maioribus nobilium filiis exclusis. Hic Ordo deinceps omnino periit, *Mariana.* Andronicus senior cæcus subitò mortuus est 12. Februarij, cùm imperasset annis 50. ex esu conchyliorum, & potu aquæ frigidæ, complexus Virginis imaginem, eámque in os inferens, cùm communionem percipere non posset, *Nicephorus Gregoras, & Cantacuzenus.* Imperare cœpit solus Andronicus Palæologus; cui natus est filius Ioannes 18. Iunij. Andronicus Bulgaros inuadens ab eorum Principe Alexandro victus est; & captus esset, nisi hic illius misertus esset, *Nicephorus Gregoras, & Cantacuzenus*, sed hic non satis verè. Turcæ oram Constantinopolitanam incursant cum ducentarum octoginta nauium classe, quæ quadraginta armatorum millia vehebat, & capta esset Constantinopolis, nisi auxiliares adfuissent Veneti, atque Genuenses. Vastarunt tamen hi Turcæ plerasque Insulas Maris Ægei, abductis Græcorum decem millibus, & Eubœâ sibi redditâ vectigali. Andronicus tamen cum iisdem Turcis fœdus iniit, & ab iis copias accepit aduersùs Genuenses, vt hos Phocea, & Mitylene depelleret, *Joannes Cantacuzenus, & Nicephorus Gregoras.* Huc pertinent initia Barlahami, qui egregiè Latinam Ecclesiam defendit aduersùs Gregoram & Græcos, *Gregoras.*

Anno Christi MCCCXXXIII. Ecclipsis Solis con-

tigit die Veneris 14. Martij. Ioannes Pontifex propendet in sententiam, quam aliqui Patres Græci, Latinique tenuerant de animabus non fruituris gloriâ cælesti nisi post resurrectionem mortuorum, quam & publicè exposuit Auenione coram Cardinalibus. Sed ei à plerisque repugnatum est, maximè Parisiis, vbi Minoritarum Generalis secutus sententiam Ioannis, sententiam suam publicè retractare coactus est. *Admonitus est & à Rege Franciæ Ioannes, qui & ei incendium minatus esse dicitur* (qu'il le feroit ardre) Quare eam opinionem diligentiùs excuti iussit. Vtrùm autem in ea opinione mortuus sit non liquet. Certum autem *ex eius successoris litteris* eum reuocasse si contra fidem aliquid in hac parte proposuisset, quod etiam fatetur eius inimicus *Ochamus: Continuator Nangij, Belleforestius, & alij.* Imposuit autem ei *Caluinus*, & gnauiter mentitus est, cùm asseruit Ioannem existimasse animas esse mortales, vnàque cum corporibus vsque ad resurrectionem interire, & neminem Cardinalium huic repugnasse, *lib. 4. Institutionum.* Ioannes Bohæmus cum filio suo Carolo reliquit Italiam, opem laturus amico suo Guidoni Delphino aduersùs Amedæum Sabaudiæ Comitem. Sed dum eò pergunt, obiit Delphinus ex vulnere in oppugnatione cuiusdam oppidi, quod in somnis Carolus vidit, *Carolus in vita sua, Æneas Syluius.* Bertrandus Legatus auunculi sui Ioannis victus est à fœderatis, *Carolus in vita sua, Villanius, Corius, & alij.* Robertus Rex Neapolitanus Ioannam filiam Ioannis Ducis Calabriæ filij sui dat vxorem Andreæ seu Andreasso secundo genito Caroberti, vt conscientiæ suæ faceret satis. Facta autem sponsalia 26. Sept. inter Andream septennem & Ioannam quinquennem: impeditus Robertus Rex ne fieret Minorita, vt teneræ sponsorum ætati prouideret, precibus suorum procerum; creauit autem Andream Ducem Calabriæ, *Turosus cap. 97. Bonfinius, Villanius, & alij.* Inundatio horribilis in Etruria & Romandiola contigit, quâ afflictæ Pisæ, Senæ, sed in primis Florentia, cuius defecti ex vtraque parte muri; multæ domus euersæ, hausti plurimi, *Villanius lib. 11. capp. 1. 2. 3.* Quam cladem diuinitus accidisse probabiliter, innuit ex reuelatione Monachi Vallumbrosiani. Hoc anno Heraclea hodie *Gilbraltar*

tar ad montem Calpum in Hiſpania obſeſſa à Mauris, eiſdem reddita ab ignauo Præfecto, qui Regem Alphonſum in componendis Vlterioris Caſtellæ motibus occupatum facilè poterat expectare: tot abducti captiui, vt ſinguli venirent tantùm aureo nummo. Alphonſus properans ad vrbem recuperandam antequàm muniretur, re infectâ abire compulſus eſt, ob ciborum inopiam, hoſtémque pugnare detrectantem, *Mariana*, *Villanius*. Idem Alphonſus cum Rege Granatæ inducias facere coactus eſt, vt cum Marochiano fecerat. Quòd autem Rex Granatæ eidem menſæ cum Alphonſo accubuiſſet, in ſignum amicitiæ, à ſuis quaſi tali conuictu pollutus interfectus eſt, & frater eius Ioſephus Bulhagixus ei ſubſtitutus, cum quo pariter Alphonſus fecit inducias, *idem Mariana*. Catalani & Genuenſes atrociter de imperio maris diſceptant, ſeſéque mutuis cladibus atterunt, ſícque expeditionem in Orientem retardant, *Vtriuſque Gentis Scriptores. Philippus enim Franciæ Rex eam hoc anno ſuſcipit, cum Ioanne Bohæmiæ, & Philippo Nauarræ Regibus, multíſque Epiſcopis, Principibus & Proceribus, qui vltimâ die Septembris Crucem ſuſcepere de manu Rogerij tum Archiepiſcopi Rothomagenſis, & poſteà fuit Clemens VI. tum Legatus Pontificis*, Matthæus, Villanius, Froſſardus, & alij. Eduardus Angliæ Rex auditis turbis Scoticis Baruicum obſidet, cui ſuccurrere dum conantur Scoti 19. Iulij cladem ingentem acceperunt; de mortuorum numero diſcrepant *Valſinghamus*, *Villanius*, *Boethius*. Memorabile in ea obſidione factum Alexandri Setonij, qui inſtigante coniuge maluit filios duos vnum datum obſidem, alterum bello captum videre ſuſpenſos, quàm vrbem ante diem condictam reddere, *Hector Boethius*. Obiit 10. Martij Wladiſlaus Lokticus Poloniæ Rex, cùm annis 13. à Coronatione vixiſſet; cui ſucceſſit 25. Aprilis Coronatus Caſimirus. Heduigis eius mater exorata à filio, paſſa eſt eius coniugem Annam coronari, ipſa facta eſt Sanctimonialis ſancti Franciſci Sandeciæ, vbi piè vixit, & obiit, *Cromerus*, *Michouius*. Mortuus eſt & hoc anno Iancelinus decimus Prior Generalis Carthuſianorum, qui cùm videret quemdam ex ſuis Monachis mortuum multa patrare miracula, quibus ſuorum pietas turbabatur, ei

ſanctè iniunxit ne miracula deinceps patraret, quod & ſtatim factum eſt, *Chronicon Carthuſianorum.* Denique & obiit Io. de Monte Coruino Archiepiſcopus Cambalienſis in Tartaria, Minorita, per quem conuerſi ad Chriſtum feruntur pluſquàm 30. millia Sarracenorum, *Appendix Wadingi.*

Anno Chriſti MCCCXXXIV. Fœderati Principes Itali, atque Ciuitates feliciter hoc anno pugnant, *Villanius.* Scoti rebellant in Baliolum, quòd ſe Anglo ſubmiſiſſet; Angli itaque redierunt in Scotiam, eámque vaſtarunt, *Walſinghamus, Polydorus.* Miſſæ ſunt Chriſtianæ triremes in Orientem, quas armarant Pontifex, Francus, & Veneti vt Turcos à Græcia ſubmouerent: hos nactæ ad Conſtantinopolim magnâ affecerunt clade, quinque eorum cæſis millibus, ducentis nauibus depreſſis aut incenſis: inde ora maritima iiſdem Turcis ſubdita deſolata, multis in ſeruitutem abductis, *Villanius.* Ioannes Pontifex pridie quàm moreretur 3. Decembris Conſtitutionem edidit Catholicam de animabus à corpore ſeparatis, & vt iam ſentit Eccleſia, reuocauítque quæ antè de ea quæſtione dixerat aut ſcripſerat, *Villanius, Wadingus, & alij.* Sequenti die 4. Decembris obiit ex profluuio ventris Auenione, nonagenario maior cùm ſediſſet annis duodeuiginti 3. menſibus & diebus octo ac viginti; totum corpus eius ſtatim reſolutum eſt, fortè ex ſenio, aut etiam ſortilegio, cùm necromantas paulò pòſt ſucceſſor eius comburi iuſſerit, qui perniciem Imaginibus cereis admotis ad ignem ei creauerant, *Villanius, Litteræ Benedicti XII.* Reliquit ingentem theſaurum, hoc eſt 18. millionum florenorum auri, & 7. millionum in gemmis, & vaſis Eccleſiaſticis, inquit *Villanius; alij tamen hanc ſummam meritò imminuunt apud Spondanum*, quæ parabat ad ſubſidium Terræ Sanctæ, ipſe in viuendi genere modeſtus ac parcus, *Villanius.* Eius inuenrum eſt tribunal 12. Auditorum Rotæ, *Polydorus, & Ciacconius.* Amauit viros doctos inret cæteros Auguſtinum Triumphum Eremitam Sancti Auguſtini; Franciſcus Petrarcha acuit in eum calamum, vt placere omnibus nemo vnus poteſt. Vtrùm autem, & quid ſcripſerit de Ordine Sancti Benedicti magníſque viris, *vide Spondanum, & alios*

antiquiores. Cùm Cardinales in ſucceſſore Ioannis eligendo diſceptarent, & hanc dignitatem reieciſſet Ioannes Raimundi frater Comitis Conuenarum Cardinalis Portuenſis, quòd ei conditio apponeretur ſe Romam non iturum, tandem electus eſt Iacobus Fornerius ſeu de Furno Ordinis Ciſtercienſis, ideò dictus *Cardinalis Albus*, omnium Cardinalium infimus (adeò vt diceret Electoribus eos *Aſinum elegiſſe.*) Patria Sauerdanenſis fuit, filius Molitoris. Creatus eſt Pontifex 20. Decembris, coronatus 1. Ianuarij, non die Dominicâ, vt quidam volunt, dictus Benedictus X I I. Statim autem de theſauro Ioannis multa Cardinalibus, & ad reſtaurandas Romæ Baſilicas multa effudit, *Villanius, Nauclerus, & alij.* Æſtus hoc anno magnus fuit Auenione, & magna imbrium inopia, hominum corporibus inſtar ſquammarum horrentibus, *Franciſcus Petrarcha.* Floruit hoc tempore Venturinus Dominicanus, qui innumerabilem hominum ſe loris cædentium multitudinem Romam deduxit, & Auenionem, quos ſuis concionibus excitarat, iuſſus tamen à Benedicto hæc omittere, *Villanius.* De eo multa alia *Leander, & ex eo Bzouius.* Multi apud Tartaros Martyrium paſſi, inter cæteros Stephanus de Hungaria Minorita, qui factus Saracenus, crimen ſuum ſanguine eluit in vrbe Saray, *Wadingus.*

Anno Chriſti M C C C X X X V. Vtrùm Benedictus primò ſuauiter egerit cum Bauaro, an eum ſtatim ab obitu Ioannis excommunicarit, variant Scriptores ex affectu: hoc enim *Blondus, Platina, Sabellicus, Krantzius, Continuator Bernardi Guidonis;* illud *Allectus Argentinenſis, Nauclerus, & alij.* Certè Fridericum Trinacriæ Regem ſtatim excommunicauit, *Surita, Fazellus.* Cæterùm in Beneficiis conferendis accuratus fuit Benedictus, *Ordradus Iuriſconſultus.* Bonos dilexit, malos odio proſecutus eſt, *Platina.* Aſſerebat Papam conſanguineos non habere, ſubinde id Dauidis inculcans, *Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero, Allectus Argentinenſis.* Neptem ſuam non Proceribus petentibus, ſed mercatori Toloſano dedit, *qui ſe hunc vidiſſe ait, Bernardi Guidonis Continuator.* Idem Pontifex Italiæ multis in rebus prouidit: Baſilicam Sancti Petri in Vaticano pænè collapſam 50. millium aureorum ſummâ

reparauit, *Blondus, Platina*, &c. Principes Italiæ dominatum suum extendunt; Scaligeri Lucam retinent, quam Florentinis restituere debuerant, *Villanius*. Roberti classis multa Siciliæ damna intulit, *idem Villanius*. Pars montis Falteronis in Tuscia terræ motu diuulsa concidit in villam 4. millibus dissitam, eámque cum omnibus hominibus, bestiis, & arboribus penitus obruit; túmque copiosa aqua effusa plena serpentibus, inter quos duo 4. pedum, instar canum, *Villanius cap. 26.* Poloniam locustæ sic infestarunt, vt volantes Solem eriperent, equorum vngulas humi stratæ superarent, *Michouius, Cromerus*. Eædem in Hungariam translatæ omnia depastæ sunt, *Thurosius, Bonfinius*. Eas locustas accuratiùs describit *Carolus Joannis Bohemiæ Regis filius in vita sua*, aítque earum exercitum in longitudinem habuisse 7. milliaria Germanica; latitudinem explorari nequiuisse. Lis inter Polonos & Cruciferos, quæ tam copioso sanguine steterat, agitari cœpta, & multis iudiciis ægrè terminata, *Michouius, Cromerus, Carolus in vita sua*. Græci cum Latinis disputare refugiunt, hísque opponunt *Nicephorum Gregoram* laïcum; sed eloquentiorem quàm doctiorem: *hic disceptationem istam descripsit lib. 10.* Episcopus Lincolniensis in Flandria populos excitauit aduersùs Gallos, & partibus adiunxit Eduardi; *Francici Scriptores*.

Anno Christi MCCCXXXVI. Benedictus controuersiam terminat de felicitate animarum; 29. Ianuarij editâ Constitutione, *Villanius, Rebdorffius*, & habetur *in Bullario*. Legati Ludouici Bauari reconciliationem cum Pontifice curant; alíique & alij identidem mittuntur; sed nihil actum, cùm *Ludouicus cum Anglo & Flandris aduersùs Regem Franciæ pararet bellum, sicque turbaret sacram expeditionem*; & Reges Bohemiæ, Poloniæ, & Hungariæ de alio Imperatore in eius locum substituendo cogitarent, *Allectus Argentinensis, & Villanius. Cœptum ergo hoc anno bellum atrox inter Philippum, & Eduardum, præcipuo incentore Roberto Atrebatensi, quem Comitatu Richemondiæ donauit Eduardus: nec defuere vtrique inferendi belli causæ, vel prætextus, qui enumerantur à* Walsinghamo, Nangij Continuatore, & aliis. Sic expeditio Orientalis concidit; nihil relictum Christia-

nis in Syria, præter Cyprum. *Quare Decimas ad Sacrum bellum concessas reuocauit Benedictus, quas cùm enixè ab eo repeteret Philippus, negauit ille, se id saluâ conscientiâ præstare posse; si duas animas haberet, paratum se vnam pro Rege ponere; cùm vnam haberet, velle reseruare sibi,* Vita Benedicti edita à Bosqueto. *Philippus ergo relinquens expeditionem Syriacam, Auenione grauiter increpatus est à Monacho quodam Italo de Antiochia, eique mala, quæ postea contigerunt, denunciata,* Matthæus Villanius lib. 7. cap. 3. Bellum hoc anno gestum inter Venetos, & Scaligeros tum valdè diuites, & vni Regi Franciæ diuitiis cedentes, quod magno eorum damno, illorum magno profectu & gloriâ intra triennium terminatum est, *Ioannes Villanius, Carolus in vita sua, Corius, Blondus, Iustinianus,* &c. Obiit Alphonsus Rex Aragoniæ, dictus *Benignus*, 4. Ianuarij, cùm regnasset ab obitu patris annis 8. & ferè tribus mensibus. Successit ei Petrus, dictus *Cæremoniosus*, meliùs *Criminosus*, & *sæuus*; ita *Hieronymus Blancus.* Mortua quoque Sancta Elizabetha Regina Portugalliæ, 4. Iulij: & B. Mauritius Dominicanus, mense Martio, miraculis clarus, *Chronicon huius Ordinis.* Sultanus Babylonius commisit S. Sepulchrum Hierosolymitanum Minoritis, Pontifice assentiente, *Nauclerus.*

Anno Christi MCCCXXXVII. Cometæ duo apparuere; 1. initio Iunij, ferè in Tauro per quatuor menses post occasum Solis apparens, & paulatim versùs Meridiem progrediens, vbi & desiit; 2. eo nondum extincto apparuit in Cancro, & duobus mensibus durauit, *Villanius: Nicephorus Gregoras* accuratiùs primum descripsit, & *Continuator Nangij.* Ecclipsis Solis contigit die Martis 2. Martij, *Continuator Nangij.* Obiit Fridericus Rex Siciliæ 24. Iunij, annos natus 65. cùm regnasset 42. Successit ei Petrus eius primogenitus, quem fuisse quasi mente captum scribit *Villanius*, ideóque excitatos à Proceribus tumultus: sed de hac imbecillitate mentis *Fazellus* tacet. Eleonora Friderici coniux facta est Clarissa, & piè obiit. Rex Robertus occasione vsus misit classem in Siciliam, quæ re infectâ rediit, *Villanius.* Bononienses sibi præficiunt Dominum Thadæum Pepulum, ideò & ob iniuriam factam Bertrando Legato excommunicati sunt, & eorum ciuitas interdicto subie-

cta, *Villanius*. Nankerus Episcopus Wratislauiensis Ioannem Bohæmum præsentem excommunicat, castrum aliquod Ecclesiæ retinentem; & vrbem Wratislauiam atque Diœcesim subiicit interdicto sibi repugnantes, ideò eiectus est, bonáque eius expilata, *Michouius*. *Bellum inter Francos & Anglos inchoatur à populationibus: hi enim Xantonas, illi Vasconiam desolarunt*, Gallici & Anglici Scriptores. *Ludouicus Bauarus, & multi Principes Belgij Coloniæ in Philippum coniurant; solus in fide mansit Flandriæ Comes; subditi eius à Principe suo, Regéque Franco deficiunt, curante Philippo Arteuellâ Ceruisiæ Coctore, viro popularis eloquentiæ, quem Anglus pecuniâ corruperat*, Villanius, Paulus Æmilius, Froissatdus, & alij. *Rex autem vterque per fas & nefas pecunias ad hoc bellum exquirit auarè*, sed Eduardus etiam sacrilegè Monachis ipsis spoliatis, *Walsinghamus*. Genuenses Venetos in mari Ionio vincunt, & eorum 13. naues ferè omnes capiunt: non sunt tamen ausi Veneti eis indicere bellum, quia à Scaligeris inuadebantur, *Villanius, & Foglieta*. Pugnant inter se mense Februario prope Mediolanum Vicecomites Luchinus, & Ludrosius, huius milites visus est in equo S. Ambrosius flagello cædere, quare huic in eodem loco erecta est Ecclesia dicta *de Victoria*, ita *Corius*. Die 3. Decembris celebratum à Benedicto in Monasterio S. Rufi Ordinis Sancti Augustini Concilium trium Prouinciarum, Arelatensis, Ebredunensis, Aquensis, de disciplina Ecclesiastica, *Concilia*. Viuebant hoc tempore multi viri docti, Ludouicus Saxo ex Dominicano post 30. annos factus Argentinæ Carthusianus: Simon de Cassia in Hernicis Eremita Augustinianus: Petrus Aureolus Minorita: Guido Carmelitanus Generalis, *Trithemius, Bellarminus, Labbeus*. Circa hæc tempora contigit Disputatio Balahami & Palamæ Monachi montis Atho, & posteà Episcopi Thessalonicensis de lumine Christi in monte Thabor. Dicebant Monachi huius Montis, dicti *Hisychastæ* seu *Quiescentes*, lumen hoc increatum esse, negabat Balahamus, quia visum est oculis corporeis; multa scripta vltrò citróque edita; *Nicephorus Gregoras* stetit à Balahamo, vt *Ioannes Cantacuzenus* à Palama; vide & in hunc notas Pontani.

Anno Christi MCCCXXXVIII. Germani Antisti-

tes agunt apud Pontificem pro Ludouico Bauaro, ſed hic eorum erga ſe ſtudium eluſit: immò & Conſtitutionem edidit in Francofordienſi Conuentu de Electione Regis Romanorum, cui & plerique Electores, & Principes Germani ſubſcripſerunt, *Argentinenſis, Rebdorffius, & alij.* vnde magnæ ſunt in Germania turbæ concitatæ, quibuſdam Pontifici, quibuſdam Ludouico adhærentibus. Inter illos enituit virtus Bertoldi Argentinenſis Epiſcopi ex ordine Teutonicorum, qui non niſi coactus agnouit Bauarum, *Allectus Argentinenſis, Krantzius, Nauclerus, Auentinus, & alij.* Eduardus appellit Antuerpiam cum claſſe trecentarum nauium, & magnis equitum, ac ſagittariorum copiis 22. Iulij. Conuenit Bauarum Confluentias, & ab eo creatur Vicarius Imperij, exceptâ Italiâ. *Itaque Cameracum obſidet cum equitum 14. millibus, peditum 60. ſed obſidionem poſt diem nonum ſoluit: inde in Franciam ingreditur. Philippus ei occurrit cum Principibus & equitum 25. millibus, & peditum ſexaginta-quinque millibus, vterque ad Iſaram caſtra poſuit. At monitus eſt à Roberto Siciliæ Rege Philippus ſapientiſſimè ne Regnum ſuum aleæ prælij committeret, quare vterque exercitus ad ſua receſſit,* Villanius, Paulus Æmilius, Carolus in vita ſua, & alij. Benedictus arguit Eduardum quòd Vicariatum Imperij à Bauaro recepiſſet, ei etiam interminatus anathema, *Walſinghamus.* Sicilia tertiùm Sacris interdicta, *Fazellus.* Iudæi in Germania vexati per quemdam qui ſe Regem *Armleder* appellabat, ruſticis ſibi adunatis, qui Iudæos omnes interficiebant; ſed hic à Ludouico Bauaro cædi iuſſus, quòd in Chriſtianos quoque deſæuiret, *Vita Benedicti Papæ, & continuatio Chronici Martiniani.* Miſſi hoc anno à Pontifice ad Tartaros, & Alanos Minoritæ, qui Religionem Chriſti promouerent, *Vadingus.* Ecclipſis Lunæ contigit die Iouis 5. Februarij.

Anno Chriſti MCCCXXXIX. *Eduardus Angliæ Rex aſſumit ſibi nomen Regis Franciæ, ſuadente Artauellâ, vt Flandri in officio continerentur, nec rebelles dici poſſent in ſupremum Dominum; ipſe redit in Angliam, relictâ vxore ſuâ Antuerpiæ, quaſi obſide, velocis ſui in Belgium reditus,* Villanius, Paulus Æmilius, & alij Angli, Francíque, ac Belgici Scriptores. Filius Regis Matoci Abomelecus ex Africa in Hiſpaniam

traiicit cum quinque millibus equitum, iunctúsque Regi Granatæ ad Arcobrigam inuaditur à Gonsaluo Martinio Magistro Ordinis Alcantaræ, vincitúrque cæsis 10. hominum millibus, immò & ipse pedes fugiens interimitur. Hic Gonsaluus sequenti Vere de multis criminibus accusatus, flammis absumptus est viuus, an iustè quidam dubitarunt, *Villanius, Mariana.* Ioannes Rex Bohemiæ, qui vnum oculum perdiderat in bello Lithuanico, altero laborans Montem Pessulanum venit, vt sanaretur, sed à Medicis huius Academiæ excæcatus est, & cæcus posteà pugnare fortiter perrexit, *Dubrauius.* Sauona in ora Genuensi deiectis Magistratibus à populo tegi cœpit; quod & factum statim Genuæ, selecto Simone Buccanigrâ, qui populi Dux esset, sícque ab eius vrbis regimine depulsi Nobiles, *Villanius, Nebiensis, Foglieta, Nicephorus Gregoras.* Robertus Neapolitanus Astam in Longobardia perdidit, sed Liparam Insulam Siculis eripuit. In hac expeditione captus Rolandus frater nothus Petri Regis, qui neglectus à fratre redemptus est à Camiola Turinga nobili fœmina Mamertina, cui & nuptias spopondit per Procuratorem; sed eam posteà irrisit: illa hominem vocauit in iudicium, vbi cùm damnatus esset, illa vicissim perfidum spreuit, & sponsum Christum elegit, *Villanius.* Balahamus Monachus missus ab Andronico venit Auenionem acturus de vnione Græcæ Ecclesiæ cum Latina, si ei redderentur, 4. vrbes à Turcis occupatæ, & Concilium celebraretur cui interessent Orientis Patriarchæ quatuor; sed hic remissus est in Orientem vt de his ageret non tantùm cum Imperatore; sed cum ipsis Patriarchis, *Litteræ Benedicti.* Ecclipsis Solis hoc anno notatur die Iouis 8. Iulij.

Anno Christi M C C C X L. Benedictus tum ægrotare cœpit podagrâ, adeò vt ægrè posset incedere, *Continuator Bernardi Guidonis.* Constituit & Vicarios Imperij sub censu Sanctæ Sedis, Luchinum Vicecomitem Mediolani cum Archiepiscopo fratre, Mastinum & Albertum Scaligeros Veronæ, & Vicetiæ, Gonzagum Mantuæ, Allectinum Carariæ Patauij, Opizonem Estensem Ferrariæ, & Mutinæ, *Platina, Villanius, Liber Priuilegiorum Ecclesiæ.* Mediolani apparuit Secta Impurorum, qui detecti flammis addicti sunt,

ſunt, erepti tamen ſupplicio precibus Gonzagarum, *Corius, & Ripamontius.* Ludouicus Bauarus, neglecto Pontifice, dat Margaritam Ducis Henrici Carinthij filiam filio ſuo Ludouico (alij vocant Othonem) Marchioni Brandeburgenſi, eripítque Marito ſuo Ioanni minori filio Ioannis Regis Bohæmiæ, cùm hæc impudica falsò impotentiæ inſimularet Maritum, vnde multæ turbæ concitatæ. Tandem hæc Lupa & adhuc animo quàm ore turpior, (ideóque dicta *Maultaſch*).cùm Maritum, & ex eo filium veneno ſuſtuliſſet dum nobili cuipiam ſe proſtitueret, exuta Comitatu Tirolenſi, incluſa Monaſterio malè periit, *Felix Faber Dominicanus in Hiſtoria ſua Sueuica, Philippus Villanius in Additamento ad Hiſtoriam Matthæi ſui patris, Dubrauius, Rebdorffius, & alij.* Eduardus redit in Flandriam cum omni Anglicana nobilitate, & claſſe ducentarum viginti nauium, *& ad Cluſas Philippi claſſem 200. nauium Gallicarum, & triginta triremium Genuenſium, quæ portum occuparant ad impediendam Anglorum exſcenſionem deuicit atroci prælio 23. Junij. Toto die certatum, neutris vincentibus, noctu æſtus & ventus fauit Anglis; Francorum 10. millia cæſi, totidémque capti, naues penè omnes aut demerſæ, aut captæ ſunt, cecidere ex Angliś quatuor millia, ipſe in femore vulneratus Eduardus. Exinde iunctus Flandris cum exercitu 8. millium equitum, 80. peditum Tornacum obſidet: ſed adfuit Philippus cum 10. millibus equitum & peditum grandi exercitu, cui cum pugnæ copia non fieret, nec commeatu vrbem iuuare poſſet, Ducem Brabantiæ pecuniâ corrupit, qui caſtra Anglorum deſeruit. Quare Eduardus annuas inducias cum Francis facere coactus eſt,* Villanius, Nangij Continuator, Gillius, Belleforeſtius, & alij Galliæ Hiſtoriæ Scriptores. Eduardus in Angliam reuertitur, Quæſtoréſque ſuos officio ſubmouet, quòd pecunias opportunè non miſiſſent; ideóque Tornacum ex eius manibus elapſum eſſet: fortiter tamen ei reſtitit Ioannes Archiepiſcopus Cantuarienſis, cui tamen Rex reconciliari coactus eſt, vito rebus ſuis omninò neceſſario, *Walſinghamus.* Simon à Quatto Genuenſis cum aliquot triremibus in Orientem nauigans Turcos affecit clade, peruenítque Caffam emporium Genuenſium, vnde miſit litteras Benedicti ad Præſules degentes in Tartaria, *Villanius,*

Bizarus, Folieta, & alij. Albohacenus aliter Abenmarinus Rex Maroci, vlturus Abomelici filij necem cum 70. millibus equitum, & quadringentis peditum millibus traiicit in Hiſpaniam, & Tariffam, cùm Haben-Hamet Ioſepho Rege Granatæ obſidet. Iuxta Salſum flumen dimicatum eſt ab Alphonſo Rege Caſtellæ, cui ſuppetias ferebant Rex Alphonſus Luſitaniæ, Ludouicus Rex Nauarræ cum 14. millibus equitum, & 25. millibus peditum. Cæſa ducenta Maurorum millia, duo Albohaceni filij, innumeri capti, inter cæteros Abohamarus filius, & Fatima præcipua vxor, ex Chriſtianis vix viginti deſideratis. De die huius victoriæ variant Scriptores, vulgò aſſignatur dies Lunæ 30. Octobris, prædæ tanta copia vt valor pecuniæ in Hiſpania decreuerit, precium mercium auctum ſit. Traiecit in Africam ſuam Albohacenus eâdem nocte, veritus ne filius Abderrhamus quem reliquerat Vicarium, inuaderet Regnum, *Mariana, Villanius, Surita, & alij.* In Hollandia & vrbe Delphenſi S. Gertrudis de Oëſtem ſancta Chriſti Stigmata recepit in corpore, ex quibus ſepties in die, ad 7. Horas Canonicas ſanguis effluebat. Eâ orante ceſſauit ſanguis, ſed remanſere vulnera, *Ioannes de Leidis, Surius*, &c.

Anno Chriſti M C C C X L I. Bauarus reconciliatur Philippo, & abrogat Vicariatum Imperij Eduardo, quòd ſe inſcio inducias cum Francis feciſſet, *Albertus Argentinenſis, Rebdorffius, Nauclerus, Walſinghamus. Contendunt de Ducatu Minoris Brittaniæ, mortuo Ioanne Duce, Carolus Bleſenſis Philippi Regis nepos, maritus Ioannæ filiæ Guidonis Secundi fratris Ioannis ante mortui; & Ioannes Comes Monfortius Tertius Ioannis Ducis frater, cui fauebat Angliæ Rex Eduardus. Concilium Parium Franciæ cauſam adiudicauit Carolo, victoria Monfortio, vt poſteà videbitur,* Continuator Nangij, Froſſardus, Willanius, Walſinghamus, Gaguinus, & alij. Franciſcus Petrarcha anno ætatis 37. authoritate Roberti Regis Neapolitani, Laureâ donatus eſt in Capitolio per Vrſum Comitem Anguillariæ Senatorem vrbis, die Paſchatis 8. Aprilis, *idem Petrarcha*, apud quem ſemel & iterùm irrepſit error, emendandus ex die Paſchatis. Porrò ad eum videndum quidam ex variis regionibus venerunt, quod olim T. Liuio contigit teſte Hieronymo. Naukerus Epiſcopus Wratiſla-

uienſis veneno ſublatus eſt iuſſu Ioannis Bohemiæ Regis, ſed vrbs Wratiſlauia diuinitus in eius vindictam tota deflagrauit: viſus enim Angelus in eam geſtate gladium, & carbones in eam proiicere, *Michouius, Cromerus.* Conuentus habitus Conſtantinopoli de controuerſiis Barlahami, & Palamæ; ſed cùm à Palama ſtaret Imperator, Præſulibus adempta ſententiæ libertas; quare Barlahamus rediit in Italiam, vt Latinorum ritum liberè profiteretur, *Nicephorus Gregoras, & Iohannes Cantacuzenus*, fauens tamen Palamæ contra Barlahamum. Moritur Andronicus 15. Iunij anno ab Orbe condito 6840. annos natus circiter 45. adeò venationi deditus, vt canes aleret ſupra mille quadringentos, accipitres ſuprà mille, *Phranzes lib. 1. cap. 12. Nicephorus Gregoras, Ioannes Cantacuzenus.* Reliquit libetos duos Ioannem & Manuelem impuberes, ſub tutela Ioannis Cantacuzeni, qui Ioannem iuſſit coronari 19. Nouemb. Sed poſteà variis vſus artibus curauit ipſe ſe coronandum Didymotichi ad Hebrum, quare à Patriarcha eſt excommunicatus. Ioannes autem Palæologus Quintus eius nominis, aliter *Caloioannes* dictus eſt, inde bella ciuilia inter iſtos duos enata, per quos iam concuſſum Imperium pænè euerſum eſt, *idem Cantacuzenus, Nicephorus Gregoras.* Baſilius Trapezuntinus Imperator, qui duxerat Eudociam ſeu Irenem notham Andronici Imperatoris ab ea veneno potatus eſt, quæ & tantiſper rexit Imperium, ſed Magno Domeſtico Trapezuntiorum ſe permiſit, vnde orta ſeditio, in qua Alexius prædicti Baſilij filius nothus Princeps eſt electus, cui filiam ſuam vxorem dedit Cantacuzenus, *Reinecius in Appendice Haythonis.*

Anno Chriſti MCCCXLII. Benedictus Petri Sede digniſſimus Pontifex Auenione obiit 25. Aprilis, cùm ſediſſet annis 7 menſibus 4. diebus 6. in cuius locum electus eſt Petrus Rogerij Lemouix, Monachus olim Sancti Benedicti, vir Litteratiſſimus, & memoriæ exquiſitiſſimæ, ex ictu in capite. Huic autem prænunciari viſus eſt Pontificatus, & à Presbytero quodam Aldobrandino, & à Carolo poſteà Imperatore. Coronatus eſt vndeuiceſimo Maij die Pentecoſtes dictus Clemens VI. vt *Continuator Bernardi Guidonis, Petrarcha, Maſſonus, & alij.* Statim oppoſuit ſe Ludouico Bauaro, & Vicarios aliquos in Italia conſtituit, ac

Principes, vt in eum fœdus inirent per Legatos ſuos inuitauit, *Blondus*, *Platina*. Carolus Hungariæ Rex tam impensè dilectus à ſuis, quàm ægrè admiſſus, obiit in Viſſigradenſi Caſtro, quinquageſimo ætatis anno, Regni pacifici 32. ſepultus de more Albæ-Regali. Succeſſit ei filius Ludouicus anno ætatis 17. iam deſignatus Rex Poloniæ ab auunculo ſuo Caſimiro, conſentientibus Epiſcopis, atque Proceribus, *Ioannes Thuroſius*, *Antonius Bonfinius*. Obiit & Petrus Rex Trinacriæ in oppido Calataxibetta, 8. Auguſti, vel 18. cùm regnaſſet ab obitu patris annis quinque & ampliùs, & paulò antè conatus eſſet liberare Mylas vrbem obſeſſam à Roberto, quæ mox poſt obitum eius obſidenti reddita eſt, *Fazellus*, *Surita*, *Villanius*. Succeſſit Petro filius Ludouicus, coronatus Panormi ab Epiſcopo Andreuillenſi in Peloponneſo, quòd Siculi Præſules ob interdictum nec vellent nec poſſent. Regnum adminiſtrauit intereà Ludouici Patruus Ioannes Dux Randatij ex patris teſtamento & Procerum conſenſu. Qui cùm paulò pòſt ægrotaſſet factione Paliciorum, quæ familia erat potentiſſima, Meſſanæ vrbs hæc rebellauit, cui ſi miſiſſet auxilium Robertus, & eâ, & totâ Siciliâ potitus eſſet, ſed dum ſumptibus parcit, & tergiuerſatur, occaſionem elabi paſſus eſt, *Villanius & Fazellus*.

Anno Chriſti MCCCXLIII. Clemens 27. Ianuarij Conſtitutione ſuâ Iubilæum ad annum quinquageſimum reuocat, ob id valdè laudatus ab omnibus, *Villanius*, *Albericus à Roſate*, &c. Renouauit etiam 12. Aprilis quæ conſtituerat Ioannes XXII. in Ludouicum Bauarum. Michaël Ceſenas pœnitens hoc anno obiit; cuius pœnitentiam ſecutus eſt Franciſcus Eſculanus, *Wadingus*. Mortuus eſt & hoc anno Robertus Rex Neapolitanus, cùm regnaſſet ab obitu patris annis 33. menſibus 8. & diebus 15. vixiſſétque annis 64. non 80. vir planè magnus, & adeò Litterarum amans, vt has Regno præferret. Octo diebus antequàm moreretur vota Ordinis Sancti Franciſci emiſit, ſepultúſque eſt in habitu Minoritæ. Et verò obtinuerat iiſdem Minoritis perpetuam cuſtodiam Sancti Sepulchri à Sultanis Syriæ & Ægypti, anteà tamen eis commiſſam, *Villanius*, *Petrarcha*, *Wadingus*. Ioanna ſtatim acclamata eſt Regina, cum

Andrea ſeu Andreaſſo eius ſponſo. Proceres autem adminiſtrarunt Regnum, quibus ſe immiſcuit Frater Robertus Eremita Ordinis S. Pauli, Andreæ Præceptor, de quo multa *Summontius* & *Petrarcha* ſcripſerunt, quibus fidem ſi voles adhibebis. Turbata eſt autem tum valdè Aula Neapolitana, cui malo Pontifex remedium adhibere conatus eſt per Almericum Cardinalem. Tumultus pertæſa Sanctia vxor Roberti Regis, diſtributis in pauperes facultatibus Clariſſarum Ordinem ingreſſa eſt, dicta Clara, vixítque in Monaſterio Sanctæ Crucis, quod condiderat, menſibus tantùm duodeuiginti, *Summontius, Wadingus.* Neapolim horribilis tempeſtas quaſſauit deſcripta *à Petrarcha*, cuius & *Villanius* meminit, aítque pænè ſimilem Peræ ad Conſtantinopolim, & Coloniæ in Germania viſam eſſe. Fortè quoque Venetiis eadem ſæuiit, quando vrbs liberata fuiſſe creditur à Cacodæmonum furore per ſanctos Marcum, Nicolaum, & Gregorium, qui Nauclero cuipiam apparuerunt, & cui ſtipendium ex Ærario decretum, *Petrus Iuſtinianus, Sabellicus, & alij.* Andreas Dandulus *Comiſius* ex affabilitate dictus, Dux creatur, mortuo Gradouico, annos tantùm natus 36. Hic inſtituit Ægyptiacam nauigationem, conſentientibus Pontifice & Sultano, ſicut & poſteà Syriacam, magnâ Reip. Venetæ vtilitate, *Petrus Iuſtiniani, Blondus, Sabellicus, & alij.* Pertinent ad hoc tempus facta *Gualteri de Brenna impotenter in Florentinos ſæuientis, cùm ab eis Dux ſuus conſtitutus eſſet, rebus ſuis pænè deploratis. Obſeſſus eſt enim à populo, Duce Epiſcopo Acciaiolo, & ſe dedere ei coactus eſt, vnde emiſſus in Apuliam, inde in Galliam venit, obtinuítque à Rege Franciæ clarigationem, magno Florentinorum damno, quorum mercatores, & Trapezitæ bonis exuti ſunt in Gallia*, Ioannes Villanius, Auctor Piſtorienſis, Leonardus Aretinus, S. Antoninus, Bocatius, & alij. Conflata eſt & hoc tempore *Societas Longobardica* ab Equitibus Germanis dimiſſis à Florentinis & Piſanis, qui duce Garnerio quodam omnia populabantur. Hæc quo terribilior eſſet deſcriptum gerebat ante pectus hunc titulum, *Dux Garnerius dominus magnæ Societatis, inimicus Dei, pietatis, & miſericordiæ*, ſic Auctor Piſtorienſis. Petrus Rex Aragonum Iacobum Regem Maioricæ propinquum affinémque ſuum Regno ſpoliat. Quare is fugit ad

Regem Galliæ, cui vendidit Principatum vrbis Montispessulani, Perpinianum, & Comitatum Ruscinonensem, centum aut centum viginti millibus aureorum, quibus bellum reparauit, & post annos quinque demùm in Maiorica pugnans ab Aragoniis in acie cæsus est. Sed hîc non hæsere Regis Petri scelera, de quibus *Mariana, Surita, Hieronymus Blancus, Matthæus Villanius, & alij.* Ioannes mater Caloioannis (aliter Anna dicta) scribit ad Clementem pro reconciliatione Ecclesiæ Græcæ cum Latina. Promisit ei Pontifex auxilium, & in Turcos & Cantacuzenum Imperij inuasorem, *Litteræ Clementis, & Joannes ipse Cantacuzenus.*

Anno Christi MCCCXLIV. sub finem Augusti Ioanna Neapolitana coronatur Regina, cum marito suo Andreasso, Pontifice consentiente, *Villanius, Summontius,* &c. Conditiones offeruntur à Pontifice graues Bauaro, quæ etiam ab Electoribus & Principibus Germaniæ contemnuntur; quare & Clemens se derisum putans publicari iussit processus Ioannis XXII. aduersus Ludouicum, *Argentinensis, Mutius, Nauclerus, Litteræ Pontificiæ.* Christiana classis oram Asiaticam legit, multásque Turcarum naues capit aut demergit; sed insuper Smyrnam tunc vrbem nobilem subitâ oppugnatione intercipit, & diripit; incolis ad internecionem cæsis. Verùm statim obsessa est à nouo exercitu Saracenorum, frustrà tamen. Sed fructum huius victoriæ posteà corrupere Veneti atque Genuenses, *Villanius, S. Antoninus, Continuator Belli Sacri, Cantacuzenus, & alij.* Cæsus est à suis Baronibus Rex Armeniæ, quòd in Armenos minùs propensus videretur, quàm in Latinos, ob vxorem suam filiam Principis Tarentini, *Sanctus Antoninus.* Algezira ad fretum Gaditanum nobilis Maurorum Ciuitas terrâ, maríque obsessa, hoc demùm anno 25. Martij capta est auxiliis Papæ, Francorum, Anglorum, Nauarræorum. Huic etiam expeditioni interfuit Philippus Rex Nauarræ, qui in reditu obiit mense Septembri, relicto filio Carolo, cognomine *Malo, Mariana, Villanius.* Tum autem primùm in Hispania inuentum tributum *Alcauala* dictum voce Mauricâ, hoc est, vigesima rerum omnium venalium, Gallicè *le sol pour liure:* Item memorant in hac

obsidione Saracenos, ferreos globos cum fragore, igne & puluere tormentario eiaculatos esse, *Mariana lib. 17. cap. 11.* Quòd si verum est, Bombardæ non est inuentor Berctoldus Schwartius seu *Niger*, professione Monachus, à quo puluis iste tormentarius inuentus esse perhibetur, vel 1355. vel 1380. In Francia Salis inuentum vectigal à Philippo, vnde Eduardus hunc *Authorem Legis Salicæ* dixit, & Salis *mercatorem*, seu *Salinatorem*; *Philippus vicissim illum Mercatorem lanarum*, Continuator Nangij, Guaguinus, & alij. Terræ motus ingens Lusitaniam totam concussit, *Mariana. Rex creatus est à Clemente Fortunatarum Insularum Ludouicus de Hispania, Comes Claromontis, filius Alphonsi Cerdæ exhæredis, qui per vrbem equitans probè pluuiâ elutus agnouit se Regem factum esse regionis valdè Pluuialis.* Angli huic donationi se opposuerunt credentes, ex ignoratione, Britannicas Insulas Ludouico concessas fuisse, *Walsinghamus, Petrarcha, Litteræ Pontificiæ.* Praga erigitur à Clemente in Archiepiscopatum, *Rebdorffius, Michonius.* Curauit etiam hoc anno Clemens Aurei numeri Correctionem, *eius epistola:* Item signum proposuit quo Iudæi à Christianis distinguerentur, quod in Lateranensi Concilio IV. sub Innocentio III. statutum erat, *eædem Litteræ Clementis.* Captus in Hassia Germaniæ puer nutritus sollicitè à lupis, ambulans quadrupes, & bipes progredi arte doctus, cui vita hæc lupina plus humanâ placebat, *Monachus Erfordiensis in Annotationibus ad Lambertum Scafnaburgensem.*

Anno Christi MCCCXLV. Andreassus petit à Clemente, vt Rex Neapolitanus declararetur, quia hæres Caroli Martelli, & cùm id esset impetraturus, licèt repugnaret Carolus Dux Dyrrachinus Ioannæ Patruelis, idem Andreassus 17. Septemb. à coniuratis suspensus & strangulatus est Atelæ, (vulgò Auersa) euocatus è lecto, vbi iacebat cum Ioanna ad negotium magni momenti, *Villanius, Collenutius*, qui hoc crimen Ioannæ impingunt, *Bocatius, Petrarcha, Vitæ Clementis Author*, qui eam faciunt innocentem. Statim crudeliter in aliquos est animaduersum. Ioanna mense Decembri filium enixa est, quem Carobertum dixit ex aui paterni nomine. Eduardus Classem 200. nauium mittit in Vasconiam, vbi victis Francis aliquot

vrbes occupat. Venit & cum totidem nauibus Slusas mense Iulio, vt filium, quem secum adducebat, Comitem Flandriæ declarandum curaret; quod dum persuadere nititur suis Gandauensibus, Iacobus Artauille cum fratre, nepote, & multis amicis atque fautoribus cæsus est, eiúsque corpus feris obiectum. Eduardus se recepit in Angliam, nec Flandri eius acquiescere voluntati voluerunt, cum suo Comite, nisi aut Rex esset Franciæ, aut Regi Franco supremo Domino se submitteret, *Villanius*, *Froßardus*, *Paulus Æmilius*, *& alij*. Noua Classis in Turcos mittitur, cùm auditæ essent cædes Patriarchæ Constantinopolitani Latini, Zeni Veneti Ducis, Martini Zachariæ Genuensis Præfecti, & Polemarchi Regis Cypri. Hi enim omnes interfecti sunt in eruptione Smyrnæ, quam fortissimè defendebant. Pedestris, & maritimus exercitus in Orientem delati; terrestribus copiis præerat Imbertus Delphinus, Crucesignatus ab ipso Pontifice, Maritimis tres Duces; sed hoc bello nihil memoriâ dignum gestum est. *Redux Delphinus ditionem suam vendidit Philippo Regi Franciæ, consentientibus, subditis, 40. millibus Aureorum, & annuâ pensione 10. millium Florenorum & aliquot Castris dum viueret, additâ eâ conditione, vt subditis Priuilegia seruarentur, & aliis, de quibus anno 1349.* Author vitæ Clementis, Massonius, Belleforestius. *In Armorica mortuus est Ioannes Comes Monfortius, & Dux minoris Britanniæ; ad cuius obitum tot coruos aduolasse refert* Guaguinus, *vt ex tota Gallia eò confluxisse viderentur, quos plerique putarunt Dæmones eius animam excepturos; quod tamen vt meritò fabulam contemnit* Belleforestius. Ioannes Cantacuzenus iam Didymotichi coronatus Imperator sibi Tyaram curat imponi per Lazarum Patriarcham Hierosolymitanum, coram multis Episcopis Hadrianopoli 21. Maij, cum Irene sua coniuge. Ioannes verus Patriarcha ob defensionem fidei Catholicæ, & quòd steterat à Barlahamo & Gregorio Acyndino, contra Palamam, in Palatio Imperatoris, in Pseudo-episcoporum Synodo, cui Anna mater, cum filio Calo-Ioanne interfuit, depositus est, eiúsque nomen ex sacris Diptychis erasum paulò antequàm Vrbem Cantacuzenus ingrederetur, *ipse Cantacuzenus lib. 3. cap. 92.* qui & capite nonagesimo-quinto scribit se dedisse filiam suam Theodoram vxorem Orchani

Regi

Regi Turcorum, eiúſque nuptias, & cæremonias accuratè deſcribit.

Anno Chriſti MCCCXLVI. Clemens VI. Ludouicum Bauatum deponit, & Electoribus imperat vt alium eligant Imperarotem, commendaro nominatim Catolo filio Ioannis Regis Bohemiæ, qui montes & maria Pontifici pollicitus erat. Et verò, cùm illi conueniſſent in villam Rentzium ſupra Confluentias ad Rhenum ſitam, declararunt Imperium vacaſſe, 19. Iulij, eodémque ductu Carolum Morauiæ Comitem Cæſarem renuntiarunt, annos narum rriginta, *Litteræ Clementis, Author vitæ Clementis, Villanius, Rebdorffius, Argentinenſis, Nauclerus, & alij.* Eius electionem confirmat Clemens, *eius Litteræ.* Carolus Bonnæ coronatur 25. Nouembris, quia Aquiſgranum erat in poteſtate Ludouici Bauari. Spretus tamen à pleriſque Germanorum, dictúſque *Imperator Sacerdotum.* Hinc fit vt quidam eius Imperium tantùm auſpicentur ab obitu Ludouici, *Villanius, Rebdorffius, Argentinenſis, Ciacconius, & alij. Angli in Normanniam irrumpunt menſe Iulio, & claſſe ſexcentarum, vel etiam mille nauium, omniáque ferro, flammíſque vaſtant. Quominus occuparent Rothomagum diligentia Philippi perfecit; perrexere nihilominus Piſciacum vſque* (à Poiſſy) *ſed eos inſequutus eſt Philippus per Bellouacos, in Pontiuum, vbi Eduardus auxilia expectabat* 30. *millia Flandrorum. Peruenit ergo Creſſiacum* 4. *ab Abbauilla leucis, ſuis enectis fame, vtpote qui pane modico, & pomis ex arboribus lectis victitaſſent. Philippus qui eos fame domare poterat, aggreditur, prælióque atrociſſimo à mane ad ſecundam noctis horam commiſſo victus eſt. Pugnauit certè hic ferociùs quàm prudentiùs: nam Genuenſes ſagittarios, cum vti non poſſent Arcubaleſtis, equitatu ſuo obterendos curauit; vnde & cœpta Francorum clades, ſed maximè ob ignitas bombardas, quibus tum Angli vſi ſunt. Philippus cum Nobilibus* 60. *fugit Ambianum. Ioannes Rex Bohemiæ cæcus licèt fortiter pugnans cecidit: eius filius Carolus Rex Rom. vulneratus, multi quoque Nobiles periere, &* 20. *Francorum millia. Captæ continenter vrbes Monſteriolum, Bononia; Caleſium obſeſſum. Perturbatiſſimus fuit Galliæ Status, omnibus gementibus ſe vectigalibus, & portoriis attritos, ideóque illatam ob id diuinitus cladem quiritantibus*, Villanius, Gaguinus, Petratcha, Continuator Nangij, om-

nésque Galliæ & Angliæ Scriptores. Daniel Rex Scotiæ in Angliam ingreditur, ignarus victoriæ Eduardi ad Cressiacum, siue inuitatus à Philippo vt Calesio obsesso subueniretur; sed victus est ab Archiepiscopo Eboracensi ad vrbem Dunelmam 17. Octobris, & captus multis annis in carcere vixit, *Froßardus, Joannes Maior, Boethius, Walsinghamus, & alij.* Insula Chios hoc anno à Simone Vignesio Genuensium Duce fortiter occupata, & seueritate iustissimâ conseruata, quam filius eius expertus est, cæsus virgis publicè racemis ex collo suspensis quos collegerat, *Nebiensis, Bizarus, Folieta.* Gozonis filius Adeodatus Hospitalarius Rhodi draconem terribilem, etiam vetante Magistro, mirabili arte aggressus est insidens equo generoso, & stipatus duobus acerrimis molossis, quos assuefecerat ad aspectum draconis vmbratilis; monstrum certè interemit, ab eo fermè oppressus; ideóque primùm habitu spoliatus, pòst restitutus, honoratus, & tandem Magister Ordinis creatus est, cuius sepulchro hic titulus adscriptus, *Draconis extinctor, sic Hospitalariorum Historia.* Magna hoc anno annonæ caritas, in qua insignis Florentinorum liberalitas & charitas eluxit, nemine ab vrbe sua peregrinorum expulso, *Villanius, Leonardus Aretinus, Sanctus Antoninus.*

Anno Christi MCCCXLVII. *Philippus Calesium ab Eduardo iam toto ferè anno obsessum liberare frustrà conatur. Itaque omnia experti miseri ciues sese reddere compulsi sunt, restibus è collo suspensis; sex tantùm addixit suspendio Rex Anglus, reliquis verbo acriter castigatis, & abire iussis, ignouit. Cunctis trepidantibus Eustachius à S. Petro primarius vrbis ciuis se obtulit, quem imitati sunt quinque alij etiam Optimates vrbis, huic affinitate coniuncti, qui insertis in collum laqueis ad Eduardum claues vrbis detulerunt; quos cùm suspendi vellet Rex immisericors, his Philippa vxor partui vicina obtinuit vitam. Depulsi omnes ex vrbe ciues, Angli eorum loco substituti; quos tamen Philippus per vrbes Galliæ sparsit, & primariis ciuibus ad honores aperuit viam*, Villanius, Gaguinus, & cæteri Francicæ Historiæ Scriptores. Ioannes Cantacuzenus perfosso à suis fautoribus muro Constantinopolim ingreditur, & Annam atque Caloioannem capit, cui tamen dat vxorem filiam suam Helenam, eúmque Imperij consortem adsciscit, post

10. annos æquali secum potestate fruiturum. Creat quoque filium suum Despotam. Ad hæc deturbat Ioannem Patriarcham, eiúsque loco Isidorum substituit, à quo tertiùm coronatus est Imperator, *Cantacuzenus lib. 3. cap. 100.* Nicolaus Gabrinus filius cauponis, aut molitoris, & matris lotricis, Tribunus plebis à populo Romano acclamatus, ad Clementem à Romanis Auenionem missus est: sed cùm nihil præter verba retulisset, vir vsque ad insaniam superbus; verùm post 7. menses aufugere coactus primò in molem Hadriani, deinde ad Ludouicum Hungarum, denique ad Monachos Montis Moronis, tandem detectus à Carolo Imperatore, aut sponte, aut inuitus missus Auenionem, in carcerem coniectus est, *Petrarcha, Villanius, & alij.* Ludouicus Bauarus xj. Octobris annos natus 63. obiit ex veneno, quod ei Dorissa Anna Austriæ Monachio transeunti, & excepto mensâ suâ propinauit. Obiit autem impœnitens, & excommunicatus; sepultus est tamen magnificè Monachij, vnde tamen extumulatus esset à Paulo Episcopo Frisingensi, nisi eius hæredes obstitissent, *Villanius, Rebdorffius; Auentinus* tamen impudenter miraculis, & visionibus claruisse dicit. *Contumacem* dictum asserit *Wernerus in fasciculo temporum.* Moguntiæ auditâ eius morte Hymnus *Te Deum laudamus* cantatus est, *Serarius in rebus Moguntinis.* Inimici Electores Caroli, primum Imperium offerunt Eduardo Angliæ Regi, qui id ex Procerum monitis repudiauit: Mox Friderico Marchioni Misnensi, qui acceptâ à Carolo pecuniâ id reiecit; tum Comiti Schwartzemburgo Turingiæ, qui potatus veneno à Medico suo, & acceptâ pecuniâ à Carolo iure suo cessit, ac paulò pòst obiit; sic receptus ab omnibus Carolus, coronatus sub finem Iulij cum vxore Anna filia Comitis Palatini, ab Archiepiscopo Coloniensi. Reconciliati plerique excommunicatorum; quidam impœnitentes subitâ morte elati, *Villanius, Rebdorffius, Argentinensis, Nauclerus, Trithemius, Krantzius, & alij.* Ochamus obiit Monachij pœnitens vti scribunt *Trithemius & Wadingus;* qui tamen eum ad annum 1349. vixisse probare conatur. Ioanna Regina Neapolitana nubit Ludouico filio secundogenito Philippi Principis Tarentini, qui tamen Rex dictus non est, sed Dux

Calabriæ, & Regni Gubernator, *Ioannes Villanius, Summontius, & alij.* Pacem etiam Ioanna fecit cum Ludouico Rege Trinacriæ, quem Hungarus sollicitabat in suas partes transire, *Fazellus, Surita, Clementis litteræ.* Ludouicus Hungariæ Rex cum copiis Italiam ingreditur, & pergit in Regnum Neapolitanum vlturus necem Andreæ seu Andreassi, *Villanius, Bonfinius, & alij.*

Anno Christi MCCCXLVIII. Ludouicus Hungariæ Rex Auersam venit 17. Ianuarij, vbi in eodem loco vbi cæsus erat Andreas frater perductum Carolum Ducem Dyrrhachinum interfici iussit, ei denegato etiam impiè ad Confessionem Sacerdote, atque in hortum præcipitari, reliquos eius fratres, & affines in Hungariam misit seu necis Andreæ conscios, seu quia eam non satis vlti essent; interfecturus quoque Ioannam & Ludouicum, si in manus eius incidissent. Hinc furoris plenus Neapolim perrexit prælato sibi atro vexillo in quo Andreæ cæsi effigies lurida depicta erat, terribilis, percursóque regno, inuisus omnibus Hungariam suam repetiit metu pestilentiæ quæ tum sæuiebat, relictis Hungaris, qui Regnum Neapolitanum administrarent, *Vterque Villanius, Ioannes & Matthæus, Summontius, Hocsemius,* &c. Ioanna Neapolitana, eiúsque maritus Ludouicus Tarentinus adueniunt in Prouinciam, & à Clemente Auenione magnificè recipiuntur. Purgarunt se de cæde Andreana, eorúmque matrimonium à Pontifice confirmatum est, *Villanius, Summontius.* Tunc autem Ioanna vendidit Pontifici Auenionensem Comitatum 80. millibus Florenorum Aureorum, Contractum approbante marito Ludouico 4. Iunij, vt & Carolo Imperatore Gorlitij 1. Nouembris, *Spondanus ex Archiuis Romanis, & Collectione Archiepiscopi Auxitani.* Hâc pecuniâ instructi 10. triremibus Genuensibus Neapolim redeunt, & magnificè recipiuntur. Sícque magna regni pars ad eos rediit, Hungaris tamen repugnantibus, donec ad quasdam pacis & induciarum conditiones deuentum est, *Matthæus Villanius, & Summontius.* Contigit hoc tempore potissimùm crudelis illa pestilentia, quæ magnam hominum partem absumpsit. Orta dicitur fuisse in Regno Cathay, igneo vapore è cælo descendente, vel è terris erumpente, qui peruaga-

tus partes Orientis, huius pestis prima causa fuit. Tum non halitus tantùm, & tactus, sed & visus ipse inficiebat; certe Florentiæ 60. hominum millia perierunt, aut etiam centum millia, & inter cæteros Ioannes Villanius, *Vterque Villanius, Petrarcha, Boccatius, Mariana, Nauclerus, Hocsemius, Walsinghamus*, &c. Ex hac peste facti sunt homines peiores, rixantes de hæreditatibus; Religiosi Ordines perturbati, *Sanctus Antoninus, Petrarcha.* Terræ quoque motus horribilis Orbem concussit præcipuè Italiam & Germaniam: ipsæ Alpes etiam intremuerunt, *Ioannes Villanius hîc finiens suam Historiam, eius frater Matthæus, Petrarcha Rebdorffius, Auentinus, & alij.* Sæuiit & in Germania profluuium sanguinis, & sacer ignis totius corporis carnes absumens, quod attributum Iudæis; vnde & nata secta flagellantium, *Trithemius in Chronico Hisaurgensi.* Bellum in Sicilia Ciuile exarsit (mortuo ex peste Ioanne Regis patruo) inter Blasium Alagonam Regi Bailum datum, & *Palicios* olim regno extorres; vnde facta initio magna Aragonum, & Catalanorum cædes, magna Insulæ totius deprædatio, adeò vt in Sicilia, Sicilia quæreretur, *Fazellus, Surita, Matthæus, Villanius.* Mortuus est hoc anno in bello Moschouitico, Israël frater Sanctæ Birgittæ vir piissimus, *Huius Sanctæ Reuelationes.* Item & Ioannes Andreas Iurisconsultissimus, qui Glossas edidit in Decretales Clementinas *&c*, dictus *Tuba Iuris Canonici*, & *Fons Canonum*, Patriâ Bononiensis *Trithemio, & aliis; Volaterrano* Mugellanus ex Presbytero Andrea & Concubina natus, vir magni ingenij, abstinentiæ, & eruditionis.

Anno Christi MCCCIL. *Humbertus Delphinatus venditionem confirmat, & dominatione se penitus exuit, factúsque est primus Delphinus Carolus Regis Philippi, ex Ioanne filio nepos; Humbertus factus est Lugduni Dominicanus, & creatus à Pontifice Patriarcha Alexandrinus, ac nocte natalis Domini ad tres missas Subdiaconus, Diaconus, & Sacerdos creatus*, Rebdorffius, Matthæus Villanius, Massonius, qui tamen errant in nomine Patriarchatus. Iudæi in Germania, Polonia, Arctoisque regnis grauiter exagitati sunt, multi eorum cremati. Quare quidam videntes se euadere non posse, necatis liberis & coniugibus, se cum domibus, & Synagogis cremarunt. Itaque eos Clemens Papa constitu-

tione suâ defendit. Multi etiam tum Baptizati sunt, sed timore pœnæ, non amore iustitiæ, *Argentinensis, Felix Faber, Trithemius, Meyerus, Cromerus, Litteræ Clementis.* Prodiit tum ex occasione pestis atrociter sæuientis, *Secta Flagellantium*, aliter *Cruciferorum*, quòd Crux eorum cœtum præcederet, & singuli manu præferrent Crucem, eámque rubeam vestibus, capitiis, antè & retrò assuerent, se ad sanguinem bis in die semel noctu histrionicè cædentes vmbilico tenus nudi: dicebant se adinuitatos esse per Epistolam cælitus missam; adiungebant etiam alia deliria, & hæreses, quare hos proscripsit Pontifex, *Nangij Continuator, Argentinensis, Nauclerus, Krantzius, Walsinghamus, Cromerus, Ioannes Gerson, qui contra eos scripsit, & alij.* Publicatum hoc anno Iubileum in anni sequentis initium datis Litteris 10. Aprilis, *Litteræ Pontificiæ.* Aduersabatur potissimùm Carolo Cæsari Ludouicus Marchio Brandeburgicus (aliter Otho dictus) Filius Ludouici Bauari: Quare huic Carolus excitauit Waldemarum quemdam, qui se Marchionem diceret, cui Ludouicus à patre suffectus erat. Hic quia valdè olim placuerat Brandeburgensibus, ab iis quoque amicè susceptus fuit, atque ita rem promouit suam, licèt homo plebeius, & molitor, vt iam Ludouico par esset, contractisque copiis cum eo decertare paratus esset. Quod videns Carolus, & conscientiæ stimulis agitatus, cum Ludouico verè reconciliatus est; disparuit iste vmbratilis Marchio, Ludouicus Carolo insignia Imperij reddidit gladium Caroli Magni, Lanceam Christi, portionem Sanctæ Crucis cum vno Clauo, & Mappam in vltima Cœnâ adhibitam, *Dubrauius, Krantzius, Nauclerus, & alij.* Attamen de insignibus istis Imperij, alij alia scribunt. Casimirus Rex Poloniæ sibi Russiam subiecit, & vt eâ frui pacatè posset, cum Ludouico Rege Hungariæ transegit, vt sibi in Regno Polonico succederet, si sine filiis moreretur. Tum se libidinibus de more dedidit, admonitusque à Pontifice per Martinum Vicarium Ecclesiæ Cracouiensis, monitorem in Vistulam proiici iussit, & demergi; Quare excommunicatus ab Episcopo Cracouiensi Bozenta: hinc pestis acerba Poloniam inuasit: Lithuani fædè populati Poloniam, licèt vexati à Cruciferis & eorum

auxiliatoribus Francis & Anglis; immò Russiam recuperarunt, *Michouius*, *Cromerus*. Turcæ in Chersonesum Thraciam ratibus traiiciunt, & diuersa occupant loca Cheridocastrum, Callipolim, & alia, quæ damna Græci etiam iocis excipiunt, *Leonclauius*. Interim Cantacuzenus missa Legatione ad Pontificem, & fingens bellum Sacrum in Saracenos, & Pontifici, & Occidentalibus illudit, vt ex *Historia Cantacuzeni*, *& Litteris Clementis* constat. Ecclipsis Lunæ contigit 1. Iulij.

Anno Christi MCCCL. Iubilæum magna celebritate Romæ apertum: mirum est autem quàm multi eò confluxerint. Sed eorum vix decimus quisque domum rediit, reliqui peste, fame, aut itineris labore sublati. Tum Romani in peregrinos sæuierunt, modis omnibus eis pecuniam emungentes, aucto rerum omnium pretio: cum autem Legatus Pontificius huic malo prouidere conaretur, sagittis à rapace plebe appetitus est; quare secessit in Campaniam patriam suam: at in itinere veneno potatus, cum tota pænè familia periit, *Matthæus Villanius*, *Meyerus*. Archiep. Mediolanensis Ioannes post obitum fratris sui Luchini Vicecomitis, Principatum obtinet, immò & Bononiam occupat, quare excommunicatur cum sociis à Clemente, *Matthæus Villanius*, *Litteræ Pontificiæ*, *Sanctus Antoninus*, *Leonardus Aretinus*, *Corius*, *Blondus*, *& alij*. Ludouicus Rex Hungariæ iterum Neapolitanum Regum ingreditur, & vniuersum pænè regnum, quâ vi, quâ deditione recipit. Bis tamen magnum adiit periculum semel ad Canusium deturbatus è scalâ, ac pænè contritus. Iterum ad Auersam vbi in pede vulneratus est. Quare insuper videns exercitum imminutum, Legato Pontificio adnitente, sic transegit cum Ioanna & Ludouico, vt si nocentes reperirentur (causâ iterum coram Pontifice tractatâ) exciderent iure Regni Neapolitani, quod Hungaro cederet; sin innocentes Hungarus eis omnia restitueret, acceptis 300. millibus florenorum aureorum, sumptus nomine. Tum Romam ad Iubilæum adiit, *Matthæus Villanius*, *Bonfinius*, *Thurosius*, *& alij*. Alphonsus Vindex Rex Castellæ moritur ex peste dum Heracleam, *Gilbraltar*, à Mauris occupatam obsidet, anno ætatis 38. expulsurus Saracenos ex Hispania,

ſi diutiùs vixiſſet; eius morte ſoluta obſidio. Succeſſit ei *Petrus* filius cognomento *Crudelis*, vitiis omnibus contaminatus, indolis peſſimæ, quam & Alphonſus Alburquercus rector eius fouerat. Quare pater moriens proceribus ſignificauit, ſe dolere vehementer quod eiuſmodi Dominum eis relinqueret. Regnum auſpicatus eſt à crudelitate, cæsâ Guſmaniâ patris pellice, & Garſiâ Laſſo regni Cancellario, *Mariana, Matthæus Villanius, Rodericus, Sanctius*, &c. Tum ſublatus vſus Æræ Hiſpanicæ 16. Decembris, & numerari cœptum eſt à Natali Domini, ſeu 1. Ianuarij, *Surita, Mariana. Mortuus eſt & Philippus Valeſius ex nimio formoſæ vxoris vſu, Blancæ 18. annorum ſororis Caroli Nauarræi, 22. Auguſti, ætatis 57 Regni 22. cum 5. menſibus & diebus 21. apud Nogentum Regis. Succeſſit & Ioannes II. Quadragenario maior, Dux Normanniæ, cognomento* Bonus, *Litteris addictiſſimus, cuius ſuaſu Bercorius Benedictinus author Repertorij, Titum Liuium Gallicum fecit. Inunctus eſt Rhemis cum vxore Ioanna 26. Septembris. Hic ſtatim ſuſtulit Rudolphum Augi Comitem, & Comitem Stabuli reducem ex Anglicano carcere, in quo annis 4. vixerat, quod Eduardo adhærere putaretur,* Matthæus Villanius, Froſſardus, Gaguinus, Paulus Æmilius, & alij. Eduardus inſtituit Ordinem Periſcelidis cum hac Gallicâ Inſcriptione, *Hony ſoit, qui mal y penſe*, ob collectam periſcelidem Comitiſſæ Sariſberiæ ab ipſo, atque ei perhumaniter redditam, cum ob id à ſuis aulicis irriſus eſſet, *Polydorus, Harpfeldius, & alij.* Carolus Imperator toto anno paralyſi laborauit ex veneno à fratre ei oblato, *Rebdorffius.* At alij vulgò eius facti authorem vxòrem proferunt, quæ ei amatorium Philtrum obtulerat. Hæc autem cùm videret duos mariti domeſticos innocentes ad mortem damnatos, faſſa eſt illa crimen, ídque feciſſe ſe, vt illum à deſultoriis amoribus retraheret: Quare ei ignouit & vouit ſi conualeſceret, ſe omnibus eius facti reis parciturum, *Matthæus Villanius.* Pugnatum certamine nauali 29. Auguſti ab Hiſpanis & Anglis duce ipſo Eduardo, quando Angli plenam retulere victoriam, captis viginti ſex magnis Hiſpanorum nauibus, reliquis depreſſis, aut fugientibus, *Matthæus Villanius, & Walſinghamus: Meyerus* tamen ſcribit Hiſpanis & Flandris Anglos ceſſiſſe. Veneti

&

& Genuenſes eodem ipſo die ad Caryſtum Eubœæ depugnarunt, nauali certamine, in quo ij 14. naues perdiderunt, & prætereà vndecim dum ad Caffam Tauricæ Cherſoneſi nauigant, *Sabellicus, Petrus Iuſtinianus, & Matthæus Villanius.* Mox tamen iidem Genuenſes Venetis repoſuere vicem, nam 4. triremes quæ ex portu Caryſtio fugerant, iunctæ ſex aliis ex Chio, in Chalcidem irruerunt, & prædam ac captiuos Venetis eripuerunt, *Folieta, idem Matthæus Villanius,* qui rem paulò aliter deſcribit. Regina Ioanna poſtulatat ab Genuenſibus 12. triremes quas armatas habebant, vt contra Hungaros iis vteretur, oblato oppido Intemilio *(Vintemille)* quod erat tum Comitatus Prouinciæ. Sed cùm oppidum accepiſſent, aliò Claſſem miſerunt, cum publica ſuæ gentis infamia, *Matthæus Villanius.* Conuocata Conſtantinopolim Synodus quæ celebrata eſt in Blachernis, iuſſu Imperatoris, in cauſa Palamæ, & Balahami atque Acyndini damnati atque depoſiti Epiſcopi qui ſtabant à Balahamo, & Acyndini, Palamas Archiep. Theſſalonicenſis ſuperior iudicatus, ab Imperatore, & Proceribus. Attamen Nicephorus Gregoras Acyndinianæ cauſæ defenſor fortiter his omnibus obſtitit, & multa ſcripſit contra Monachos Montis Atho, ipſúmque adeò Cantacuzenum, qui ei reſpondere conatus eſt, atque inſuper malè accepit, *Cantacuzenus, & in eum Iacobus Pontanus.*

Anno Chriſti MCCCLI. Regina Neopolitana Ioanna à Pontifice declaratur innocens de nece Mariti ſui Andreaſſi, faſſa tamen eſt ſe ex faſcino eum minus amaſſe, vnde fortè data quibuſdam occaſio truculenti huius facti. Itaque Ioannes Pontifex & Ioannam, & Ludouicum Tarentinum iuſſit inungi Reges. Ludouicus Hungarus vtrique remiſſit 300. aureorum millia, quæ ei perſoluere debuerant, in bellicos ſumptus. Coronati Reges Neapoli 27. Maij. Principes in carcere Hungarico detenti liberati ſunt, *Matthæus Villanius, Summontius, Thuroſius, Bonfinius. In Gallia vetiti ſunt nutriri porci in honorem S. Antonij.* In Regeſto Clementino Epiſtolâ 112. *Bellum inter Anglos & Francos renouatum, ob Guinas oppidum, ab illis occupatum, vel proditione, corrupto pecuniis præfecto, vel arte Angli captiui, qui viam ſuis oſtendit, vel vtroque modo: certè præfectus in Gal-*

liam redux, in 4. partes sectus est. Ioannes ad urbem recuperandam copias misit, quæ fugatæ sunt ab Anglis, Calesium appulsis, Matthæus Villanius, Polydorus, Meyerus, Gaguinus, Paulus Æmilius, *&c. Octobri mense sed initio anni sequentis 6. Ianuarij institutus Ordo Stellæ, vel certè reparatus, cùm ab Hugone Capetio, vel eius filio Roberto primum excogitatus esset, dictique eius equites* Sodales B. Virginis de Nobili Domo sancti Audoeni, *Quorum insigne erat Stella cum hoc Lemmate*, Monstrant Regibus astra viam; *Sed tempore adeò viluit vt excubiarum præfecti Satellitibus sit relictus*, Frossardus, & alij. Bellum gestum est in Belgio inter matrem Margaritam viduam Ludouici Bauari, & eius filium Guillelmum cognomine *Phreneticum*; inrer hos distracta est tota Hollandia sub nominibus *Houc*, id est, *Hamus*, & *Cabeliau*, id est, *Asellus*, Gallicè, *vne Moruë*; ac primum mater superior fuir, deinde filius inito certamine in Mosa fluuio, qui tribus diebus sanguine rubuit, victa Mater in Hannouiam se recepit reliquâ vitâ hac ditione conrenra, filius post annos 7. incidir in phrenesim, vnde ei cognomen indirum est, *Suffridus Petri in Appendice ad Bekam, Ioannes à Leidis, & Renatus Snous Historiarum Belgicarum, Lib. 9.* Casimirus Rex Poloniæ Lirhuanos vicit Duce eorum capto, adiutus à Ludouico Hungariæ rege, *Michouius, Cromerus*: sed cùm posteà vicem his reponere vellent Lithuani, & à proditore Polono per vadum deducendi essent, in quo fixi erant stipites, piscatores id suspicati, sublatis his stipiribus alios in loco profundissimo fluminis defixerunt; quare cùm hausti essent primi qui ingressi erant Vistulam, cæteri proditorem capite minuerunt in eiusdem fluminis ripa, *Thurosius, Bonfinius, Cromerus, Michouius.* Tartari eodem tempore vastant Podoliam, iuris Polonici: Quibus calamitatibus permorus Rex Casimirus ad se rediit, & pœnitentiam egit de Sacerdote, & Episcopo cæsis, *Matthæus Villanius.* Roma tum quoque perturbatissima erat Vrsinis & Columnensibus inter se digladiantibus, *Matthæus Villanius.* Pertinet ad hunc annum Epistola à Satana missa ad Clementem VI. eiúsque Cardinales, merum irari cuiusdam hominis commenrum, *Matthæus Villanius, & Argentinensis in Chronico.* Decembri mense ingens Comeres apparuit,

multa mala multásque calamitates portendens, quo extincto ingens trabs ignea de cælo labi visa, *Matthæus Villanius, & magnum Belgij Chronicum.*

Anno Christi M C C C L I I. Damasci Præfectus Saracenus Christianos pecuniis exhauriens, noctu curauit ignem immitti quibusdam domibus; quare ditiores pecuniâ mulctauit, inopes aut mori aut Christum eierare iussit. Inuenti sunt tantum duo & viginti qui fidem vitæ præferrent. Sed hoc audito Sultanus Ægypti Præfectum medium scindi iussit, *Matthæus Villanius.* Hic Sultanus Christianis satis æquus erat, & Lazarum Patriarcham Hierosolymitanum protexit, pulso Gerasimo in eius locum intruso: Immo. & prohibuit ne Christiani ad sacra loca accedentes vllis molestiis à Saracenis afficerentur, *Cantacuzenus.* Clemens prouidit Armeniæ Minoris Regi Constantino, eiúsque subditis, cui Sultanus Ægypti, & Syriæ extrema minabatur: eúmque admonuit vt multa emendaret, nec Schismaticis quibusdam acquiesceret, ei pollicitus non tantùm spirituales gratias, sed & temporalia auxilia, missis etiam ad eum pecuniis ex Regno Cypri, *Litteræ Clementis, & Wadingus.* Archiepiscopus Mediolanensis reconciliatur cum Clemente, & Ecclesia, eíque Vicariatus Bononiæ ad 12. annos conceditur, *Collectio priuilegiorum Ecclesiæ Romanæ.* Florentini quoque frustrà implorato Caroli IV. Imperatoris auxilio cum Mediolanensi Archiepiscopo inuiti reconciliantur, *Matthæus Villanius, Aretinus, S. Antoninus.* Veneti, atque Genuenses paratis magnis Classibus, & auxiliis 3. Februarij inter Chalcedonem, & Constantinopolim dimicarunt: erant in Classe Genuensium 64. triremes, in Veneta 67. Venetarum, & Catalanorum, & Græcorum octo: nam Cantacuzenus stabat à Venetis contra Genuenses, qui Annam eiúsque filium fuga lapsum Thessalonicam tuebantur. Certatum autem iam Sole in vesperam inclinante, & Austro flante, itaque tota nocte pugnatum, Genuenses victores extitere, quia recessere auxiliares Venetorum, captæ Venetæ triremes 14. Catalanæ 10. Græcæ duæ, præter submersas, occisi bis mille, capti 1800. Genuenses tamen 13. triremes amisere, 700. viros magna ex parte eius ciues & nobiles, *Matthæus Villanius, Sabellicus, Petrarcha, Blondus In-*

ſtinianus, Surita, Platina, & alij. Diſputatio de Chriſti Sanguine in triduo paſſionis Barcinone inchoata eſt, damnatus Baiulus Guardianus Minorum huius vrbis, à Roſello Dominicano inquiſitore; ſed hæc quæſtio ad tempora Pij II. reiecta, quæſtio hæc indeciſa relicta eſt, *Bulla Pij II.* Hoc anno 12. Octobris viſus eſt vapor igneus ingens ad Africam, qui Italiam magnitudine æquare videretur, & tamen celeritate delatus vt Italis, Dalmatis, Pannoniis viſus ſit eodem pænè tempore per ſuas regiones tranſire: & quamuis eſſet in cælo Martis, videbatur tamen arborum & turrium cacumina attingere; auditus eſt item cælo tum ſudo tonitruum, quaſi terræ motus. Romæ 11. Decemb. cecidit fulmen, quod diſiecit turrim Baſilicæ S. Petri, omnéſque eius Campanas liquauit; terræ motus ingentes in Italia obſeruati, ſequuta ingens annonæ caritas, ex imbribus & inundationibus, inopibus, & quibuſdam diuitibus perniciosa, *Matthæus Villanius. Ioannes Franciæ Rex ob paratas eius vitæ inſidias à Gallis quibuſdam auro Anglico corruptis, ſatellitio ſe, & Palatium ſuum ſepſit, quod eius maiores non fecerant*, Idem Villanius. *Obiit hoc anno Clemens VI. Auenione 6. Decembris cùm ſediſſet annis* 10. *menſibus ſex., & 29. diebus. Hic conceſſit Regibus Franciæ, vt cùm vellent ſub vtraque ſpecie communicarent; quod tamen non faciunt niſi cùm coronantur, & in articulo mortis. Curauit, & fieri Milleloquium S. Auguſtini à Bartholomæo Vrbinate Auguſtiniano Eremita, ſicut & S. Ambroſij: corpus eius tranſlatum ad Abbatiam Caſæ Dei in Aluernia, vbi vixerat Monachus*, Villanius, Petrarcha, Henriquez, author vitæ Innocentij, & alij, 18. *eiuſdem menſis creatus eſt Pontifex Stephanus Alberti, Lemouix quondam Epiſcopus Nouiodunenſis, Claromontanus, & Cameracenſis, dictus Innocentius VI. coronatus vltimo die huius anni*, Villanius Author vitæ Innocentij, & alij. Vide quæ hic habet *Spondanus ex Dorlando in antiquo Chronico Carthuſianorum* de Ioanne Birellio Priore generali, quaſi in eum inclinarint pleraque Cardinalium Suffragia; omnes enim pænè ordines, idem ſibi conantur acceſſere.

Anno Chriſti MCCCLIII. Innocentius VI. curiam Romanam valdè corruptam, & ſuo exemplo, & ſuis conſtitutionibus emendat, *Platina, Ciacconius, Nauclerus, Lit-*

tera Innocentij. Mittit quoque in Italiam Ægidium Aluarum Albornatium Cardinalem Hiſpanum inſignem doctrinâ, morum integritate, ac virtute militari, & proſapiâ vno verbo (vt ait Innocentius) *potentem opere & Sermone*, cuius opera damna Eccleſiæ in Italia reparata. *Iidem qui ſuprà.* Romæ Baroncellus Tribunus plebis Tyrannum agit: ad eum domandum emittitur è carcere Auenionenſi Nicolaus Rentius Gabrinus; Sed vterque à Romanis cæſus, cùm vterque in eos atrociſſimè deſæuiret, *Villanius, Platina, Volateranus, & alij.* Circa hæc tempora initium duxit *Magna Societas* Duce fratre Moriali Prouinciali Hoſpitalario, qui milites exautoratos, & ex ſtipendiis viuentes, collegit adiunctis aliis prædæ cupidis. Hic captus à Nicolao Gabrino, & capite minutus: neque tamen Societas illa diſſoluta, ſed Galliam & Italiam diu atrocitérque vexauit, nouis Ducibus creatis, nouíſque militibus identidem accedentibus, *Matthæus Villanius.* Sicilia hoc anno quoque turbata per Palicios, & Catalanos, cùm Matthæus illorum caput omnia pôſſet. Hic Meſſanæ concurſu Mammertinorum cæſus eſt ignominiosè, cum vxore & liberis, & poſt mortem crematus, Rege ex Palatio per poſticum fugere coacto 21. Iulij, *Matthæus Villanius, Fazellus, & alij.* Veneti iuncti iterum Aragoniis, cum Genuenſibus in Sinu Calaritano atrociſſimè pugnant; victi Genuenſes captis 33. nauibus, cæſis octo millibus, tribus millibus captis. Creditur ea clades contigiſſe ignauiâ Grimaldi Ducis Genuenſium, qui initio pugnæ cum 19. triremibus metu Caſtellanarum nauium hoſtilium, fingens aliquod ſtratagema Genuam fugit. Catalani ſperantes totius Inſulæ recuperare dominatum à Iudice Arborenſis ſuperati ſunt, cui tota Sardinia paruit, præter arcem Calaritanam, Genuenſes deſperantes de ſuis rebus, ſe Archiepiſcopo Mediolanenſi turpiſſimè ſubmiſerunt, depoſito proprio Duce Valente, receptóque cum copiis Marchione Palauicino præfecto, quem eis Archiepiſcopus ideò miſit, *Matthæus Villanius, Surita, Cantacuzenus, & alij.* Maria Reginæ Ioannæ ſoror vidua Caroli Dyrrhachini cæſi à Ludouico Hungaro, data ab Hugone Baucio Auellini Comite filio ſuo Roberto, & eius iuſſu per vim ſtuprata, ducebatur in Prouinciam: Sed cùm appuliſſent omnes

Caietam, cæsus Hugo, liberata Maria, Robertus datus in vincula, quem coram se Maria à satellibus 4. interfici iussit, sic vlta pudicitiam suam violatam, *Matthæus Villanius*. Petrus Rex Castellæ Blancham filiam Petri Borbonij Vallesoleti duxit inuitus, & coactus à Matre, & Alburquertio; sed irretitus amoribus Mariæ Padillæ, hanc legitimæ vxori prætulit, à Iudæo mago vti creditum est adhibito fascino, quo ei Blancha Draco terribilis apparebat in coitu. Quare se totum Padilæ tradidit, atque Alburquerquium à se remouit, quíque stare à Blanchæ partibus videbantur, persecutus est, inter quos excelluit Alphonsus Coronelius nobilis Bæticus quem necauit leuissima de causa, cui filia, Maria fuit, eximiæ & stupendæ castitatis in viri sui Ioannis Cerdæ absentia, atque exilio *Mariana*, *Vita Innocentij*, *Rodericus*, &c. Vndecimo Augusti visa est in cælo ingens flamma trahens post se longum vaporem instar Draconis, quod ostenrum secuta est magna siccitas, & hyems asperrima, *Villanius*, *Trithemius*.

Anno Christi MCCCLIV. Eclipsis Solis contigit hoc anno die Mercurij 17. Decembris. Apud *Spondanum* quidam eam ponere videntur in principio Martij: *Author vitæ Innocentij à Bosqueto edita* 17. Decembris quidem, sed anno superiori. Innocentius ad Stephanum Regem Rasciæ litteras scribit, eúmque in Turcos Capitanei titulo cohonestat, ad quem & misit viros eruditos, qui inchoata à Bartholomæo Traguriensi Episcopo Minorita perficerent. Sed hæc omnia præstabat iste Rex, vt Ludouici Regis Hungariæ arma vitaret, per quem posteà captus, & remissus in regnum, posteà rebellauit, *Villanius*, *Thurosius*, *Litteræ Innocentij*. Abdala Rex *Montium Clarorum*, id est Atlantis maioris in Mauritania, finxit se velle Christi fidem amplecti, & Petri Castellæ Regis fidem implorat, *Matthæus Villanius*, *Mariana*. Idem Petrus Castellæ Rex insanire perrexit; simulat Maria Padilla pœnitentiam, & vult fieri Clarissa. Ducit Rex Ioannam Castriam viduam Iacobi Haro, assentientibus ex metu Episcopis Abulensi & Salmanticensi; quâ post vnam noctem, aut certè paucas relictâ, ad Padillam rediit; quare increpitus grauiter ab Innocentio addidit & libidini crudelitatem cæso Ioanne

Nunnio Calatrauæ magistro, & Alburquerchio per venenum sublato. Hinc facta in eum coniuratio procerum, & fratris Henrici nothi, ad Tordesillam; in quâ cùm insanire pergeret, eis Regina mater adhæsit Tauro oppido tradito. Quare peiora timens sese matri dedidit, qui ab ea vt captiuus detentus est Tauri, vnde tamen fugit Segouiam, quibusdam proceribus sibi deuinctis, *Mariana lib. 16.* Petrus Rex Aragonum suscipit expeditionem in Sardiniam, Alguerium obsidet, quod & ei redditum quibusdam conditionibus Regi inhonestis, quia fortiter restiterunt Genuenses, quibus Iudex Arborensis sufficiebat auxilia: fecit ergo cum eis pacem & ad sua cum dedecore rediit, ementitus: tamen Genuenses à Venetis ad Sapientiam victos, qui falsus rumor ei multum profuit, *Surita, Matthæus Villanius, & alij.* Superati enim verè sunt hoc anno ad Sapientiam Insulam, quæ ab antiquis *Sphagia* dicta est, Veneti Duce Nicolao Pisano, à Genuensibus, auxilio Archiepiscopi Mediolanensis, Duce Pagano Auriâ. Hic 4. Decemb. Classem Venetam 35. triremium, & 22. aliorum nauigiorum, sine certamine cepit, cùm ipso Pisano, & 5. hominum millibus. Vnde sic Venetiis trepidatum est, vt capta Ciuitas foret si Paganus vti victoriâ nouisset. Sed triumphans Genuam rediit, vbi data ei ex publico domus, eique postea mortuo inopi, funus magnificè paratum., *Petrarcha, Sabellicus, Petrus Iustinianus, Nebiensis, Folieta, & alij.* Archiepiscopus Mediolanensis, sibi totius spondens Italiæ dominatum 5. Octobris ex Antrace in fronte modico, quem sibi præcedi iusserat, repente obiit, *Villanius, Corius*, qui tamen dissident de eius pœnitentia cùm hic piè obiisse munitum Sacramentis, ille sine animæ aut bonorum suorum dispositione tradat. Venit in Italiam Carolus IV. Imperator, paruo comitatu & Mantuæ subsedit; vnde Mediolanum venit magnificè susceptus in speciem à Matthæo Bernabone, & Galeatio fratribus, filiis Stephani fratris Archiepiscopi demortui, sed reuera quasi captiuus detentus, *Matthæus Villanius lib. 4. cap. 39.* Balduinus Patruus Caroli Imperatoris Arch. Treuirensis hoc anno obiit 1. Febr. cùm huic sedi annis 46. cum magna pietate, & iustitia præfuisset, mulctato etiam grauiter affine suo crimi-

nis reo, *Magnum Chronicon Belgicum*, & *Kyriandri Annales Treuirenses, in quibus Breuiarium eius vitæ. Carolus Hispanus Cerda Comes Stabuli Franciæ, frater Ludouici Regis Canariarum ad Aquilam Normanniæ in lecto ab Harcurianis proceribus cæsus 6. Ianuarij, iussu Caroli Mali Nauarræ Regis. Ardebat enim inuidiâ Rex quòd Ioanni Regi nimis acceptus esset, & bonis cumulatus*, Villanius, Frossardus, Surita, Mariana, & alij. *Turbatus hac cæde Ioannes colloquio suorum biduo abstinuit. Ratus igitur vtendum arte aduersus Nauarræum armatum, eum Lutetiam vocat; recusat ille venire, nisi dato sibi obside Ludouico Andium Duce Regis filio, Hîc conuictus est criminis, & vt iudicij aliqua species seruaretur, à nouo Comite Stabuli in quoddam cubiculum iussus abduci, vbi ei impetrarunt veniam à Rege duæ Reginæ Ioanna, & Blancha, cum Guidone Bononiensi Legato Pontificio, eâ lege vt multas capellas & Missas fundaret pro anima Caroli interfecti*, Nangij continuator & omnes Historiæ Franciæ scriptores. Ioanna Regina magnam Siciliæ partem occupat per Nicolaum Acciaiolum Florentinum Ludouici educatorem, cum equitibus centum duntaxat 400. peditibus & sex triremibus. Nam deditæ ei Panormus vrbs Regia, Syracusæ, Mylæ, & aliæ ciuitates aut oppida, & castra 112. & totâ Insulâ potitus esset si maiori exercitu stipatus esset, *Villanius, Fazellus, & alij. Biturigibus ortum incendium mirabile totam vrbem absumpsit, præter maiorem Ecclesiam, vento quater mutato, vt integra relinqueretur*, Vita Innocentij Quarti. Flamma ingens primo die Martij ab Occidente in Orientem currere visa prænuncia magnæ siccitatis in Italia, *Matthæus Villanius*. Terræ motus ingens Thraciam vniuersam concussit. Tum Solymanus audiens contra se venire Mysos & Triballos obtulit Græcis oppida quæ cepisset, si sexaginta Dracmarum millia sibi numerarentur: Sed cùm eodem tempore hic terræ motus omnes vrbes Thraciæ muris spoliasset, mutauit consilium, restitit ibidem, & reliquas vrbes mœnibus carentes occupauit, *Chalcondylus lib. 1. Hist. Turcicæ*. Cantacuzenus videns se grauius præmi à Calo-Ioanne, quem spoliarat, coronandum curat filium suum Matthæum, cui facto se opponens Callistus Patriarcha sede depulsus est, eíque substitutus Philothæus Episcopus Heracleæ, *Cantacuz. lib. 4. cap. 37. & 38.*

Anno

Anno Christi M CCCLV. Carolus IV. Imperator 6. Ianuarij Coronam ferream accipit Modoetiæ *Monza*; inde versus Romam intendit; Pisas, Florentiam, Senas inuisit, peruenítque Romam in Cœna Domini habitu peregrini, & die Resurrectionis 5. Aprilis in ædem S. Petri deductus inunctus est, cùm vxore Anna, à Bertrando Cardinali Episcopo Ostiensi: huic inaugurationi interfuere 5. millia Equitum Germanorum & Bohæmorum, & plus 10. millibus equitibus Italis, inter quos, de more, nulla controuersia, ob prudentiam Imperatoris. Eâdem die recessit ab Vrbe, vt pollicitus erat Pontifici, adeò vt Romæ non accepisse Coronam, sed rapuisse videretur, *Matthæus Villanius, Petrarcha, Rebdorffius, Trithemius, &c.* Exinde cœpit ab Italis Carolus contemni: Certè Pisis multos ex suis perdidit, tumultu populari; Senis eiectus eius Frater naturalis Patriarcha Aquileiensis; prohibitus ipse intrare Mediolanum, aut vrbem aliquam ditionis Vicecomitum: vix Cremonam subire est permissus cùm paucis, ac sine armis, *Villanius, Corius, Dubrauius, & alij.* Ioannes Cantacuzenus coactus est exuere purpuram, eámque Caloioanni Palæologo reddere, captâ Constantinopoli industriâ & diuitiis Francisci Catalusij Genuensis: Quare Imperator Caloioannes dedit ei coniugem sororem suam cum Insula Lesbo. Cantacuzenus coactus (vel vt ipse scribit sponte, & pertæsus turbarum) factus est Monachus sub nomine Iosephi Christoduli; eius vxor Irene Monacha dicta Eugenia, in Monasterio S. Marthæ Constantinopoli. Ille Manganense cœnobium est ingressus, vnde in Batopediense Montis Atho se transtulit. Callistus Patriarcha restitutus est fugiente Philotheo eius Sedis occupatore. Matthæus autem primùm cum Caloioanne fœdus iniit, mox abrupit, Turcis etiam euocatis. Sed captus ad Philippos latitans in palude, factus est charus Palæologo, & cæteris eius amicis prælatus, cùm reuocatus esset Lesbo, & publicè cessisset Imperio, *Villanius, Cantacuzenus.* Tum viuebant Nicolaus Cabasilas, & Demetrius, quorum ille posteà factus Arch. Thessalonicensis, scripsítque contra S. Thomam, sed hunc Demetrius defendit, *Bellarminus, Posseuinus, Volaterranus, &c.* Io. Palæologus scripsit ad Innocentium de reconciliatione

Ecclesiæ & mira pollicitus est, *Litteræ Pontificiæ*, & Pontifex ei respondit. Venetiis Dux Marinus Falerius successor Danduli Tyrannidem affectans inRempublicam, re detectâ capite mulctatus est, coniurarores omnes laqueo statim suffocari; eius imago abolita, & nomen erasum ex albo Ducum 18. Aprilis, *Villanius, Sabellicus, Petrus Iustinianus, Petrarcha, & alij*. Sufficitur in eius locum Io. Gradonicus, sub quo pax facta cùm Genuensibus, vtrimque captiui restituti, datis tamen à Veneris 200. millibus Florenorum auri, iisdémque pollicentibus se non nauigaturos Tanam ad mercimonia sed tantùm Caffam, quæ præcipua tot cladium causa fuerat. Hâc pace noluit comprehendi Aragonius, quare oræ Catalanicæ magna damna illata per Philippum Auriam reducem ex Africa, vbi Tripolim occuparat, *Petr. Iustinianus, Folieta, Matthæus Villanius. Mortuus est hoc anno Claromontij in Aluernia 22. Maij, Humbertus quondam Delphinus Viennensis tum Dominicanus, eiúsque Corpus delatum Parisios, vbi Prior quondam fuerat*, Rebdorffius & Chronica Dominicanorum. Matthæus Vicecomes à fratribus veneno sublarus est, vel quia solus imperare volebar, vel quia Mediolanenses irritabat, vir intemperantissimæ libidinis, *Matthæus Villanius, & Corius*. Obiit Ludouicus Trinacriæ Rex 16. Octobris, ætatis anno 17. cui successit Fridericus frater annos natus 13. dictus *Simplex*, cùm vecors, & amens esset; eius soror Epiphania Vicaria regni constituta, *Villanius, Fazellus*. Societas Landina vigebat, sic dicta à Comire Conrado Lando Germano; post necem F. Morialis Hospiralarij: hæc Iraliam plurimùm vexauit numerans 4. ferè millia equitum, pedites mille, cùm sex millibus scortorum atque ganeonum, *Matthæus Villanius lib. 4. Angli Galliam atrociter populantur; Eduardus Valliæ Princeps Aquitaniam & Occitaniam, Frater eius Dux Lanclastriæ Armoricam, Eduardus pater loca circa Hesdinum, & Fanum S. Audomari*, Villanius, Frossardus, Valsinghamus, & alij. Petrus Crudelis sæuire pergit, Blancha in custodiam Saguntum amandara, Barroso Episcopo Sagunrino iniectæ manus. Adhæc Toletum ingreditur vt fratres hîc interciperet, sed hi iam fugerant: hinc multi ciues affecti supplicio, inter quos filius pro patre vitam fortiter subiit, Petro nihil hâc pietate

conuicto; Vrbs Taurum obsessa in qua Regis mater cum Henrico, & Friderico Fratribus, & robur coniuratorum; fugit Henricus, Fridericus acceptâ incolumitate, se dedidit, proceres in oculis Reginæ matris, ob ferale spectaculum exanimatæ, interempti, *Mariana lib.16. cap.21.* Rex Aragonum Petrus Pontificem adiit vt clientelarem fidem ei redderet pro regno Sardiniæ. Actum & de Corsica, sed conueniri non potuit, ob Vicecomites, Genuenses, & Petrum eam prensantes, *Vita Innocentij edita à Bosqueto, & Surita.* Mortuus est hoc anno Bartholus de Saxoferrato Iurisconsultorum facilè Princeps & bonus Mathematicus, sepultus Perusij, de cuius ætate varij varia scribunt, eique 46. vel 56. alij 50. tribuunt, *Palmerius, Trithemius, Iouius, Volaterranus, Lancelotus in eius vita, & alij.*

Anno Christi MCCCLVI. 10. Ianuarij Carolus Imperator promulgat Norimbergæ famosam illam *Bullam* dictam *Carolinam, & Auream*, de forma electionis Regis Romanorum, & de aliis rebus ad Imperium pertinentibus, *Bulla Carolina.* Eduardus Baliolus se Regem Scotiæ dictitans, transtulit ius suum in Eduardum Anglum, cùm iam Baruicum à Scotis captum recepisset, *Walsinghamus, Hector Boethius, Ioannes Maior, &c.* Clerus Anglicanus decimis, & exactionibus atteritur, *Harpsfeldius. Item & Gallicanus, sicut & alij Franci, ob bellum Anglicanum*, Villanius, Meyerus, *vectigalibus, Portoriis, omníque genere extorquendæ pecuniæ*, Paulus Æmilius, Belleforestius, & alij. *Delphinus tum Normanniæ præerat, dabátque epulum primariis viris huius Prouinciæ, cui etiam intererant Rex Nauarræ, & Comes Haricurianus; in vrbem Rex armatus ingreditur, monito priùs filio ne turbaretur, & duos illos conuiuas capit, Haricurianum & aliquot alios necis Comitis Stabuli reos, capite plecti iubet, Nauarræum includit carcere, & transferri Parisios iubet. Philippus Nauarræi Frater, & Gothofredus Patruus Haricuriani Eduardum Patrem in Normanniam accersunt, vbi hic ferro, flammáque sæuiit; sed statim Ioannes adfuit, qui eos retudit: Coactus est tamen hic mox partem copiarum ducere in Biturigas & Pictauos, vbi Eduardus Valliæ Princeps furebat*, Matthæus Villanius, Paulus Æmilius, Belleforestius, & alij. *Ioannes tutaturus regnum suum fugienti prope similem Eduardum Iuniorem ad Picta-*

nos assequitur. Proponebat hic impar Regi honestas conditiones. Sed Ioannes imprudentissimè eas omnes reiecit, & vt se ei cum suis vinctum dederet postulauit, illum igitur cum suis in Vinetis egregiè communitum aggreditur, sed magno suo, & totiùs Franciæ damno die Lunæ 19. Septembris. Nam victus & se dedere coactus est, vnà cum filio Philippo minimo natorum, qui licèt annorum vix sexdecim à patre diuelli non potuit, etiam vulneratus, vnde ei Imperterriti nomen. Ioannes omnes partes boni militis egit, superaturus sine dubio, si quarta suorum pars illi adhæsisset. Subductus è prælio Dux Aurelianensis Regis Frater, cum tribus Regis filiis adolescentibus, Rex ab Eduardo omni humanitate cultus, deductus primùm Burdegalam, inde in Angliam cum filio, Iacobo Borbonio, & multis proceribus: cæsi Francorum quinque aut sex millia; Proceres & nobiles ad 800. Quorum nobilissimi Petrus Dux Borbonius, Gualterus magister Equitum & Dux Athenarum, Robertus Dyrrhachinus, & alij: statim conuocati 3. Regni ordines; cura Regni demandata Delphino cùm aliquot Procerum consilio, qui tamen ostenderunt, ἀγαθὸν πολυκοιρανίην. Continuator Nangij, Vita Innocentij V I. Valsinghamus, Polydorus, Frossardus, Ægidius, Paulus Æmilius, & alij Franciæ, & Angliæ Scriptores. *Missæ item tunc in Normaniam copiæ contra Godefridum Haricurium, qui in eam Anglos euocarat, & qui ibidem in conflictu periit.* Ludouicus Hungariæ Rex Taruisium obsidet, munitissimum oppidum Venetorum, quod dum fame domare tentat, ipse fame compulsus, & rixâ suorum, obsidionem relinquere cogitur, cùm priùs honestissimas pacis conditiones repudiasset. Reliquit tamen in vicinis castris præsidia, quæ valdè Venetos vexarunt, *Matthæus Villanius, Sabellicus, Thurosius, Bonfinius, & alij.* Ij tamen Veneti paulo pòst totam Dalmatiam amiserunt, captâ Iaderâ, quâ Hungari sunt potiti, *Villanius, & Petrus Iustinianus.* Legatus Pontificis Ægidius se se fortiter, & sapienter in Italia gessit, multísque domitis, Crucem promulgandam curauit in Manfredios, Fauentinos, & Ordelassum Foroliuiensem. Manfredus se dedere coactus cum suis; Ordelassus in peruicacia restitit; in quem cùm Sacerdos quidam Mediolani Crucem promulgasset, Ordelasso geminus & par nequitiâ Bernabos, hunc concionatorem quasi in veru circumagi ad

ignem, & torreri iussit, *Villanius lib. 6.* Appetitus ergo à fœderatis Principibus Italiæ Bernabos, quibus adiunctus est Landus ductor magnæ Societatis, & Marquardus Episcopus Augustanus, vir rei bellicæ, quam Ecclesiasticæ peritior, creatus à Carolo Imperij Vicarius. Hi magnam intulerunt agris Bernabonis vastitatem; sed demum ab eo victi sunt, & capti duo illi duces: Landus laxatus à suis militantibus Vicecomiti; Legatus Mediolanum pertractus est, *Villanius lib. 6. & Corius.* Genuenses tum excusserunt iugum Vicecomitum, per Simonem Buccanigram, qui Dux Genuæ restitutus est, & dignitati ex qua depulsus erat, *Matthæus Villanius, lib. 7. Folieta, lib. 7. & alij.* Ludouicus & Ioanna Neapolitana transeunt in Siciliam euocati à Mammertinis, & excepti magno honore in Vigilia Natiuitatis. Sed inde recedere sunt coacti, cùm eorum exercitus ad Catanam obsessam ab eis, & reliquum Fridericianæ partis fugatus esset: sic partes Friderici reparatæ, qui iam de relinquenda Sicilia Petro Aragonum Regi cogitabat, *Villanius, Fazellus, Surita, Mariana.* Ortum est bellum atrox inter Petrum Aragoniæ, & Petrum Castellæ Reges, leui de causa, ob quam tamen multa vtrimque oppida capta sunt, & desolatæ regiones, *Mariana, Surita, Villanius. Celebrabatur tum Ioannes de Rupescissa,* de Roquetaillade, *Minorita Aureliaci in Aluernia, qui prophetam agebat, ideò datus in carcerem iussu Pontificis. Hic fortè idem est cum* Haibalo, *cuius meminit Henricus de Herefordia Saxo Dominicanus, & vox non abludit, nam Gallicè* (Hableur) *id est* (Blatero) *qualis vterque depingitur*, Spondanus ex Trithemio, & Vignerio. Terra horrendis motibus concussa est in Hispania, maximè Hispali & Cordubæ, *Villanius, Mariana.* Sed Basilea longè magis afflicta die 18. Octobris, quando & erupit ex Monasterio destructo ignis, qui totam vrbem decurrit, & quæ supererant ædificia ex terræ motu incendit. Albertus Dux Austriæ paratus eam obsidere, ob quædam iura controuersa, non abstinuit modò, sed & vrbem iuuit ne afflictis afflictionem daret, *Felix Faber in Historia Sueuica.*

Anno Christi MCCCLVII. *Traducere volebant Angli Ioannem captiuum in Angliam, sed obstitere Aquitani: Itaque arte opus fuit vt id perageretur, quasi pax aliter iniri non pos-*

ſet, Réxque liberari. Sic perductus eſt Londinum, ſed quaſi in triumphum, cæteroqui magnifico cultu, & regio exceptus, Villanius, Continuator Nangij, & alij Gallici Scriptores. *Intereà magnæ turbæ Pariſijs concitatæ ſunt à Marcello præpoſito Mercatorum, per quem tres Proceres Conſiliarij Delphini ad eius pedes cæſi ſunt: adeò vt Delphinus ipſe Galerum ex rubro, & cæruleo colore, factum inſigne ſeditioſorum, ferre cogeretur*, Capirium *tum vocabant. Tum quoque Nauarræus carcere ſolutus eſt, inuito Delphino, per quem Gallia turbata magis, Anglo hos tumultus fouente; adeò vt Delphino Lutetiâ fuerit exeundum. Tractabatur intereà pax; ſed iniuſta petebat Anglus, & quæ Galli ferre non poſſent: Itaque reuocatus ab iis Pariſios Delphinus, cæſus Marcellus, cum ſeditioſis quibuſque, vrbi huic magnæ vtcumque conſultum. Sed turbæ continuarunt, quas nutriebat Nauarræus:* Ruſtici enim & populi crearunt ſibi Ducem, *Quem dixerunt*, Iacobum Bonum hominem, *per quem maximè nobiles exagitati ſunt, Anglo de more illos fouente, atque incitante*, Continuator Nangij, Matthæus Villanius, Froſſardus, Gaguinus, &c. *In Anglia cùm Ioannes accumberet menſæ cum Eduardo, & miniſter priùs poculum obtuliſſet Eduardo, quàm Ioanni, Philippus Filius ei colaphum infregit, vnde ei* Imperterriti *nomen* ſeu *impauidi*, *Gallicè* le Hardy, *quia Eduardus Gallicè ei dixiſſet*, Vous eſtes Philippe le Hardy, *alludendo ad cognomen Philippi Patris S. Ludouici*, Meyerus & Fancicæ Hiſtoriæ Scriprores. *Societas quoque Graſſatorum tum coaluit in Gallia, per quos miſerè lacerata eſt ſub* Arnoldo de Seruola *ſeu* de Carnola *Vaſcone, qui vulgò dicebatur* Archipreſbyter de Verniis, à Villanio *vocatur* Archipreſbyter Petracorienſis, *quod à Cardinale Petracorienſi crederetur eſſe incitatus: hæc tandem Societas inediâ & fame conſumpta, populis in eam ob damna coniurantibus, quæ & Pontifici Auenione terrori fuit*, Matthæus Villanius, Froſſardus. Reges Aragoniæ, & Caſtellæ diſſidentes capitalibus odiis in auxilium ſuum Mauros accerſunt, *Litteræ Innocentij.* Petrus Caſtellæ Rex ſæuire pergit; Fridericum fratrem ſuum in oculis ſuis interfici iubet; Parabat idem alteri fratri Tellio, ſed hic effugit: Ioannem quoque Regis Aragonum fratrem ei militantem, etiam ſuâ manu, vt quidam volunt, interemit, cuius corpus in plateam proiici, deinde in flu-

uium iussit, prohibuítque sepeliri, & alia fecit, quæ à *Scriptoribus Hispanis* commemorantur, & à *Matthæo Villanio*, quæ *Hispani* tacuerunt: Quare eum Aragonius ad singulare certamen prouocauit aut viginti, aut 50. aut centum equitum, quod Castellanus viribus maior irrisit. Obiit hoc anno mense Maio Olysippone Rex Lusitaniæ Alphonsus annos natus 67. cùm annis vno & triginta regnasset, cui successit Petrus Filius annos natus 37. crudelitate, & libidine infamis, *Mariana*, *& alij*. Ægidius Legatus res Pontificias egregiè curat, etiam Ordelasso Foroliuij obsesso; reuocatus est ergo à Pontifice, qui ei obuiam cum Collegio Cardinalium ad duo millia passuum processit, & publicâ oratione laudauit. Successerat ei Ardoïnus Abbas Cluniacensis, sed ei & prudentiâ, & fortitudine impar: Quare remittendus fuit in Italiam cum summa potestate Ægidius, *Matthæus Villanius lib.* 8. Causa Ricardi Fitzrasij Hiberni quondam Cancellarij Oxoniensis, posteà Archiepiscopi Armacani contra fratres Mendicantes insurgentis, Auenione agitata est, qui eos extinguere, aut certè in multis corrigere nitebatur, sed cùm videret res suas malè procedere, reliquit Auenionem vt rediret in Angliam, & Montibus Hannoniæ obiit, scripsit *Defensorium Curatorum*, cui multi responderunt. Tantùm autem abfuit vt tum priuilegia Mendicantium abolerentur, quin potiùs confirmarentur, vt queritur *Valsinghamus*. De eo vide *Harpsfeldium*, *& Wadingum*, qui etiam eum miraculis post obitum referunt claruisse; de eius erroribus *Bellarminum* lege.

Anno Christi MCCCLVIII. Immunitas Ecclesiæ, & priuilegia Episcoporum atque Clericorum turpiter in Anglia violata sunt, in causa Thomæ Lilæi Dominicani Episcopi Eliensis in carcerem coniecti, *Walsinghamus*, *Harpsfeldius*, Landina Societas grandem in Apennino monte accepit cladem à Rusticis montanis in eam irruentibus, quando & captus Landus pecuniâ se redemit. Iratus inde hic Florentinis collectas copias in eorum agrum effudit; sed hi fortiter restiterunt, & Duce Pandulpho Malatestâ in Longobardiam recedere compulerunt cum suis grassatoribus, *Matthæus Villanius*, *Leonardus Aretinus*, *S. Antoninus*. Mortua est hoc anno S. Gertrudis de Oësten de qua anteà an-

no 1340. miraculis clara, & ſpiritu prophetiæ, grauiter à dæmonibus vexata; obiit autem cum 5. vulneribus Chriſti, quæ ramen ne ſanguinem effunderenr à Deo obrinuerat, *Ioannes à Leidis & Surius 6. Ianuarij, & alij.* Dux Auſtriæ qui parri ſuo Seniori hoc anno morruo ſucceſſerat, Patriarcham Aquileienſem, è Turriana familia Mediolanenſi, iura ſuæ Eccleſiæ defendenrem, & ad Carolum Imperarorem euntem intercipit, & Viennæ detinet, atque adeò malè haber, vt in carcere moreretur, *Villanius, & Onuphrius.* Paſſus eſt Marryrium Cayri Nicolaus de Monre Corui Minorita cum 2. ſociis, quod Thomam Hungarum factum Mammalucham ad fidem reuocaſſet, qui paſſus eſt cum illis Martyrium, ſecti omnes, & in fruſta conciſi in ignem proiecti ſunt, culri à Cairenſibus, quòd ſuper eorum corpora fulgor apparuiſſer, *Wadingus. Carolus Nauarræus Franciam turbare pergit,* Gallici Scriprores; vr Petrus Caſtellanus crudeliter deſæuire, *Mariana & alij Hiſpani Hiſtoriæ Scriptores.* Guillelmus Bauarus Hollandiæ, Zelandiæ & Hannoniæ Comes fir phreneticus, & in phreneſi ſua 30. annis vixir, & obiir, de quo ſuperiùs egimus, *Ex Hiſtoricis huius Gentis.*

Anno Chriſti MCCCLIX. Carolus Imperaror quædam petir à Ponrifice, quæ non obtiner: & verò conquerebatur de Papa, qui magis pecuniæ, quàm reformarionis Clericorum ſollicirus eſſe videbatur, *Nauclerus, & Magnum Belgij Chronicon.* Perrus Rex Caſtellæ efferatur victoriâ ab Aragoniis relatâ per Henricum & Tellium frarres eius ſpurios, Perro Aragonio militanres, ad radices Cauni monris iuxta Arauiam, menſe Septembri: Quam ob cauſam duos alios ſpurios fratres ſuos Ioannem 18. annorum, & Perrum 14. cædi iuber. Morti etiam addixit Eleonoram Amitam ſuam, vxorem Regis Aragonum, & Ioannam Tellæi coniugem quas in carceribus habebat, *Mariana lib. 17. cap. 3.* Petrus Aragonius Patruus Petri tum Aragonum Regis, mortuâ coniuge ſuâ Ioannâ, fir Minorira, in quo Ordine pientiſſimè vixir, *Surita, Blancus, Wadingus: vt in Gallia factus eſt Dominicanus Carolus Comes Alenconius Princeps Regij Sanguinis*, Epiſtola Innocentij; *qui poſteà creatus eſt Apchiep. Lugdunenſis. Eduardus Pater & Filius Franciam ingrediuntur*

cum

cum [illegible] *millibus armatorum, & vndecies centenis nauibus. Rhemos frustra tribus mensibus aggressus est, sicut & Trecas, & Catalaunum magnis præsidiis vrbes munitas. A Duce Burgundiæ magnam vim auri emunxit, ne eius ditionem expilaret. Parisios quoque obsedit, vnde & repulsus, quamquam ei Nauarræus Rex fauente quare, Delphino nequaquam ei pugnæ copiam faciente, remeat in Armoricam, agros tantùm vastans, & gaudens sibi pacem ab eodem Delphino offerri*, Matthæus Villanius, Frossardus, Gaguinus, Paulus Æmilius, &c. Ordelaffus Foriliuij Tyrannus sese dedere cogitur Ægidio Legato, à quo ducem Fauentiam, vbi errores suos eiurat, & duo accipit oppida, quibus subditus Pontifici frueretur, *Matthæus Villanius lib. 9. cap. 36.* Cazimirus Rex Poloniæ Walachos aggressus ab eis victus est, arboribus succisis in eius copias euersis, paucis de vltimo eius agmine mortem aut captiuitatem euadentibus, *Michouius, Cromerus.* Mortuus hic est anno Hegiræ 760. Orchanes Turcus anno ætatis 80 cum amisisset primogenitum suum equi lapsu in venatione collisum. Successit ergo Orchani Amurates cognomento *Gazis*, hoc est, *Heros*, qui domitis quibusdam [illegible]bus Didymotichun in Thracia cepit fraude. Hic *Ianizaros* excogitauit, seu *Genitzaros*, id est, *nouos milites*, Turcice, *Leonclauius Annal. Turcicorum lib. 5. & in pandectis 35.* de nomine Ianissarum vide Vigenerum ad Chalcondylem, quod nomen à *Porta* seu *Ianua* deduxerat.

Anno Christi MCCCLX. *Eduardus populatus agrum Carnotensem deterretur diuinitus fulmine, & inusitatâ grandine, quibus multi è suis cum equis obtriti sunt; itaque conuersus ad ædem B. Virginis Carnotensis, quæ eminus visitur, veniam effusi sanguinis, & inflammatarum domorum petiit, prostratus in genua, & iustis conditionibus pacem se daturum Francis concepto voto promisit. Quare paulò pòst ad Britiniacum* Bretigny, *8. Maij pax conclusa est, Aquitania certis terminis definita ei cessa cum Calisio, Guinis, & Comitatu Pontiui; Rex vt liberaretur persolutis tribus auri millionibus, datisque duobus Liberis obsidibus*, Nangij Continuator, Villanius, Walsinghamus, Frossardus, Gillius, & alij. *Sic Ioannes solutus est, ac primum Bononiam, vt B. Virginem salutaret, venit; deinde Sandionysium vt tutelares Franciæ patronos, denique 13. Decembris Lutetiam in-*

greſſus cum ingenti ſuorum, & exterorum gaudio, & gratulatione Petrarcha, & alij. *Ioannes filiam ſuam Iſabellam dedit Ioanni Galeatij Vicecomitis filio, dato ei Comitatu Virtutum, & acceptis dotis nomine* 600. *Florenorum auri millibus, quibus Anglo faceret ſatis*, Matthæus Villanius, lib. 9. cap. 15. *Aquitanicæ ciuitates datæ Anglo, ægrè admodum ad eum tranſierunt.* Itaque dedit Eduardus Rex filio ſuo Eduardo Aquitaniam, *Valſinghamus, Nangij Continuator, & alij.* Vterque Rex effecit apud Pontificem, vt Androinus præcipuus pacis author ad Britiniacum fieret Cardinalis, quod factum 17. Sept *author vitæ Innocentij VI.* inuitatus eſt à Pontifice Petrus Rex Caſtellæ vt rediret in gratiam cum Blancha vxore, ad monitus eſt, & à ſuis, in quos ferro, flammiſque ſæuiit, & quorum nomina, & neces proponit, *Mariana lib* 17. *c.* 4. Obſidebat Bernabos Vicecomes Bononiam, quam cum defendere non poſſet Aulegius, eam Ægidio tradidit, factus ab eo Firmi Marchio. Obſedit eam nihilominus Bernabos, ſed eam fortiter auxilio Sociorum Ægidius defendit, Galeacius frater eius miſit ad Innocentium ſuos oratores, a ſuo fratre diſiunctus; ſic ſuſpenſa fuit lata in eum ſententia, *Littera Pontificiæ, & Villanius.* Roma valdè turbata frequenti Senatorum mutatione, quam Romani poſtulabant, *Matthæus Villanius, & Litteræ Innocentij. Turbata maxime alia Societatibus Graſſatorum ſub varijs nominibus, vel Ducum vt* Ioannis de Acutis *Angli*, Petri Meſquini, *id eſt*, Parui Arueeni, &c. vel ſignorum aut colorum, vt *Societatis Albæ, Capelli*, id eſt, *Pilei*, & *Stellæ*, vel denique confictorum nominum, vt *Bonorum hominum*, & *Tarde-venientium*, omnes communi nomine dicti, *Melandrini, quæ Societates etiam Pontifici & Regi Francorum fuerunt metuendæ: Certe hic Auenionem muniit, & Crucem prædicari iuſſit. Ille etiam copias coëgit, quæ ab his Latronibus fuſæ ſunt*, Matthæus Villanius, Author vitæ Innocentij, Froſſardus, Walſinghamus, & alij.

Anno Chriſti MCCCLXI. Contigit Ecclipſis Solis die Mercurij 5. Maij: Peſtis inchoata 1348. & quæ deferbuerat, hoc anno recruduit, quâ afflatum etiam Mediolanum, hactenus ob aëris ſalubritatem intactum, *Matthæus Villanius, Franciſcus Petrarcha.* Laurentius Celſus ſuccedit

Delphino Venetiarum Duci annorum 46. Electus ob falsam famam relatæ victoriæ de hostibus; hic Crucem Pileo suo affixit, vt Pater eius superstes, coram illo in ceremoniis stare posset aperto capite, quasi hunc honorem non filio, sed Christo redderet, *Petrus Iustinianus, lib.* 4. Petrus Rex Castellæ composito cum Aragoniis fœdere, *audiens Henricum & fratres in Galliam recessisse, vbi ei bellum parabant, Blancham vxorem, quasi horum malorum causam, veneno tollit per medicum, anno ætatis* 25. Eodem quoque ductu, veneno Isabellam coniugem Ioannis Aragonij sustulit. Obiit tamen eius nobile Scortum Maria Padilla, cuius funera toto regno quasi Reginæ magnificè celebrari iussit. Tum quoque renouauit bellum cum Aragoniis, cùm Rex Nauarræ in eius partes transiisset, quoniam sibi Aragonius contra Regem Franciæ non fauisset; *Mariana lib.* 17. Implicuit se quoque Petrus Crudelis bello Maurico, & patrocinium suscepit Lagi Regis Granatensis, quem expulerat Mahometes cognomento Rufus, Rufus ergo nimiùm pressus ad Petrum fide datâ confugit, cum thesauris; sed hunc thesauris, vitâque spoliauit Petrus, & impositum asino purpuratum propriâ manu occidit, *Mariana*, eiusque caput ad Lagum misit, qui statim regnum recepit, *Matthæus Villanius.* Petrus Rex Cypri nauigans centum nauibus, cum Hospitalariis in Turcos Attaliam (*nunc Satalia est*) vrbem cepit, licèt tribus cinctam muris: item & Sidam (*Candalor*) cuius se Regulus sponte obtulit vectigalem, *Matthæus Villanius.* Multa hoc anno contigêre incendia, quorum celeberrimum mense Augusto Basilicæ Lateranensis, quam exustam suo tempore Clemens V. repararat: In eius tecto reficiendo cum plumbarius laborans, ignem passus esset cadere in trabem, quam incendit, vnde per totam Ecclesiam flammæ sine remedio sparsæ sunt, *Villanius, & alij.* Natus est hoc anno Carolo IV. Imp. filius Wenceslaus qui Baptisterium Norimbergæ alter Copronymus incacauit, sicut & Bimulus aram, dum Rex Bohæmiæ coronaretur, *Dubrauius lib.* 23.

Anno Christi MCCCLXII. *Platina in Innocentio,* ait tantam Solis Ecclipsim fuisse, vt post hominum viuentium memoriam huic similis visa non sit. Apparuit & Cometes

ingens 11. Martij, quæ varia à variis describitur secundum varios aspectus scilicet, *Matthæus Villanius*, *Chronicon Burdegalense*, *& Michouius Polonus*. Sæuierunt & in Anglia tempestates cum multarum domorum euersione, *Walsinghamus*. Romani de more turbati sunt Reip. & vrbis variâ administratione: tandem se Romano Pontifici dediderunt cuius administratione regerentur, excluso tandem Ægidio, qui tamen iis regendis par vnus videbatur. Quare scripsit libros 6. Constitutionum pro statu vrbis & Piceno, quos posteà Sixtus IV. diplomate approbauit, *Villanius*, *& Bullarium*. Obiit in Vigilia Ascensionis 26. Maij Ludouicus Rex Siculus Neapoli, anno ætatis 42. qui se ad mortem multis peregrinationibus compararat, quare statim actum de 3. Marito Ioannæ dando, quia liberis hæc carebat, *Villanius*, *Summontius*. *Auenione 12. Septembris mortuus est senio iam confectus, ex arthiritide Innocentius VI. cùm sedisset annos 9. menses 8. dies 26. Sepultus in Carthusia quam fundarat, dixerátque Vallem Benedictionis ad Villanouam trans Rhodanum; vir planè magnus. Is Petrarcham sibi ab Epistolis habere voluerat, sicut & Rex Franciæ, & Carolus Imperator, sed iis omnibus senectutem causatus erat, licèt annorum esset tantùm duodesexaginta; & verò sapienter priuatum otium curialibus negotiis præferebat, & maximè Pontificiis, in qua nonnumquam stylum exercuit*, Author vitæ Innocentij, Matthæus Villanius, & alij. *Innocentiò suffectus post aliquas in conclaui dissentiones Guilelmus filius Grimoaldi Militis, seu Nobilis, natus in castro Grisaco paternæ ditionis, in Mimatensi, seu Gabalitana Diœcesi, annos tum natus 60. ex Abbate S. Victoris Massiliensis renunciatus Pontifex die 28. Octobris, quo Massiliam appulit: longè enim anteà electus erat, sed suppressa eius electio, ne ab Italis retineretur, Auenionem ingressus est in Vigilia omnium Sanctorum, & 6. Nouembris coronatus, sub nomine Vrbani Quinti*, Author vitæ Vrbani V. *Hic statim Curiam purgauit Pontificiam iussis illico Pastoribus ad proprias oues redire*, Franciscus Petrarcha. *Negauit & in Gratiam Bernabouem recipere, nisi is terras Ecclesiæ restitueret, & seriam ageret de suis sceleribus pœnitentiam; nec acquieuit precibus Ioannis Regis Franciæ pro eo intercedentis, qui tum Auenionem accesserat: quare ab eo Rex secessit iratior: immò eundem Bernabouem denuò perculit Ana-*

themate, Matthæus Villanius, & author vitæ Vrbani. *Pugna atrox commissa est inter Ioannem Comitem Armeniacum, eiúsque fautores, & Gastonem Fuxi Comitem apud Insulam prope Tholosam 5. Decembris; quo cæsa sunt vtrimque tria equitum millia. Vicit Fuxensis, captus Armeniacus cum proceribus, qui ei fauebant*, Villanius, & Vitæ Vrbani author. Eduardus in Anglia die S. Britij annum ætatis suæ 50. celebrauit, quo reuocauit exules, carceres aperuit, reis omnibus veniam indulsit, 50. pauperes vestiuit, vnde Polydorus putat fluxisse morem in Cœna Domini totidem pauperes vestiendi, quot Rex annis vixit. Statuit & in Comitiis Westmonasteriensibus, vt ius deinceps Anglicâ linguâ, non Gallicâ, vti anteà, redderetur, *Polydorus, Walsinghamus, & alij.* Cazimirus hoc anno cùm fames Poloniam & vicinas regiones premeret, liberalissimum se præbuit, apertis horreis suis, exteris quidem iusto pretio, suis autem permutatione rerum, & operâ laborantium: sícque Vrbes multas, & castra communiit. Obtinuit & ab Vrbano Leopoli in Russia Metropolitam, & Cracouiæ nouam Academiam, *Michouius, Cromerus.* Amurathes Gazis hoc anno vi & fraude Hadrianopolim occupauit, eámque Sedem Turcici fecit Imperij, *Leonclauius, & alij.* Reductus est in Sedem suam Constantinopolitanam Philotheus olim Monachus Montis Atho, & Episcopus Heracleæ Turcicæ, Græcis acceptissimus, & quia peruicax Schismaticus, & fautor luminis increati Taborini, *Cantacuzenus.*

Anno Christi MCCCLXIII. Bernabouem Vicecomitem Vrbanus V. anathemate percussit, fremente Rege Franco, & Cardinalibus eius fautoribus. Hic exercitum ducit in agrum Ecclesiæ Mutinensem, vbi deletus est, & captus eius filius nothus Ambrosius. Quare petiit arbitrum Carolum Imperat. sed statim reparauit bellum, itaque Vicariatu à Carolo exutus est, *Waldemarus, Matthæus Villanius, & Corius.* Tres Reges, Franciæ, Ioannes Cypri, Petrus Daniæ Crucem de manu Pontificis accipiunt, & in Turcos intra biennium pollicentur peregrinationem, *Villanius, Froissardus.* Conuenerunt item hoc anno Craconiam 4. Principes Carolus Imp. Daniæ Waldemarus, Hungariæ Ludouicus, & Poloniæ Cazimirus ad controuersiam inter

Carolum Imp. & Ludouicum dirimendam, quæ spectabat ad bellum, ob vocem non satis concoctam in marrem Ludouici, quo eius pudicitiam reuocabat in dubium. Negotium compositum est operâ Ioannis Minoritæ viri eloquentissimi; immo & Carolus duxir neprem Casimiri, nupriis exquisitâ magnificentiâ celebraris, operâ Verinei Germani Consulis Cracouiensis, *Michouius, Cromerus, & aly.* Rex Cypri Regna alia peragrat ad solliciranda contra Turcos auxilia, cùm vr hi terunderentur, tum vr Gallia & Iralia Socieratibus Grassarorum liberarenrur, qui in Barbaros meliùs, & sanctiùs erant pugnaturi, *Author vitæ Vrbani V.* Albertus Dux Megalopolensis, Magni nepos eligitur Dux Sueciæ prærerito Magno Hacquino eius filio; sed Albertus morruis duobus suis æmulis in Noruegia, & eorum metu liberarus euasit in tyrannum. Quare posteà victus & captus est à Margarita Waldemari Daniæ Regis filia, quæ exinde & eius vxor fuit, & Regina rrium regnorum Sueciæ, Daniæ, & Noruegiæ, *Ioannes Magnus, Krantzius, Pontanus, Lindenburgius.* Ioanna Regina Siciliæ vtriusque, prætetito Philippo Turonum Duce filio Regis Francorum, nubit Iacobo Aragonio filio Regis Maioricarum, qui diu inclusus custodiâ, & noctu caueâ ferreâ, solerter & fortirer adulterinis clauibus adhibiris, & cæsis custodibus primo Maij anno superiori effugerat, hoc anno Neapolim accessit & Ioannam duxit, assentiente Pontifice. Hic adhæsit Regi Castellæ conrra Aragonium, à quo tam malè acceprus erat, *Matthæus Villanius, Summontius.* Cùm Aragonij Regis res dilaberentur, & Perrus Crudelis præualerer, tandem operâ Ludouici Fratris Regis Nauarræ, & Abbatis Fiscampensis Nuncij Apostolici inter eos fœdus coaluit etiam nuptiis firmatum, sed turpissimum: nam in arcanis pactis statutum vt Petro Crudeli Henricus, & Ferdinandus traderenrur, quasi omnium bellorum aurhores. Er vero mox rrucidatus Ferdinandus in conuiuio, Petri iussu. Henricus autem vocarus est in Arcem Vncastellanam vbi à Regibus Aragonio, & Nauarræo destinatus erat ad mortem, sed hanc impediit Arcis præfectus, negans apud se necandum virum fide publicâ euocatum. Sic incolumis euasit Henricus, & sublato æmulo Ferdinando, pararior ad regnum

Castellæ recuperatum, quod ei plerique debitum afferebant. Quare nonnulli Ferdinandum Henrici fraude necatum suspirati sunt, *Mariana, Surita.* Locustæ ex Dalmatia ortæ magnam Italiæ partem depastæ sunt, Solem aliquando oculis mortalium eripientes. Abstinuerunt ab earum esu pisces, & animalia. Si à gallinis ederentur hæ ova venenata edebant, tandem vento in mare deiectæ, submersæque, & in littus reiectæ fœtorem pestiferum reddidere, *Villanius, Corius, Bizarus, Chronicon Burdegalense, &c.* Obiit hoc anno ex pestilentia, vt aliàs Ioannes eius frater, Matthæus Villanius die 13. Iulij. Eius filius *Philippus Villanius* Patris Historiam aliquot capitibus continuauit. Florentini & Pisani animis obstinatissimis anno superiore renouatum bellum continuarunt, accersitis in suas partes Societatum Grassatoribus, sed cùm anno sequenti Florentini victores extitissent operâ Nunciorum Pontificiorum pax inita, honorifica Florentinis, *Leonardus Aretinus, & S. Antoninus.*

Anno Christi MCCCLXIV. *Ioannes Franciæ Rex edicit ex Anglia redux, vt Iudæi quos Carolus filius redire concesserat, ob rerum suarum inopiam, signo aliquo distinguerentur, nempe pannis candido & rubro ad vestes patenti loco assutis,* Tabularium Regis. *Idem Ioannes traiicit in Angliam, cuius transitus vera causa fuit amor pacis cum Anglo, ex cuius custodia Ludouicus Andium Dux aufugisset, nec redire vellet, & vt negotium Terræ sanctæ promoueret,* Philippus Villanius, & Historiæ Gallicæ Scriptores. *Nec enim curandus Boethius, qui aliud recessisse, quod à suis inertiæ argueretur, aut alij, qui amore fœminæ cuiusdam Anglicæ impulsu rediisse fabulati sunt. Hoc anno eum obiisse Londini 9. Aprilis, anno ætatis 56. Regni 14. Magnificè ei ab Anglis parentatum, remissum corpus in Galliam, eiusque sarcophago Iudices Senatus Parisiensis succollasse,* Continuator Nangij, & Philippus Villanius. *Patri successit maximus natu filiorum Carolus cognominatus Sapiens annos circiter 30. natus. Qui coronatus est Rhemis cum Ioanna Borbonia coniuge [illegible] Maij die SS. Trinitatis magnâ celebritate,* Meyerus, & alij. *Statim Ducatum Burgundiæ ex voluntate Ioannis Patris cum dignitate Primi Franciæ Paris dedit fratri suo Philippo,* Audaci, *seu* Imperterrito, *reclamante licèt Carolo Rege Nauarræ,*

qui ob id magnos motus excitauit, Continuator Nangij, Philippus Villanius, Mariana, & alij. *Cæsus est hoc anno Carolus Blesensis prælio ad Darienem 29. Septembris, a Ioanne Monfortio genero Eduardi, qui & potitus est Armorica, de qua iam annis 22. certabatur. Carolus enim controuersiam ipsam composuit inter victorem, & victi viduam. Carolus ille Blesensis miraculis & viuus, & mortuus claruit, adeo vt actum sit de eo inter cælites referendo*, Continuator Nangij, Walsinghamus, Meyerus, Argentræus, & alij. *Hoc anno a Carolo Sapiente & Vrbano V actum de eiiciendis ex Francia* [illegible] *tatibus: obtulit sese egregia occasio, bellum* [illegible] *in Petrum Crudelem, & reductio Henrici Trastamaræ eius fratri. Dux expeditionis huius selectus Ioannes Borbonius vlciscendi sanguinem sororis suæ, & propter ætatem huic additus Dux* [illegible] *Guesclinus Dux omnium sui temporis fortissimus, & Sa*[illegible] *simus, cui se multi nobiles Galli coniunxerunt eius fama* [illegible]. *Exercitus ille collectius fuit triginta millium, vt vult Froissardus, sexaginta millium, vt scribit* Walsinghamus. Circa id tempus, in expeditione nauali magnum discrimen adiit Petrus Crudelis, quo perfunctus vicinum Beatæ Virginis Templum, nudis pedibus, cum solo indusio lineo, & reste collo insecta adiit, *Mariana*. Nihil propius fuit quàm vt Rex Aragonius anathemate feriretur: suspendit Pontificis sententiam eius Patruus Minorita ad Vrbanum missus, *Surita*. Pax inter Bernabouem, & Vrbanum coiit orantibus pro illo regibus Galliæ, Cypri, & Carolo Imperatore: reddidit ille Bononiam Androino iam Cardinali. Sed pacta non seruauit: destruxit enim castra aliqua Guelphorum, *Philippus Villanius, Bernardinus Corius, Hieronymus Rubeus, & Litteræ Pontificiæ*. Obiit hoc anno 17. Sept. Neapoli Robertus Princeps Tarenti dictus & Imperator Constantinopolitanus redux ab expeditione, qua Corcyram, Cephaleniam, Zacynthum & Leucadem occupauit: successorem ipse ἄτεκνος habuit Philippum fratrem verum Mariæ Sororis Ioannæ, *Summontius*. Creta rebellis occasione cuiusdam tributi Venetis reddita est, Genuensibus auxilium ei dare recusantibus, & immisso valido exercitu à Venetis, quo fusi rebelles, & mulctati, *Petrus Iustinianus, & Petrarcha*.

Anno

Anno Christi MCCCLXV. Orta est controuersia inter Petrum Cypri Regem atque Genuenses, quòd cùm hic Rex magnificè exceptus esset Genuæ, Dux Simon Burca-nigra, qui ab eius latere numquam discesserat, in epulo, in quo inuitatus erat cum Rege à Genuensi negotiante in Cypro, veneno potatus esset & paulò pòst obiisset, vnde turbata ciuitas fuit, *Nebiensis, Folieta. Societas Grassatorum Gallorum, & Anglorum ingressa Sabaudiam & Alsatiam Duce vel Archipresbytero Petragoriensi, vel Iacobo Bono-homine in nobiles atrociter sæuiit: sed victi deletíque à Carolo Imperatore, quando & Iacobo Bono-homini cutis viuo dicitur esse detracta*, Argentinense Chronicon, Author vitæ Vrbani, Nauclerus, Trithemius, & alij. *Intereà Societates Grassatorum Duce Guesclino versus Hispaniam tendunt; priùs tamen absolutionem criminum suorum ab Vrbano Auenione petituri: eò accedunt cum Guesclino isti latrones fremente Pontifice, & in eos fulminibus Ecclesiasticis detonante. Sed quid ista prodessent, in homines dæmonibus nequiores, & factos ipsa excommunicatione intractabiles. Emunxerunt ergo depopulationibus suis ab Vrbano & suis Cardinalibus grandem pecuniam, & Appendicis loco omnium suorum peccatorum indulgentiam*, Author vitæ Guesclini, & alij Gallicæ Historiæ Scriptores. Petrus Cypri Rex videns mortuo Ioanne Franciæ Rege expeditionem Orientalem euanuisse, collectis ipse auxiliis Francorum, Anglorum, & Hispanorum, additis sibi Hospitalariis cum grandi Classe nauigat in Ægyptum, vbi Alexandriam cepit, saltem ex parte XI. Octobris, deinde desperans illam seruare, diripuit & incendit, *Petrarcha, Bosius, Belli Sacri Continuator, Walsinghamus, & alij.* Inuitatus ad hoc Bellum Carolus Imperator, negauit id è re Christiana esse, quia hæc expeditio semper malè Christianis cesserat, *Dubrauius lib. 22.* Venit hic Carolus Auenionem, & Arelatem, vbi Rex Arelatensis creatus est. Ad quem missi Oratores à Principibus Longobardiæ, vt contra Bernabouem incitaretur, sed Carolus in Italiam transire noluit, sibi nimis suâ leuitate, & perfidiâ notam, *Krantzius, Corius, Ceremonialis liber Ecclesiæ Romanæ. Dispensat Vrbanus de affinitate inter Philippum Burgundum, & Mariam Flandriæ hæredem, & multarum in Belgio ditionum, quod negauit Regi Angliæ, quia ad pacem*

magis conducere videbatur, Author vitæ Vrbani Quinti.

Anno Christi MCCCLXVI. Græci pressi à Turcis & ad summas angustias redacti, redire in sinum Ecclesiæ de more simulant: Itaque promittitur iis auxilium ab Vrbano. Nec vanæ eius fuere pollicitationes. Nam Ludouicus Hungarus, quem ipse Caloioannes Budam adierat, totam Bulgariam subegit, capto eius Principe Strachemero, quæ & magna ex parte conuersa est, & Baptismo eluta per Minoritas euocatos à Ludouico ex Bosnia. Amedæus quoque Sabaudus Gallipolim in Thracia Chersoneso cepit, & Caloioanni reddidit, mox tamen à Turcis receptam. Petrus Rex Cypri Tripolim & aliquot oppida Saracenis eripuit: Quare Sultanus Ægidius Cacinus Abualmalius Zahabenus omnes Mercatores Latinos comprehendi iussit: dimisit tamen omnes Catalanos, & Aragonios metu Petri Aragonij eum rogantis, & Corpus S. Barbaræ ab iis exportari permisit; sed quominùs efferretur, impediere Christiani Ægyptij degentes in solitudinibus, huic Sanctæ addictissimi, *Litteræ Vrbani*, *Thurosius*, *Surita*, *S. Antoninus*, *Minorum Annales*. Vrbanus V. in Italiam redire cogitat, maximè commotus litteris Francisci Petrarchæ, *Vita Vrbani Author*, *Gobelinus*, *Walsinghamus*, *Litteræ Pontificiæ*; ideóque scribit ad Venetos, & Genuenses vt sibi triremes parent: & ad Ægidium Legatum vt Arcem Viterbiensem egregiè communiat, & rebus omnibus necessariis instruat. Henricus Comes Trastamaræ cum suis copiis Societatum, & nobilibus Gallis Duce Guesclino transit in Hispaniam, & captâ Calagurri, se Regem Castellæ dicit; hinc Burgos occupat, deinde Toletum, & Hispalim, ab omnibus Castellanis exceptus. Quare Petrus Crudelis primùm ad Regem Lusitaniæ, exinde in Aquitaniam, & Baionam, cum thesauris ad Eduardum traiicit, vbi Carolus Nauarræus cum eo fœdus init, *Mariana lib.* 17. *Walsinghamus*, *Author vitæ Vrbani*, *Vita Guesclini*, *& alij. Carolus Sapiens*, *exemplo Vrbani V. vestimentorum & calceorum insanas formas sustulit propositis edictis suis*, *quas bellorum licentiâ*, *cum multis sceleribus induxerat*, Nangij Continuator.

Anno Christi MCCCXXVII. *Vrbanus Pontifex* 30. *Aprilis Auenionem deserit, & Massiliam venit; frementibus Cardi-*

nalibus, quorum quinque Auenione remanserunt, & Auenionensibus ingemiscentibus, quasi non Romam, sed Memphim, aut Babylonem pergeret. 20. die Maij soluit Massiliâ cum triremibus Siculis, Venetis, Genuensibus, Pisanis, in pratoria naui Hospitalariorum eorúmque Magistri Berengarij Pontificis amicissimi. Sícque Genuam appellit, ibíque celebrat Diem Ascensionis: die 4. Iunij Cornetum applicuit, vbi habuit obuium Ægidium Legatum Cardinalem, & Legatos Romanos cum clauibus Arcis S. Angeli. Die nonâ eiusdem Mensis Viterbium venit; vbi tumultus excitatus à ciuibus. In hac Vrbe 24. Augusti obit Ægidius ille Nobilis Aluarus; à quo cum suasione quorumdam Cardinalium Legationis suæ, & vectigalium rationem ille Pontifex exegisset, ipse currum plenum clauibus receptarum vrbium, & Arcium obtulit, cum Vrbani admiratione. Tandem Pontifex Romam venit 16. Octobris, vbi & Missam celebrauit die Dominicâ, Vigiliâ SS. omnium, vbi & Ordinem Iesuatorum approbauit; qui dicti sunt Iesuatæ, quòd nomen Iesu semper in ore haberent, Fratrésque Iesuatæ S. Hieronymi, profitentes Regulam S. Augustini, quorum author fuit S. Columbanus Senensis vir eximiæ Sanctitatis, *Franciscus Petrarcha, Bosius, Ciacconius, Mariana, Bergomensis, Vitæ Vrbani author, Vita S. Columbani, &c.* Obiit 18. Ianuarij Petrus Lusitaniæ Rex, anno ætatis 47. regni fermè decimo, quem à Iustitia *Mariana lib.* 17. commendat: *Duardus Nonius* à suis vocatum *Crudelem* scribit, quòd sæpè reos indictâ causâ damnaret. Dicere solitus erat indignum esse nomine principis, qui omni die non contulisset aliquod beneficium. Successit ei Filius Ferdinandus, variis posteà implicitus bellis. Petrus Crudelis cum luculento exercitu Anglorum & Aquitanorum, quibus ipse Eduardus Princeps Galliæ præerat, cum Iacobo Baleari Ioannæ Neapolitanæ viro, & suppetiis Regis Nauarræ, redit in Hispaniam. Non adfuit Nauarræus, sponte vti creditum est, *detentus ab Oliuario Maunio Socio Guesclini, & captus inter venandum*, móxque remissus in regnum, vt medius esset inter Petrum, & Henricum si vincerent. Prælium ergo commissum est ad Anagarum xi. Aprilis: vbi victus, & omninò deletus Henricus, Telli fratris ignauiâ, captus Guesclinus, & Sanctius Henrici frater, cum

multis Proceribus Castellanis, quorum nonnullos Petrus sustulit, omnes interfecturus nisi eum etiam conuicio Eduardus impediisset. Sæuire nihilominùs perrexit Petrus in eos qui se dediderant, *Mariana, Walsinghamus, Froſſardus, Belleforestius, vita Guesclini, & alij.* Quod autem narrat *Mariana* de excommunicato Petro Crudeli, eíque callidè denunciata excommunicatione, Petri furore, & collectâ classe in Pontificem, & aliis eiuscemodi, ostendit rectè *Spondanus* ad hæc tempora minùs pertinere. Henricus fugâ elapsus & nusquam consistens metu Aragonij venit in Galliam, vbi diligentissimè nouas copias reparauit, *Mariana, Author vitæ Guesclini, & alij.* Hoc anno in Flandria à vento Coro ingens est excitata tempestas, & cui parem regio non viderat, quâ turres, arboréſque deiectæ, accedente maris inundatione, adeò vt dies mundi vltimus expectaretur: cui successit ingens pestilentia, *Meyerus lib.* 17.

Anno Christi MCCCLXVIII. 1. die Martij Vrbanus Pontifex capita SS. Apostolorum Petri & Pauli, sub altari reperta, & diu incognita, in æde Lateranensi populo ex Ambone proposuit, & pretiosè includenda curauit, *Author vitæ Vrbani.* Ioanna Regina vtriusque Siciliæ 17. eiusdem mensis Romam venit, magnificè excepta, *Idem author.* Die Paschæ 9. Aprilis visus est Cometes, qui iam per aliquot dies apparuerat Hebdomadâ Sanctâ, *Nangij Continuator, & Walsinghamus. Occasio belli hoc anno nata inter Anglos, & Francos, cùm Aquitani impatientes ferre iugum Anglorum, sicut & Pontiuenses prouocassent atriti vectigalibus ad supremum Dominium Carolum,* Froſſardus, Walsinghamus, Meyerus, Polydorus, Belleforestius, & alij. Vrbanus secedit Montem Falisci, *Monte Fiascone,* ob aëris puritatem, hicque Palatium reparandum curat. Hic etiam litem diremit inter Dominicanos, & Cistercienses de corpore S. Thomæ Aquinatis, sublato 1274. Quod adiudicauit Eliæ Raymundo Tholosano Prædicatorum Magistro Generali Tholosam deferendum, *Litteræ Pontificiæ. Henricus reparat exercitum ope Caroli Sapientis & Ludouici Andium Ducis, Occitaniæ proregis, liberantur Guesclinus, cæteríque captiui proceres, magnis pecuniis persolutis; quos certè non emisisset Eduardus, nisi iratus Petro Crudeli, quòd ei promissam pecuniam in stipen-*

dia militum, & *Biscaiam ei aliàs oblatam, denegasset.* Venit itaque Henricus primùm in Aragoniam, deinde Castellam ingreditur. Ad Iberi ripam signum Crucis in arena impessum deosculatur, iurátque flexis genibus se non nisi victorem ex Castella moturum pedem. Statim ei deditur Burgos, à ciuibus odio accensis in Petrum, vbi & Iacobum Balearem Ioannæ Neapolitanæ virum cepit: Inde Toletum perrexit, quod obsedit; Petrus in auxilium suum Mauros Granatenses euocat, & tantâ vecordiâ sua curat negotia, vt ea desperare videretur, *Mariana*, *Surita*, *author vitæ Guesclini.* Viterbium ex Monte Falisci Vrbanus redux Carolum Imperatorem recipit mense Octobri. Hic euocatus erat à Pontifice cum copiis in Italiam, vt rebus Ecclesiæ prospiceret. Longobardiam igitur ingressus, post vanos conatus, cum Vicecomitibus fœdus init, etiam ab Vrbano approbatum. Inde Viterbium ad Pontificem venit; præcedénsque eum Romam, recepit in Vrbis introitu, Statoris functus officio. Vrbanus eius vxorem in Festo omnium Sanctorum inunctam priùs ab Episcopo Ostiensi de more coronauit. Hinc Carolus in Tusciam transiit, vbi Senis tantùm non est oppressus, extortâque ab vrbibus pecuniâ, etiam à Florentia, ne bello vexarentur, contemptus ab Italis in suam Bohæmiam anno insequenti recessit, *Vita Vrbani*, *Corius*, *Ciacconius*, *& alij. Mense Iunio apud Vaurum celebratum est Concilium trium Prouinciarum, Narbonensis, Auxitanæ, Tholosanæ, ideò Generale dictum, vbi actum est de vitiis extirpandis.* Acta huius Concilij, & Catellus in Historia Aquitanica. *Carolus Sextus natus est Parisiis* 1. *Decembris, horâ tertiâ post mediam noctem, cùm Luna* 14. *iam die in signo Virginis versaretur, & baptizatus fuit in Ecclesia Sancti Pauli extra vrbis muros: Hoc anno translatæ dicuntur ex Italia in Gallias reliquiæ S. Thomæ Aquitanis, quæ Tholosam Vrbem mirè illustrarunt*, Vita Vrbani VI. & S Antoninus.

Anno Christi MCCCLXIX. Petrus Crudelis ad Montielem oppidum Oretanorum 14. Martij prælium committit in Henricum Fratrem, & Guesclinum, vbi profligatus est eius exercitus, initio fugæ à Granatensibus Mauris facto, quibus plurimùm confidebat. Itaque Montiele inclusus obsessus est: & cùm reddi capíue timeret fugere statuit occultè,

ſed in fuga interceptus eſt à Blæſo Villanio, *Le Begne de Villaines*, & exhibitus Henrico: poſt mutua conuicia, in ſe inuicem irruunt, Henricúſque ſubſtratus eſt Petro, vbi confoſſus eſſet, niſi Gueſclinus aut Blæſus Villanius Henricum ſubduxiſſet, ei ſubmiſiſſet Petrum, qui à fratre multis confoſſus vulneribus interiit 23. Martij, natus annos 34. & 7. menſes, cùm annis vndeuiginti regnaſſet, aut potiùs ſæuiiſſet; corpus ibi ſepulturæ datum. Henricus Rex ab omnibus agnitus (cui *Munifici*, ſeu *Liberalis*, inditum nomen) reclamante tamen Rege Luſitano, vtpote Sanctij Regis Caſtellæ pronepote. *Creatus eſt Gueſclinus Comes Stabuli Caſtiliæ, qui tunc temporis bellorum arbiter erat, in quamcumque partem vergeret ſecum victoriam ferens*, & tum inuitabatur ab Aragonio ad Bellum Sardoum. Henricus quamquam premeretur à Mauris, qui Algeziram ceperunt, & exciderunt multorum bellorum cauſam, ab Arragonio, & Nauarræo & Ioanne Lancaſtriæ Comite Principis Walliæ Fratre, qui Conſtantiam Petri filiam vxorem duxerat, & à Ioanne Cantabrigiæ Comite eiuſdem Fratre, qui Iſabellam item Petri filiam minorem, vxorem habebat, ab omnibus ſe mirabiliter expediens, & factus eſt Rex Caſtellæ, *Mariana, Vita Bertrandi Gueſclini, & omnes Hiſpanici Galliqúe Scriptores, Froſſardus, Argentræus, & alij.* Aquitanorum querimoniæ à Carolo Sapiente auditæ, dies dicta Eduardo, qui cùm ſuperbè reſpondiſſet, & miſiſſet quæſitis de cauſis Legatos, Sententia in Anglum pronunciata: Rex Angliæ ſe Regem Franciæ dixit in Conuentu Weſtmonaſterienſi quem titulum ad Britiniacum depoſuerat, ſic inchoatum eſt bellum, *Valſinghamus, Froſſardus, Scriptor vitæ Gueſclini, & alij.* Anglus ergo traiicit in Galliam, & Germanorum auxilia recipit atque Belgarum; ſed tantum exercitum Gueſclinus ſenſim deleuit, cum Regis Fratribus: ſic intra triennium Anglus Aquitaniam perdidit, Armoricâ pæne potitus eſt Carolus, cuius Dux Ioannes ad Anglum defecerat, maximè ob ægritudinem animi & corporis Eduardi, cuius virtuti fratres nequaquam reſponderunt, *Authores Vitarum Vrbani V. & Gregorij, & Bertrandi Gueſclini, cum omnibus Rei Anglicæ, & Francicæ Scriptoribus.* Occiſus eſt fratrum ſuorum proditione Petrus Rex Cypri, Chriſtianorum He-

ros fortissimus & Saracenorum metus, *Vitæ Vrbani author, Surita, & Stephanus Lusinianus in Cypri Historia.* Ioannes Palæologus Græcorum Imperator in Italiam ad Pontificem venit, cùm videt res suas imminui, Turcarum augeri, vbi & Catholicam & Romanæ Ecclesiæ professus fidem, functúsque est quoque officio stratoris eidem Pontifici, ipse pedes, *Acta Græcè & Latinè in Archiuo Romano, quæ citat Bzouius, & Vita Vrbani V.* Florebat hoc tempore famosissimus ille latro, *Ioannes de Aucuto, de Hauuckuuode* Anglus, Italiæ direptor acerbissimus, & Dux *Albæ Societatis*, quem secum in Græciam deducere conabatur, vt rei militaris peritissimum; ideò obtinuerat à Pontifice vt cum eo licèt excommunicato (quòd Bernabouem iuuisset, & terras Ecclesiæ diripuisset) sed recusauit ille Italiam relinquere, *Walsinghamus, Iouius in Elogiis, & alij.* Nonnulla habet alia de itinere Ioannis Græci Imperatoris in Galliam, & Venetias, *Chalcondyles lib. 1.* Sed quæ videntur *Spondano* fabulis propiora. Bruxellæ Iudæi in Sacrosanctam Hostiam crudeliter sæuiunt, detecti sanguine ex ea effluente, candentibus forcipibus discerpti, viui combusti sunt, iussu Ducis Wenceslai, *Meyerus.* Coloniam interdicto suppositam, ob Rectores Vrbis iura Ecclesiastica violantes, omnes Ecclesiastici deseruerunt ad sesquiannum, nec redierunt nisi esset Ecclesiæ ab illis Rectoribus factum satis, *Magnum Belgij Chronicon.*

Anno Christi M C C C L X X. Ordo Montis Oliueti, idémque Ordo S. Birgittæ hoc anno ab Vrbano confirmati sunt. S. Birgittæ dicitur Ordo S. Saluatoris, quem nunquam professa est. Hæc Sancta Sueca, ex regia stirpe, Vlphoni Neritiæ Principi nupserat, ex quo 8. liberos suscepit, multis ipsa reuelationibus illustris, *Onuphrius, Bulla Canonizationis Sanctæ Birgittæ, Surius, & alij.* Ioannes Palæologus antequàm Græciam repeteret Schismate Græcorum eiurato Catholicam, & Romanam amplexus est fidem, *Litteræ Vrbani ad Ioannam Reginam. Vrbanus V. Galliam repetere decernit, vt Anglos, Francósque conciliaret, contemptis reuelationibus F. Petri Aragonij & S. Birgittæ tum Romæ agentis: itaque Corneto soluit 5. Sept. deductus Classibus Regum Franciæ & Aragoniæ, Reginæ Siciliæ, & Prouinciæ, atque Massiliam appulit 16. eiusdem*

mensis, vt 24. attigit Auenionem, Petrarcha, Gobelinus. *Obiit autem ibidem pientissimè vti vixerat, die Iouis 19. Decembris, cùm sedisset annis 8. mense vno, & 23. diebus, annos natus vno, & sexaginta. Primus gestauit Tiaram cum triplici corona, vti Bonifacius VIII. cum duplici*, Vita Vrbani V. Massonius, Nicolaus Alemannus. 30. *Decembris ei suffectus altero Conclauij die Petrus Rogerius, filius Comitis Bellefortij in Valle in Andecauis, Clementis VI. ex fratre Nepos, discipulus Baldi Iurisconsulti quem hic magni faciebat, cæterùm moribus optimis, ideò vno omnium suffragio Pontifex creatus*, Continuator Nangij, Vita Gregorij XI. & alij. 7. Maij obiit Edimburgi Dauid Rex Scotiæ ætatis anno 47. regni fermè vndetrigesimo-nono: cui successit Robertus Stuartus ipsius sororis filius, nequicquam reclamante Guil. Duglassio sibi regnum arrogante ex propinquitate Ballioli, & Cuminiorum, *Historiæ Scoticæ Scriptores*. Eum secutus est 5. Decembris Cazimirus Rex Poloniæ, cognomento *Magnus*, in venatione lapsus equo, & corruptâ sanitate suâ intemperantiâ, quam medicorum arte recuperarat. Successit ei filius Ludouicus Rex Hungariæ, eius sororis filius. De quo anno sequenti, *Michouius, Cromerus*.

Anno Christi MCCCLXXI. *Petrus Rogerij factus est Presbyter 4. Ianuarij, & sequenti die in Vigilia Epiphaniæ coronatus est Pontifex die Dominicâ, non ipso die Epiphaniæ, vt quidam: cuius equum freno duxit pedes Ludouicus Andium Dux, Caroli frater, & Præfectus Occitaniæ*, Author vitæ Gregorij XI. Continuator Nangij, & alij. Coronatus item Cracouiæ 17. Nouembris Poloniæ Rex Ludouicus, iam Rex Hungariæ, malè auspicatus regnum, amandatis in Hungariam filiabus Cazimiri, hæredibus Regni, quas exhæredes pronunciandas curauit, ipse discessit in suam Hungariam, relictâ Præfecto Polonici Regni administratione, *Cromerus, Michouius. Gregorius Papa nititur Francum, Anglúmque reconciliare, missis duobus Cardinalibus; sed cùm vterque Regum Cancellarius fuisset, suspecti redditi sunt:* Eduardus magnam pecuniam à Clero extorsit, quem cùm difficilem in soluendo expertus esset, Ecclesiasticos omnes ab administratione munerum Regiorum expulit, *Author vitæ Gregorij, & Walsinghamus.* Gregorius vetuit in Arago-

nia

nia prædicari quasdam propositiones de Eucharistia, si hæc in lutum & cloacam caderet, aut à mure comederetur, aut ab aliqua animante, &c. Quarum præcipuus propagator Ioannes de Latone Minorita Gerundensis, *Eymericus Wadingus, & alij.* Lithuani auditâ Cazimiri morte, in Poloniam excurrunt, vbi cùm particulam Crucis rapuissent auro inclusam, dum abeunt, currus quâ vehebatur, ex finibus Poloniæ non potuit excedere; itaque per Duces honorificè in Monasterium Caluimontanum, vnde ablata erat reducta, *Michouius, & Cromerus. Carolus Malus Nauarræ Rex, vt aliàs sic hoc anno vim sui nominis ostendit: dicitur enim Guidonem Bononiensem Cardinalem Legatum, à quo reconciliatus erat cum Regibus Castellæ, & Aragoniæ veneno sustulisse, de quo se purgare apud Pontificem conatus est. Detectus est, & corrupisse quosdam qui Carolum Sapientem veneno tollerent. Sollicitauit & alios Principes in eundem Regem, & inter cæteros Henricum Castellanum: sed hic è contra validam classem misit in auxilium Francorum, Rupellam obsidentium, quæ iuncta Gallicæ classi, sex & 30. naues Anglorum vicit, ac cepit 23. Iunij, vnde & capta Rupella.* Cui cùm succurrere ipse vellet Eduardus cum ingenti classe, ventis aduersis subsistere coactus est, questus nullum Regem sibi plus negotij fecisse, quàm Carolum, nullum minùs arma induisse, *Ludouicus quoque Andium Dux, & Ioannes Dux Bituricensis Anglos magnis cladibus attriuerunt,* Walsinghamus, Frossardus, & alij Angli, Francique Scriptores. *Prodiit hoc anno secta Turlupinorum in Gallia nata, & Sabaudia, quam quidam in annum sequentem reiiciunt, alio nomine* Sodalitas paupertatis, *qui & Beguardorum errores profitebantur, & turpissimè & bestiarum more viuebant; non orabant voce sed corde, quorum multi Parisiis cremati sunt viui.* Gerson, Prateolus, Meyerus, Sanderus, &c.

Anno Christi MCCCLXXII. Pontifex & censuris & armis agit in Bernabouem Mediolanensem, & impediit ne Reges Trinacrius, & Aragonius ei affinitate coniungerentur, *Litteræ Pontificiæ.* Pontifex misit ad Carolum Sapientem munera à Constantino magno Ecclesiæ oblata, Carolus autem Romam multa dona remisit, *Litteræ Pontificiæ.* Reuelationes aliquot habuit S. Birgitta, quibus admonebatur Gregorius in Italiam redire, alioquin terras Pontificias esse la-

cerandas, *Gobelinus*. Composita dissidia Regum Neapolitanorum, & Trinacriæ, vt Ioanna Regina Siciliæ, Fridericus Trinacriæ dicerentur, hic illi persolueret quotannis tria millia vnciarum auri, seu 15. milla florenorum auri, quod Romanæ Ecclesiæ Ioanna pendere solita erat, & ab ea eiúsque successoribus dependeret, quoad supremum dominium. Sic Fridericus cum vxore consobrina Ioannæ, tum sibi data, Panormi coronatus est, fremente Aragonio, & iniuriam fieri sibi quiritante, *Author Vitæ Gregorij XI. Fazelus, Surita*. Gregorius excitat Principes Christianos vt arma contra Turcos induant, & pro Armenis, & pro Græcis, sed sanctum hoc negotium discussum est dissentione graui exortâ inter Genuenses & Venetos, cùm in Coronatione Petrini seu Petri Cyprij in Regem Hierosolymitanum, Venetorum Baiulus, Genuensium Baiulo præpositus est Famagustæ. Hic enim dum vltionem quærit, octo eorum præcipui de turre Regia præcipitati, atque totâ Insulâ Genuenses cæsi, quam ob causam anno insequenti iidem Genuenses misere classem, quâ capta Famagusta per Petrum Fulgosum, & tota Insula in eorum potestatem venit, eâque annis ferè centum sunt potiti. *Litteræ Pontificiæ, Lusinianus in Historia Cypriâ, Vita Vrbani V. Continuator Belli Sacri, Folieta, Bizarus, & alij. Hoc anno celebrari cœptum Festum Præsentationis B. Virginis, cuius officium ex Cypro delatum, & à Gregorio probatum, vulgari & cani in Gallia cœpit, quæ solemnitas apud Græcos antiquissima fuit*, Litteræ Gregorij XI. Balsamon, Surius. Gregorius Raymundi Lulli libros examinandos proponit Archiepiscopo Tarraconensi, in quibus Eymericus Inquisitor multos reperiri errores asserebat; qui errores an veri fuerint, nondum liquet, re etiam sub Gregorio XIV. & Sixto V. discussâ, & indecisâ relictâ, *Vasquez, Bzouius, Wadingus, & alij*. Eodem tempore viuebat *Raymundus de Tarraga*, Neophytus ex Iudæo conuersus factus Dominicanus (quem perperam quidam cum Raymundo Lullo confuderunt) quem iussit Gregorius ob errores puniri, quos recensent *Eymericus, & Wadingus*.

Anno Christi MCCCLXXIII. Gregorius & Eduardus de Beneficiis vacantibus, & designatione Prælatorum inter se disceptarunt, petente Rege vt à Clero tantùm eli-

gerentur, qui demùm à Rege nominati, à Pontifice confirmati sunt, *Walsinghamus, Polydorus, Harpsfeldius, & aliquot alij.* Andronicus excœcatus à Parente Ioanne Palæologo, recipitur Constantinopoli, adnitentibus Amurathe, ac Genuensibus, & Imperator acclamatur, Patrem & Fratres detrudit in carcerem; deinde cum iis reconciliatur, & abiicit Imperium. Eius frater Manuel coronatus est Imperator 26. Septembris, & designatus eius successor anno Græcorum 6882. iam inchoato, *Bullialdus in notis ad Ducæ Byzantini Historiam.* Quo tempore Turcæ præualebant, Græcis, Rasciis & Bulgaris deuictis, immo & de inuadenda Hungaria cogitabant, in eam etiam Tartaris concitatis, *Litteræ Pontificiæ.* Confirmatus est hoc anno à Pontifice Ordo Eremitarum sancti Hieronymi, excitatus à nobilibus quibusdam Italis non procul Toleto; assignata eis Regula S. Augustini, in primo Ordinis Monasterio *S. Bartholomæi de Lupiniana*, vico Diœcesis Toletanæ vbi Sedes est Ordinis, *Mariana, Maurolycus; Onuphrius* in Chronico Eccles. malè sub Vrbano V. collocauit 1365. Turbata fuit hoc anno Polonia per Wladislaum cognomento *Album*, qui factus Monachus in Monasterio S. Benigni Diuione, ex animi leuitate, non pietate, ibíque ànnis 14. commoratus, in Poloniam venit à Polonis vocatus, Hungaricum iugum ferre recusantibus, vt proximus hæres Cazimiri mortui, licèt Diaconus; multis gestis præliis, rebus demùm cum Ludouico compositis rediit Diuionem, & iterum factus Monachus obiit Argentinæ 1388. *Michouius, Cromerus.* Henricus Rex Castellæ Lusitaniam vastauit Olysipponem vsque: mox tamen cum Rege egit, vt in Regem Nauarræ arma conuerteret, qui ab eo quoque pacem impetrauit etiam nuptiis firmatam, *Mariana, & Epistola Gregorij XI.* Mortuus est 6. Ianuarij B. Andreas Corsinus Episcopus Fæsulanus Carmelita, multis miraculis clarus, *Menologium Carmelitarum, Surius, Lipomanus, Petrus de Castaneis in eius vita.* Obiit item S. Birgitta Sueca, ex peregrinatione Hierosolymitana redux, euocata à Christo, anno ætatis 70. corpus eius posteà translatum ad Monasterium Vastanense per Catharinam eius filiam, ac comitem peregrinationum, de qua posteà 1381. Sancta autem Birgitta numquam Monacha fuit, licèt

in habitu Monachæ pingatur, *Volaterranus, Surius, Additiones ad Vsuardum, & alij.*

Anno Christi MCCCLXXIV. Perusij Fraticelli sub habitu Franciscanorum spargunt sua deliria, quorum vnus se dicebat Papam, *Wadingus.* Canonicus Pragensis Mallasius, aliis Militzius, specie sanctitatis multos decipiebat, hæreses multas disseminans, in quem Gregorius Archiep. Pragensem & Carolum Imperatorem armauit, *Litteræ Gregorij:* hunc Illyricus inter antecessores Lutheri cum Iacobo Misnensi Socio Hussi, collocat; quo tempore prodierunt duo libri hæresibus pleni, flammis in Germania addicti, *Speculum Saxonum*, & *Somnium Viridarij*, hic editus in lucem à *Goldalsto Tomo 2. Monarchiæ.* Smyrna in periculum adducta quòd præsidiariis Christianis stipendia deessent, quæ iis offerebant Turcæ. Itaque hæc vrbs commendata Francisco Catalustio Mitylenes Domino, qui tum Turcos vexabat. Assignata est deinceps à Gregorio Equitibus Rhodiis, *Epistolæ Gregorij, & Bosius.* Gregorius significat principibus profectionem suam Romam, *Author Vitæ Gregorij.* Sæuiebat tum in subditos suos Bernabos Vicecomes, eos maximè qui apros, feràsque syluestres occidissent, aut cepissent; certè centum eorum oculos eruit, multos furcis appendit, multos proscripsit, plures spoliauit bonis; duos Minoritas eum admonere ausos ne sic fureret, vt hæreticos comburi iussit. Ad venationem 5. millia canum habuit, quos alendos distribuerat inter subditos, bis in mense repræsentandos, qui strigosos, aut minùs pingues offerrent, grandi pecuniâ, qui mortuos dicerent omnibus bonis mulctabat, *Corius in Historia Mediolanensi.* Idem Bernabos aliquot clades in Insubria accepit, Vercellas perdidit, vt & Placentiam, & Ticinum Vrbes Ecclesiæ adiunctas, *Corius, Poggius, & alij.* Mense Augusto Iacobus Rex Neapolitanus, *Balearicus* dictus, Ioannæ Reginæ maritus, ingressus Aragoniam aliquot castra & oppida cepit, Rege Aragonum vehementer perculso, cùm ei impar esset. Illatísque multis damnis, dum vlterius tendere parat obiit initio anni sequentis, sepultus in vrbe Sotia in finibus Nauarræ, & Aragoniæ, Fratrem secuta erat Isabella Sotot, coniux Marchionis Montisferrati quæ paterna iura in regnum Balearium, & cæteras

ditiones dedit Ludouico Andium Duci, fratri Caroli Sapientis; sed hic bellum denunciauit Aragonio, non intulit, *Mariana, Surita, Author vitæ Gregorij.* Ioanna Neapolitana quarto Marito nupsit Othoni Brunsuicensi, tum Pontifici aduersus Vicecomites militanti, viro nobiliori quàm ditiori, qui non Rex sed Dux Tarenti dictus est, *Historiæ Neapolitanæ Scriptores.* Hoc anno Rhenus, Mosa, & alia flumina Belgium inundarunt; ciuitatibus aliquot, multis villis, & Insulis obrutis; certè Rhenus tum Coloniæ muros transcendit, *Rodulphus, Ioannes à Leidis, Trithemius, & alij.* Sæuiit & in Belgio tum *Passio Maniaca*, dicta *Chorea S.Ioannis*, quâ multi correpti tam viri quàm fœminæ, seminudi serta in capitibus gestantes, vsque λειποψυχίας saltabant, ac cantabant furiosorum more, & hic morbus solo visu transibat ad spectantes, curatus tantùm Orationibus, quia dæmonis opus videbatur, additâ etiam quorumdam inopum simulatione, *iidem qui suprà, Gobelinus, & Meyerius.* Sepulchrum Sethi in Valle Iosaphati iuuentum, in quo epigraphe, in qua fit mentio Christi, & B.Virginis ex eius lumbis profecturæ, *Ioannes à Leidis ex relatione Doctoris Theologi αὐτόπτου.* Mortuus est hoc anno Petrarcha natus annos 70, amores suos in Lauram non satis castè testatus, si hæc Laura vera persona fuit, non conficta. Amicus fuit Ioannis Bocacij de Certardo Florentini, qui eum secutus est anno sequenti, anno ætatis 62. *Corius, & multi recentiores.*

Anno Christi MCCCLXXV. Florentini rebellant in Pontificem, multas causas prætexentes: seligunt ex suis octo viros, quos Sanctos appellabant, quò bona Ecclesiasticorum raperent, quosdam Religiosos crudeliter interficiunt, erigunt vexillum cui hanc vocem inscripserant *Libertas:* multæ quoque Vrbes se iisdem coniungunt, quæ S.Birgitta in suis Reuelationibus videbatur prædixisse, *Corius, Leonardus Aretinus, S. Antoninus, & alij. Brugis de Pace inter Anglos & Francos actum, vt conciliati bellum Turcis inferrent; sed nihil actum ob Aquitaniam, cuius supremum Dominatum Eduardus habere volebat, Carolus dare non poterat,* Tillius in Tractatibus inter Gallos, & Anglos, Continuator Nangij, Walsinghamus. *Carolus Sapiens in Senatu Parisino 21. Maij Le-*

gem tulit, vt filius Regis Franciæ Patri mortuo statim succederet, quod semper actum fuerat, & annum 14. ingressus coronaretur, & sui iam iuris esset, non expectato, vt olim, anno ætatis 20. nè diuturnior tutela turbas excitaret, Continuator Nangij, Paulus Æmilius, Belleforestius, & alij. *Rebelles quædam Wadlensium reliquiæ in Delphinatu, Sabaudia, & Prouincia caput attollunt, quos reprimere conatus est Gregorius, etiam implorato Caroli Sapientis auxilio*, Litteræ Pontificiæ, & Wadingus. Creatus est Cardinalis mense Decembri Petrus de Luna Aragonius, *Author Vitæ Gregorij XI.* Cui tum hæc verba dixisse dicitur Pontifex, *Caue nè tua Luna patiatur Ecclipsim*, vt recitat *Spondanus ex Manuscripto Ecclesiæ Burdegalensis.* Io. Cantacuzenus Monachus agnoscit Romanum Pontificem, & eius Primatum, paratus etiam pro hac opinione mori, *Litteræ Pontificiæ.* Tum Constantinopoli multi Turci viuebant & multa enormia patrabant: Ioannes enim Imperator cum Amurathe fœdus inire compulsus erat, ipsi pensitare vectigalia, eúmque in expeditionibus comitari, *Chalcondyles, & Leonclauius.* Tum filius Io. Palæologi Emmanuel Thessalonicæ imperabat, vnde & Pheras vindicare à seruitute Turcica conatus est. Quare iussu Amuratis inuaditur, ipse fugit in Insulam Lesbon, posteà eidem Turcæ reconciliandus, immò & militaturus, *Laonicus, Chalcondyles.*

Anno Christi MCCCLXXVI. Florentini contra libertatem Ecclesiasticam multa faciunt, neque moniri quiescunt: quare diram in eos Sententiam excommunicationis pronunciauit Gregorius, concessírque eorum bona omnibus ea occupantibus, vetuit à Principibus in suis terris retineri vt seruos, quod præstitum maximè in Anglia, vnde ad extrema redacti Florentini, misere ad Pontificem S. Catharinam Senensem Ordinis S. Dominici, virtutibus, reuelationibus, adeóque Christi Stigmatis impressis illustrem, quæ Pontificem sic demulsit, vt eius arbitrio Florentinorum reconciliationem permitteret. Quam tamen turbarunt Rectores Vrbis homines nequam. Quare in eos Pontifex immisit sex millia equirum, & quatuor peditum ex Armorica, quæ tamen parum profuerant donec ipse Gregorius, acquiescens reuelationibus S. Birgittæ

Succæ, & monitis S. Catharinæ Senensis in Italiam redire decreuit, *Litteræ Pontificiæ, Aretinus, Poggius, S. Antoninus, Blondus, Platina, Nauclerus, & alij.* Hoc anno à Gregorio XI. Roberto Gebennensi, qui posteà Clemens VII. commissa sunt Picenum, & Flaminia: qui accusatur quòd permiserit certamen inter 3. Britones, & 3. Bononienses, sub eodem 800. Britones cæsi quòd acerbiùs Cæsenates vexarent, *Aretinus, & S. Antoninus.* Carolus I.V. Imp. obtinet a Pontifice precibus, ab Electoribus Imperij grandi pecuniâ, vt filius suus Wenceslaus annum ætatis agens ferè decimum sextum Rex Romanorum crearetur; quod & fecere primùm Rentium ad Rhenum conuocati 1. Iunij, deinde Francofurtum 10. eiusdem mensis. Itaque coronatus Aquisgrani vt quidam putant 6. Iulij ab Archiepiscopo Coloniensi. Qua de re grauiter conqueruntur etiam *Germani Scriptores*, cùm hic Wenceslaus corpore turpis, sed animo, & moribus turpior, non Imperio modò, sed regno Bohæmico indignus esset, *Author Vitæ Gregorij, Æneas Syluius, Dubrauius, Krantzius, Cuspinianus, Nauclerus, & alij.* Gregorius inuitis pænè Cardinalibus omnibus, *Nequicquam dissuadente Carolo Sapiente per Ducem Andegauensem fratrem suum*, 13. *Septembris deserit Auenionem, relictis ibidem sex Cardinalibus, & Massiliâ soluit, cum vna, & viginti triremibus,* multisque iactatus procellis, etiam cum periculo naufragij Genuam appellit 18. Octobris. Exinde tempestates etiamnum periculosiores expertus, Cornetum applicuit quinto Decembris, *Petri Amelij, Augustiniani Episcopi Senogalliæ, Gregorij itinerarium, Theodoricus à Niem, Frossardus, Leonardus Aretinus, S. Antoninus, & alij.* Iaroslaus Archiep. Gnesnensis centenarius, & cæcus obiit, vetans se inferri in Ecclesiam per portam, sed per parietis foramen, quòd non ritè creatus esset Archiepiscopus, *Michouius, & Cromerus.*

Anno Christi MCCCLXXVII. Gregorius 13. Ianuarij Corneto soluit, venítque Ostiam, vnde per Tiberim Romam ascendit 17. eiusdem mensis, ingenti omnium lætitiâ exceptus cùm annis septuaginta præter propter Petri Sedes Auenione morata esset; quare Itali id vocant tempus Babylonicæ captiuitatis, *Author Vitæ Gregorij, & alij.*

Banderesij seu præfecti Romani, qui vexilla sua deposuerant aduemente Gregorio, eadem posteà resumpserunt, nec eis obsistere Pontifex ausus est, *Author Vitæ Gregorij.* Florentini ad se redire nolunt, spretis omnibus quæ bonus Pontifex præstitit, vt eos ad officium suum reuocaret, maximè ex quo traxere pecunijs in partes suas Ioannem Ancutum Anglum, per quem etiam Ecclesiæ terras deuastarunt, *Leonardus Aretinus, S. Antoninus, & Litteræ Gregorij.* Idem Gregorius ad vitandos Romæ calores Anagniam pergit, præcedente Sacrosanctâ Euchatistiâ, *Amelius Episcopus Senogalliensis in Itinerario, & Author Vitæ Gregorij XI.* Ioannes Wicleffus hoc tempore in Anglia spargebat hæreses, quem cùm reprimere conatus esset per Præsules Britannos Gregorius, nefarium Hæresiarcham defenderunt Ioannes Dux Lauclastriæ Regis filius, & Henricus Perceius Mareschalus, vnde animos iste nebulo resumpsit, Pastor Ecclesiæ Luttleworth in Diœcesi Lincolniensi: hic deiectus à præfectura Collegij Cantuariensis, Oxonij, & ab Episcopatu Vigorniensi, quem spe deuorarat, in Papam, Ecclesiam, & Clerum virus concepit, quo posteà totum pæne Septentrionem, & Galliam, Germaniam, atque Poloniam vitiauit, *Polydorus, Harpsfeldius, Walsinghamus, Thomas Waldensis, &c.* Obiit circa hæc tempora 21. aut 23. Iunij senex Eduardus Angliæ Rex, dementatus per Aliciam Peresiam nobile Scortum, quam expulsam Comitiis regni ipse paulò ante mortem reuocauit, & quæ ei morienti etiam annulos ex digitis detraxit. Sed post Regis obitum, bonis suis omnibus turpiter emunctis spoliata. Obiit autem Rex nullis munitus Sacramentis, ac pænè raptus ex Aliciæ sinu complexibus: ferunt tamen hunc Crucem à Sacerdote oblatam cum lacrymis osculatum esse. Vixit annos 65 regnauit supra 50. Successit ei Ricardus II. nepos ex Eduardo Walliæ Principe demortuo, dictus *de Burdegala*, 16. Iulij Westmonasterij coronatus, Patruis ne mutientibus quidem, quamquam videretur admodum legitima causa ei regnum eripienti ex matre. Cuius nuptiæ cum Eduardo Walliæ Principe poterant in dubium à vitiligatoribus reuocari, *Continuator Nangij, Walsinghamus, Ioannes à Leidis, & alij. Actum est de concordia inter Francos & Anglos irrito*

tamen

tamen conatu, quare renouatum est bellum, non sine damno Anglorum. Huic quoque bello implicitus Rex Nauarræ malè à Francis in Normannia, & à Castellæ Rege in Hispania exceptus est. Continuator Nangij Belleforestius, Mariana & alij. Carolus IV. Imperator vt Anglum, Francúmque reconciliaret, cum filio Wenceslao Cæsare, venit in Franciam, & Cameraci celebrauit Natalitia Domini, non in Fano S. Quintini, vti decreuerat, quia septimam Lectionem Matutinarum in veste Imperiali decantaturus erat, *Nangij Continuator, Paulus Æmilius, & alij.* Gregorius initio Septembris statuit vt Officium fieret de Inuentione, & Exaltatione Sanctæ Crucis, anteà permixtum quorumdam Sanctorum Lectionibus. Item vt in Vigilia Natiuitatis B. Virginis ieiunaretur, diceretúrque Missa, *Litteræ Pontificiæ.* Florentinos frustrà reconciliare nititur Pontifici Sancta Catharina Senensis, tum etiam à seditiosis ad mortem quæsita: ad quam tamen subeundam illa paratior fuit, quàm hi ad inferendam, *Raymundus Capuanus in Sancta Catharinæ vita.* Britotones Armorici corrupti pecuniâ Florentinorum, eos inuadere recusant: hinc Pontifex cum Florentinis de pace cogitauit, quam tractabat Bernabos; quare & actæ ei ab vtraque parte gratiæ, *Leonardus Aretinus, S. Antoninus, Corius. Rex Francorum postulat à Gregorio XI. vt Ecclesia Parisiensis non esset subdita Senonensi, & Episcopus haberet ius pallij: primum recusauit, cum ob antiquitatem Ecclesiæ Senonensis, tum quod eius Patruus Clemens VI. eam rexisset Ecclesiam, permisit alterum vt Episcopus Parisiensis vti Pallio posset ob vrbis nobilitatem, (quod tamen Episcopi Parisienses neglexerunt.)* Litteræ Pontificiæ. 8. Decembris ad Regem Carolum datæ. Obiit Messanæ Fridericus Rex Trinacriæ 27. Iulij, ætatis 35. Regni 22. relictâ filiâ Mariâ regni hærede. Hanc Aragonius exhæredare conatus est, & Trinacriæ Regnum sibi vindicare, sed obstitit Pontifex, *Surita, Litteræ Gregorij.* Reparantur contentiones inter Genuenses, & Venetos, ob Tenedon Insulam illis datam ab Andronico propter præstita ei auxilia, quam tamen permittente Ioanne, hi occuparunt, vnde natum *Bellum Clodianum*, vtrique Reip. perniciosissimum, *Petrus Iustinianus, Sabellicus, Blondus.* Hoc denique anno 16. Nouembris contigit magna inunda-

tio in Flandria pagis 17. absumptis, & animalibus multis, atque hominibus extinctis, quoniam aggeribus non erat prouisum, & Consules ac Rectores rebus suis potiùs, quàm publicis consuluerant, *Meyerus, & alij.*

Anno Christi MCCCLXXVIII. *Susceptus est Parisiis magnificentissimè* 4. *Ianuarij Carolus IV. Imp. eiúsque filius Wenceslaus, sed in equis nigris à Rege missis, nè vt Imperator recipi videretur, qui & Regem & eius filium Delphinum quibus modis coluit, ipse vicissim cultus, & donis eximiis affectus*, Continuator Nangij. Sarzanæ Conuentus magnus celebratur 12. Martij, vt Florentini S. Sedi reconciliarentur, cui interfuere Bernabos, cum duobus Legatis Pontificiis, 4. insignes viri missi à Carolo Sapiente, duo à Ioanne: Sed cùm negotium confectum videretur, morte Gregorij, discussum est, *Boninsegnius libro* 4. *& alij*, 27. Martij ad secundam noctis horam mortuus est Gregorius XI. ex vesicæ dolore Romæ pientissimè, cum annis 7. mensibus tribus dempris, cum duobus diebus sedisset, annis sex & quadraginta circiter vixisset; quo die Auenione Pontificis palatium incendio pænè absumptum est, *Author vitæ Gregorij, & alij.* Moriturus, & manibus tenens Christi corpus excitauit adstantes vt cauerent à viris & fœminis, qui reuelationes offerrent, quod cùm fecisset, neglecto suorum consilio, Ecclesiam in discrimen Schismatis adduxisset; quibus verbis innuebat suasiones Petri Aragonij, S.S. Birgittæ, & Catharinæ Senensis, *Ioannes Gerson, Nauclerus, Spondanus.* Banderesij cæteríque Romani ciues Cardinales adeunt, & petunt primò vti Romanum aut saltem Italicum Pontificem eligerent, deinde & graues intentarunt minas. Tum adhibitis custodiis Cardinales exire Româ impediunt, & circum conclaue nocte, diéque circumfremunt cum armis, Romanum, aut Italicum Papam vociferantes. Vbi Missâ celebratâ fuit eadem vis adhibita, cædes, incendium proposita, quare Cardinales electores vt vitæ consulerent suæ nominarunt Bartholomæum Butillum Archiep. Barensem, Neapolitanum, natum ex loco qui *Infernus* dicebatur, rati tam Schismati, quàm electorum vitæ consulturum, vt pote qui conscius esset vis adhibitæ sibi, & sæpè cum Banderesiis egisset, sic *Author vitæ Gre-*

gorij XI. qui tum aderat Romæ. His concinunt protestationes factæ à Cardinalibus posteà coram Petro de Crosso Archiep. Arelatensi tum S. R. Ecclesiæ Camerario, quæ habentur in *Manuscripto Codice S. Victoris Parisiensis.* De vi quoque adhibita, licèt diuersimodè, consentiunt, *Boninsegnius Florentinus, S. Antoninus, Sancta Catharina Senensis, Baldus Iurisconsultus, Froßardus, aliique penè omnes*, paucissimis exceptis, etiam qui Vrbano fauerunt, qualis *Magister Iacobus de Sena*, qui vim omnem tacens, suggerit tantùm honestam Romanorum petitionem de Romano vel Italico Papa eligendo, *In Manuscripto Codice Victorino, Factum M. Iacobi de Sena missum 3. Iulij ad Academiam Parisiensem.* Vide quæ hîc habet cipiosissima Odericus Reynaldus pro Vrbano, & causa Ecclesiæ, quæ demum Vrbanum legitimum Pontificem, Clementem VII. Antipapam agnouit, quod omnibus rationibus & Scriptis præualere debet, ita sapienter & prudenter *Spondanus ad hunc annum.* Electus est igitur Vrbanus die 8. Aprilis, coronatus 18. & 19. approbatus ab Cardinalibus Electoribus, qui id significarunt Cardinalibus Auenionensibus, & Principibus omnibus, *Eorum Litteræ in Codice Sancti Victoris.* Vnus tamen eorum scripsit ad Carolum Sapientem nè fides haberetur eorum Litteris, quandiu Romæ remanerent, *Henricus de Haßia Dialogo de hoc Schismate, & Nangij Continuator.* Vrbanus asperum se præbet Cardinalibus, in quorum mores acerrimè inuehitur, contrà Romanis blandus, & facilis, quasi eis gratiam reponeret, quæ videtur quibusdam vna causa fuisse Schismatis, *Theodoricus Niemus, Sanctus Antoninus, Ciacconius, & alij.* Cardinales Electores 13. quasi caloris vitandi causâ secedunt Anagniam, Pontifex Tibur cum quatuor Italicis. Tredecim isti accersitis Britonibus, & aliis militibus citant quatuor Cardinales Italos: Vrbanus accipit à Ioanna Sicula 200. equites, & multos pedites, vt causam suam tueretur, *Marcellus de Inghen Doctor Parisiensis in suis ad Academiam Litteris.* Electores Cardinales 13. protestati sunt coram Petro Crosso Arch. Arelatensi S. R. E. Camerario: Hic diem Vrbano dixit; quo vadimonium irridente 9. Augusti illi sententiam in Batensem ferunt, & intrusum declarant, qua de re dant Litteras ad omnes Christia-

nos. Inde pergunt Fundos ad Honoratum Gaytanum Vrbis huius Comitem, quibus & adfuit præsidium Ioannæ Reginæ, quæ iam ab Vrbano discesserat, quoniam Carolum Dyrrhachium Regem Siciliæ creare vellet. Hîc ergo Robertum Gebennensem creant Pontificem 21 Sept. & vltimo die Octobris coronant sub nomine Clementis VII. vsi Papalibus indumentis, & Regno, quæ Petrus Camerarius Anagniam detulerat, nec restituere voluerat, *Litteræ horum Cardinalium Electorum.* Vrbanus frustrà conatur ad se allicere Parisiensem Academiam, sed præualuit Clemens adnitente Carolo Sapiente, conuentu Prælatorum, & Doctorum habito in Castro Viceunarum; cui & adhæserunt Reges Castiliæ, Aragonum, Scotiæ, & Cypri, *Continuator Nangij.* Angli Vrbano in odium Francorum sunt addicti, *Valsinghamus, Harpsfeldius;* Wenceslaus & Ludouicus Rex Hungariæ adhæserunt Vrbano, quòd Clemens eorum Legatos malè tractasset *Theodoricus à Niem.* Vrbanus creat XIX. Cardinales, Clemens sex, vterque Wenceslaum Regem Romanorum confirmat, *Marcellus de Inghen Epistolâ ad Academiam Parisiensem, Author vitæ Clementis.* Obiit hoc anno 29. Nouembris Pragæ Carolus IV. Imperator æratis anno climarerico 63. Regni Romanorum 32. cum 5. mensibus, Imperij 24. fermè: cui successit filius Wenceslaus, planè à Patre degener ob inertiam, & turpitudinem, cuius frater fuit Sigismundus Marchio Brandeburgensis, posteà Rex Hungariæ, & Imperator similis Patri, & Ioannes Lusatiæ partis dominus. Eorum mater Elizabetha facta est Religiosa tertij Ordinis S. Francisci. Legem tulerat Carolus de Imperatricibus, & Reginis, vt si denuberent, amitterent dotem & insuper exilio mulctarentur, *Dubrauius Historiæ Bohemicæ lib. 22.*

Anno Christi MCCCLXXIX. Clemens amissis copiis aut dissipatis, quas in Vrbanum parauerat, fugit Neapolim, magnificè exceptus à Ioanna Regina: sed vbi videt Neapolitanos in Vrbanum popularem suum propensos, relinquit Italiam & appellit Massiliam 10. Iunij, *Author vitæ Clementis.* Vrbanus concitat in Ioannam Ludouicum Hungariæ Regem, rogat vt remittat ad se Carolum Dyrrhachium apud se militantem cum copiis, & eum constituat

Regem pro Ioanna. Arripuit occasionem Ludouicus, veritus nè Carolus se mortuo turbaret Hungariam. Sed primùm Carolus id renuit, quòd Ioannam parentis suæ loco duceret, quæ ei Margaritam neptem suam dederat vxorem, sed posteà & ingratus, & in eam & in Vrbanum, & in Ludouicum se præstitit, *Theodoricus à Niem, Collenutius, Summontius, &c.* Veneti atque Genuenses tum acerrimè inter se decertarunt 5. Maij victi Veneti, quo tamen in certamine periit Lucianus Auria: mox Clodia Vrbs aquis præcincta, & 25. tantùm millibus passuum ab Vrbe Venetis dissita à Genuensibus à Petro Auria occupatur: Veneti quibuslibet conditionibus pacem petierunt: quæ cùm negaretur insolentissimè, resumpserunt animos victi, & classem ingentem repararunt, *Petrus Iustinianus, Nebiensis, Folieta, Sabellicus, Blondus, & alij.* Obiit Henricus Rex Castellæ, morte ocreis venenatis à Mauro proditore illatâ, anno ætatis 46. cum mensibus quinque, regni 13. cum duobus mensibus à prima inauguratione sepultus est in Sancti Dominici veste. Successit ei Ioannes filius natus annos vnum, & viginti, *Garibaius Hispanicæ Historiæ lib. 15. Mariana, & alij.* Scoti Angliam peste vastatam incursant, sed cum præda pestilentiam raptores in Scotiam retulere, Angli autem frequenter victi inducias postulare coacti sunt, *Walsinghamus, Hector Boethius.* Belgium bellis ciuilibus vastabatur, erátque tum fœdissima Flandriæ facies. Horum tumultum præcipuus author Ludouicus Comes, dum pecuniam petit à subditis, quam in delicias, & sumptus effunderet, quam primi denegarunt Gandauenses, *Ægidius de Roya, Meyerus, Heuterus in vita Philippi Audacis, Frossardus, & alij. Angli aliunde Aquitaniam, & Armoricam vexabant, tum Francorum odio, tum vt Nauarræo succurrerent, item & Duci Britanniæ, qui eorum auxilia postularant: sed frequentiùs victi quàm victores, maximè operâ Bertrandi Guesclini Comitis Stabuli,* Frossardus, vita Bertrandi Guesclini, & alij.

Anno Christi MCCCLXXX. *Moritur anno ætatis 66. Dux sui temporis fortissimus, & celebratissimus Bertrandus Guesclinus 13. Iulij dum obsidet oppidum Castro-nouum in agro Gabalitano, cuius claues ad eius pheretrum delatæ, eiúsque Corpus Parisios delatum, & sepultum Sandionysij in eodem Sacello, quo*

Carolus Sapiens tumulandus erat. Nemo tanto viro succedere audebat, nè impar dignitati tantæ videretur, quam vir tantus illustrarat præclaris facinoribus suis; & qui victoriam habuisse videbatur vectigalem, Author eius Vitæ, Nangij Continuator, & omnes Historiæ Gallicæ Scriptores. *Secutus est eum post duos Menses 16. Septembris Carolus Sapiens anno ætatis 42. Regni 17. nondum absoluto, ex vi veneni quod ei Carolus Nauarræus propinarat, eúmque lentâ tabe consumpserat; vir bello pacéque clarus, & Litterarum amantissimus, quas à Nicolao Oresmio Doctore Parisiensi didicerat. Quamuis liberalissimus extitisset & tot ac tanta bella gessisset reliquit in fisco duodeuicies centum millia aureorum; quare moriens iussit Populum suum grauioribus tributis exonerari*, Continuator Nangij, *qui vltra hunc annum non procedit*, Froßardus, Paulus Æmilius, Gaguinus, Monstreletus, & alij. *Succedit Patri natu filiorum Maior Carolus Sextus, qui annum ætatis 12. compleuerat. Itaque conuentu habito Prælatorum & procerum, Dux Andegauensis Patruorum maximus dictus est regni Procurator, Philippo minimo Duci Burgundiæ educatio Regis, & Ludouici Ducis Aurelianensis fratris eius cura commissa; Ioanni Bituricensi medio relicta Occitania, & Aquitania administrandæ. Rex Rhemis inunctus est 4. Nouembris. Plebs commouetur attrita vectigalibus, cùm Ludouicus Andegauensis ad bellum Neapolitanum pecunias à Sapiente relictas sibi vindicasset: Iudæos in Galliam redire permissos expilat; deinde & publicanos eorum libris laceratis, & vix ab eorum nece per Regem repressa, qui à suis* Bene-amatus *dictus fuit*, iidem, qui suprà Scriptores. *Sub hæc initia Caroli VI. lilia quæ in stemmate Gallico sine numero sparsa erant, ad tria reuocata sunt formâ triangulari*, Iuuenalis Vrsinus, Montreletus, & alij. *Qui sub Carolo V. multùm potuerat Cardinalis Ambianensis, metuens iram noui Regis, eiúsque Patruorum, multis secum elatis pecuniis fugit, Vrbano Pontifici infensissimus*, Iuuenalis Vrsinus. *Oliuarius Clissonius nobilis Brito, atque fortißimus creatus est Stabuli Comes, qui effecit vt Ioannes Monfortius Armoricæ Dux, se Carolo VI. submitteret, & Anglos auxiliares suos in suam Angliam remitteret*, Vita Bertrandi Guesclini, Froßardus, Montreletus, & alij Gallici Scriptores. *Mortua est Romæ 29. Aprilis* Sancta Catharina Senensis anno ætatis circiter 33. Vrbano VI. charissima, cuius par-

tes ægregiè promouit, relata inter Sanctos à Pio II. anno 146. cuius vitam *Raimundus de Capua* scripsit: *de ea Surius 29. Aprilis, & S. Antoninus.* Natus eodem anno Senis, vel Massæ S Bernardinus Franciscanus, *& Corbeia in Picardia Sancta Coleta Reformatrix Clarissarum*, Wadingus Annalium Minorum tom. 4. In Agro Vrbinate cœptus est Ordo Eremitarum Sancti Hieronymi à *B. Petro Gamba-curta* Pisano Nobili, qui captus à prædonibus, eos conuertit, & Cœnobium statuit: labore ii manuum victitabant, & nullis adstricti votis vsque ad Pium V. quando & cœperunt studere & concionari, *Maurolicus, Onuphrius.* Veneti tum respirare cœperunt, nam Carolus Zenus eorum Dux ex Oriente redux cum classe Genuenses deuicit, & Clodiam 22. Iunij reddere compulit, *Appendix ad Historiam Andreæ Danduli, & omnes Historiæ Venetæ Scriptores.*

Anno Christi MCCCLXXXI. *Castellæ & Hungariæ Reges petunt à Carolo Sexto, vt renunciet Clementi, Vrbanum agnoscat, respondet Carolus se stare voluntati parentis sui, maximè cùm interesset Andegauensis ita respondere*, Iuuenalis Vrsinus, Paulus Æmilius, Belleforestius. Ioannes Castellæ Rex à Petro de Luna Legato ad Clementem est conuersus, & Francorum voluntati se accomodauit, per quos eius parens Henricus regnum obtinuisset, *Vita Clementis, & alij. In Gallia turbarum aliquid exortum ob Clementis in Clerum Gallicum extorsiones, qua de re conquestus Ioannes Ronceus seu Rossius Doctor Abbauillæus*], *aut Bononiensis, apud Regem in carcerem ductus est iussu Andegauensis, qui mox liberatus fugit ad Vrbanum, vt & Rector Academiæ ab Andegauensi vexatus, quæ plurimum Academiæ Parisiensi nocuerunt, vt & Clero Gallicano, dum Clemens Principibus in eos extorsiones permitteret*, Iuuenalis in Carolo VI. Guaguinus, Paulus Æmilius, Belleforestius, & alij. *Qua de re conqueritur grauiter* Nicolaus de Clamengiis, de corrupto Ecclesiæ statu cap. 17. *Plebs quoque Parisiensis in Publicanos commota, factionem fecit Malleatorum* (des Maillotins) *sic dicta à Malleis plumbeis, quibus publicanos & redemptores mactabat; quando prætentæ catenæ viis omnibus, carceres effracti, rei armis instructi. Inter cæteros extractus à populo, vt eius Dux esset, Hugo Aubriotus Præfectus Parisiensis, qui datus in custodiam ab Epi-*

ſcopo ob multa & grauia crimina, etiam Iudaicæ Religionis conuictus, damnatus igni fuerat, & Principibus datus perpetuo carceri addictus erat: ſed hic noctu effugit. Imitata eſt Luteriam Rothomagus, quæ & creauit Regem Craſſum, mercatorem quemdam obæſum, quem compulit abrogare omnia vectigalia, atque portoria. Rex paratus erat ſeuerè in vtramque vrbem animaduertere, ſed interuenere Optimates, quorum rogatu ſupplicia in mulctam pecuniariam commutata ſunt, Iuuenalis Vrſinus, Froſſardus, Paulus Æmilius, & alij. Nec ſuis ſeditionibus Anglia caruit *Natiuis*, ſeu *Bondis*, (ſeruorum id genus erat iugum ſeruitutis excutere conantibus, ſub tribus Ducibus, Baleo Sacerdote, Waldero Tilero laterum coctore, ſeu ædium tectore, & Ioanne Straneo: Angliam depopulati ſunt, non rebus prophanis, non ſacris parcentes Deinum ad ſexaginta millia Londinum ingreſſi, Simonem Subdierium Archiepiſcopum Cantuarienſem, & Cancellarium interficiunt, cum multis aliis Primariis; Regem ad colloquium euocant, à quo Diploma libertatis extorquent. Sed in colloquio aliquo dum Tilerus Regem impudenter alloquitur, cæſus eſt à Maiore Londinenſi; ſic ſopitæ turbæ, cunctis ſua repetentibus; Rex Regnum peragrauit; captus Baleus Wicleffi diſcipulus, ſupplicio reorum læſæ Maieſtatis ſuſpenſus & ſectus eſt, ſicut & Stranius; quæ mala ſine dubio ex Wicleffi erroribus prodiere, *Walſinghamus in Richardo II. Harpsfeldius, Polydorus, & alij.* Carolus Dyrrhachinus Grauinæ Comes, aliter Carolus *Paruus*, aut *Paliarius*, ſeu *de pace*, quòd pacem inter Genuenſes & Venetos facere conatus eſſet, euocatus ab Vrbano, cum copiis, Romæ creatus eſt Senator & Rex Siciliæ ac Hieroſolymæ, cuius copiis vt ſtipendia perſolueret Vrbanus, multas ſacras imagines, cruces, calices argenteos & aureos conflari iuſſit, vt moneta percuteretur. Hinc Carolus Neapolim venit 16. Iulij, Ioannam in Caſtro Oui obſedit: die 25 Othonem maritum ei ſuppetias ferentem vicit ac cepit; & ſequenti die Ioannam ſe dedere coëgit, quam compegit in Arcem *Muri* Lucaniæ, Othonem in Arcem Altamuræ Apuliæ; Sorores vxoris ſuæ Margaritæ variis carceribus incluſit, in quibus obiere, *Summontius, Niemus, Nauclerus, Krantzius*, &c. Hic quoque crudeliter excepti duo Cardinales

nales à Clemente relicti, cum aliquot Archiepiscopis, Episcopis, & Præsulibus Reginæ fautoribus, qui torti, spoliati, in ergastula coniecti, Cardinales pileos in ignem coniicere, & Clementi renunciare sunt compulsi, quorum vnus Gifonius, hæc curante Gentili Cardinale Legato, qui demum ab Vrbano posteà grauiùs multatus interiit, *Niemus, Ciacconius, Pignatellus.* Pax inter Venetos & Genuenses inita curâ Amedæi Ducis Sabaudiæ, quæ Venetis commoda, Genuensibus perniciosa fuit, *Petrus Iustinianus, Nebiensis, Folieta, Sabellicus, & alij.* Mergolus Lercarius Genuensis ciuis ludens cum Catamito Imperatoris Trapezuntini, ab eo colaphum accepit: rediens in patriam armauit duas triremes, quibus Imperium Trapezuntinum sic afflixit, vt ei Catamitus iste dederetur, quem remisit fœminam vocare contentus: obtinuit tamen in vrbe Trapezunte publicum suis diuersorium fortitudinis suæ, & Trapezuntini Imperatoris ignauiæ monimentum, *iidem qui suprà Authores.* Russi & Tartari commissi sunt, 200. hominum millia interierunt, Russis victoribus, quibus tamen à Lithuanis & Tartaris excussa præda, *Krantzius in Wandalicis.* Obiit hoc anno S. Cathacharina Sueca filia S. Birgittæ, cuius demortuæ corpori stella visa est imminere, *Author Vitæ Vrbani V.* Petrus Flandrini Cardinalis moriens publicis tabulis testatus est Vrbanum esse Pseudo-pontificem, Clementem verum; *Author Vitæ Clementis.*

Anno Christi MCCCLXXXII. Turbæ concitantur Romæ, quas constantiâ suâ Vrbanus sedauit, *Krantzius & Gobelinus.* Ioannam iussu Ludouici Hungari Carolus strangulandam, aut suffocandam curat, 2. Maij, ætatis anno 56. Regni 38. aut 39. Periere cum ea alij multi, quibus accensetur malè Otho eius maritus, cùm posteà vixisse certum sit, *Hector Pignatellus, Niemus.* Tum autem Carolus nouum Ordinem instituit Equitum *de Naue*, electo in protectorem S. Nicolao, cuius Princeps ipse esse voluit, *Summontius, Niemus, & alij. Ludouicus Andegauensis Rex vtriusque Siciliæ à Clemente coronatus Auenione 30. Maij. Prouinciales armis sibi obedire coëgit: inde pergit in Italiam cum luculento exercitu vnà cum Ludouico Amedæo Duce Sabaudiæ, ab Alberico Barbiano Comite Cunij Romandiolæ malè habitus:*

Aquilam tamen cœpit; sed denegatâ à Carolo pugnandi copiâ, eius valdè imminutus est exercitus. Missus in eum à Carolo Magus, quem interceptum comburi iussit, Iuuenalis Vrsinus, Niemus, Froffardus, Summontius, &c. *Carolus Nauarræ Rex patruos Caroli VI. veneno tentat. Idem quoque molitur in Gastonem Fuxi Comitem, per proprium ipsius filium, qui à patre suo detectus in carcerem datus, ex leui vulnere, quem ei pater imprudens inflixerat, obiit*, Iuuenalis Vrsinus, Froffardus, Belleforestius, & alij. Ludouicus Hungariæ Rex obiit 11. aut 13. Septemb. anno ætatis 56. regni 40. cuius ex morte Hungari tribus annis pullati apparuerunt, ludis omnibus, & deliciis interdictis. Successit ei Maria primogenita, non Regina dicta, sed Rex, *Dubrauius, Cromerus, Krantzius, &c.* Mater eius Elizabetha administrauit Regnum, quod turbatum à Proceribus ob Nicolaum Garum factum à Ludouico Palatinum, quare ab Hungaris euocatus Carolus Paruus, indéque multæ turbæ sunt enatæ, *Dubrauius, Bonfinius, & alij.* Turbæ Flandricæ compositæ per Philippum Audacem Burgundiæ Ducem generum Ducis, recrudeuerunt, per factiosos *Albatos*. Creato Duce Philippo Artauellâ, Iacobi filio; victus Comes ad Brugas, & ægrè ereptus nece operâ vetulæ inopis, *confugit ad Carolum VII. qui ei cum sexaginta hominum millibus adfuit. Certatum ad montem Aureum inter Rosebeccam & Curtracum, vbi explicata Auriflamma, portata per Petrum Villarium; cecidere è Flandris 40. millia, è Francis 43. tantùm, captus Artauellus curari noluit, post obitum suspensus: Curtracum euersum in odium cladis acceptæ ante annos 80. Rex Parisios reuersus ciuibus abstulit arma, & catenas, multos sustulit: inter cæteros Io. Maresius Regis Aduocatus eloquentissimus, superioribus Regibus charus, innocens cæsus, quòd Bituricensi & Burgundo Regis causâ restitisset*, Froffardus, Monachus S. Dionysij, Guaguinus, Heuterus, & omnes Franci Scriptores. Willelmus Curteneius Archiep. Cantuariensis Wicleffi errores damnat, quidam eius fautores puniuntur, aut palinodiam coguntur occinere: inter quos ipse Wicleffus, qui toties se paratum ad mortem ostenderat, eiurauit Hæresim ne combureretur, quod iam anteà fecerat: nihilominùs eius fautores clam conuenire pergunt, & Gnosticos etiam imitantur, *Thomas Valdensis, Walsinghamus, Ni-*

colaus Harpsfeldius, Kingthonius. 21. die Maij magnus contigit in Anglia terræ motus, qui & in Germania inferiori ſæuiit, *Walſinghamus, & Ioannes à Leidis.*

Anno Chriſti MCCCLXXXIII. Cùm peſtis Romæ ſæuiret, Vrbanus omnibus diſſuadentibus Neapolim pergit, vbi parum humaniter à Carolo Paruo exceptus, & tantùm non detentus Auerſæ & Neapoli, concordia tamen inter eos inita eſt, promiſſa renouata pro Fr. Butillo Nepote, qui tum capitis damnatus eſt, ob profeſſam Monialem raptam & ſtupratam, in gratiam Pontificis liberatus eſt, *Summontius, Krantzius, Niemus, Hector Pignatellus.* Vrbanus Anglos excitat contra Francos, & fautores Clementis, Crúxque contra hos in Anglia proponitur, & expeditio, cuius Dux erat Henricus Spenſeius Epiſcopus Norduicenſis. Detonuit hoc bellum in Flandriam, vbi aliquot oppida maritima capta, victíque Flandri ad Dunkerkam. 25. Maij obſeſſa Ypra; *ſed adfuit Rex Carolus cum luculento exercitu, qui & cepiſſet Epiſcopum cum ſuis, niſi Dux Britanniæ, qui Regi militabat, eos ſubduxiſſet artibus ſuis,* Iuuenalis Vrſinus, Froſſardus, Polydorus, Walſinghamus. Obiit hoc anno ex morbo apud S. Audomarum Ludouicus Comes Flandriæ Socer Philippi Audacis Burgundiæ Ducis, *Froſſardus:* Quare ſpernendi *Meyerus, & Ioannes à Leidis,* quorum hic à Ludouico Aurelianenſi adeo conſtrictum inter lectum, & parietem ſcribit, vt intra triduum obierit; ille à Biturigum Duce pugione vulneratum. Iacobus fit Rex Cypri mortuo ſub anni præcedentis finem, Petrino, emiſſus à Genuenſibus apud quos detinebatur à tempore occupatæ Famaguſtæ, ac coronatus eſt Nicoſiæ Rex Cypri, & Hieroſolymorum, *Nebienſis, Folieta, Stephanus Luſinianus.* In Luſitania mortuus eſt ex diuturno morbo 20. Octobris, Rex Ferdinandus ætatis anno 43. Regni 17. & eius ſucceſſori magnæ turbæ concitatæ ſunt. Rex enim Caſtellæ ſibi deberi regnum contendebat, ob Beatricem vnicam Ferdinandi filiam: Luſitani ex ſua gente volebant Regem: erant Ferdinando duo fratres ambo Ioannes dicti, ſed vnus ex legitima conjuge natus, qui profugerat in Caſtellam, alter ex pellice Magiſter Ordinis Auiſij, qui poſteà Rex creatus eſt. Hinc Caſtellani magnam Luſitaniæ partem occuparant, &

obſederant Olyſiponem, vnde ſolâ peſte repulſi ſunt. In qua vrbe Epiſcopus Martinus qui à Caſtellanis ſtabat dum compeſcere vult ſeditionem, ex turri Eccleſiæ deiectus, tractus per Vrbem, inſepultus eſt abiectus; tanto flagrabant odio Luſitani in Caſtellanos, *Mariana, Gariuaus*, &c. Rex Aragonius Petrus, medius inter Vrbanum, & Clementem hoc anno ad Vrbanum Legatos miſit vt rem faceret ſuam, & hoc Eccleſiæ tumultu abuteretur, *Surita libro* 3. Leo Rex Armeniæ ſolutus ex vinculis Sultani precibus Regum Franciæ, Caſtellæ, & Aragoniæ in Italiam venit ad Vrbanum petiturus auxilia; vnde & in Galliam venit & in Hiſpaniam, *Continuator belli Sacri*. Vtriuſq; gentis *Authores* ſcribunt à ſuis Regibus accepiſſe, vnde Regio more viueret. Hoc anno Deus aduerſus Iconomachos aliquot vindictam extendit, quorum Hiſtorias congerit ad huius anni finem *Odericus Regnaldus*, ex *Froſſardo*, *Gaguino*, & *Meyero*.

Anno Chriſti MCCCLXXXIV. Vrbanus Neapoli excommunicat Ludouicum Andegauenſem 1. Ianuarij, & in eum Crucem promulgat. Exinde Nuceriam menſe Maio atque Luceriam proficiſcitur, cùm iam Carolus ineunte Aprili, in Ludouicum progreſſus eſſet. Cardinalis Reatinus olim Abbas Caſſinenſis Petrus Tartarus, in Vrbanum res nouas molitur. *Carolus Paruus Ludouicum artibus Aragonicis deludit, offerens ei ſingulare certamen, & pugnam conſilio Othonis quem ex carcere ſoluerat. Ludouicus Barium recedit; Inde Beſeliam accurrens, quæ ſe ipſi dediderat, dum eius direptionem à ſuis impedit, ex labore moritur* 10. *Octobris, aut* 21. *Septembris. Alij ex fonte venenato potantem periiſſe ferunt; alij ex dolore quòd deluſus eſſet à Carolo, & rebus omnibus indigeret, anno ætatis* 46. *Sic copiæ eius diſſipatæ; filios duos reliquit Ludouicum & Carolum*, Thomas Walſinghamus, Summontius, & Itali, Gallique omnes Scriptores. *Tum erant tranſgreſſa Alpes decem equitum Francorum millia, in eius auxilium, & ceperant Aretium, ſed auditâ eius morte in Galliam cum reliquiis exercitus Ludouici redierunt*, Clementis vitæ Author. Mortuus quoque eſt ibidem Amedæus cognomento *Viridis* Dux Sabaudiæ, ex eodem fonte venenato, vir de re Chriſtiana optimè meritus, & author Ordinis Anunciationis cum his litteris F.E.R.T. de quo periculo *Fauinus lib.* 8. *Theatri honoris*, &

Sabaudicæ Historiæ Scriptores. Carolus Paruus victor redit Neapolim, vbi excitatus à Cardinali Reatino in Vrbanum insurgit, parans redire in Hungariam, quò vocabatur ad regnum, *Summontius, Hector Pignatellus, &c.* Dux Lanclastriæ in Anglia cum aliis in Ricardum coniurat: eam cùm detexisset Hibernus Carmelita crudeliter periit, etiam post obitum in crate vti proditor per vrbem tractus, quæ refloruisse dicitur, & ab eo cæcus illuminatus, *Walsinghamus, Polydorus & alij*. Ludouicus Borbonius Regis auunculus cum Haricurio & Trimolio, & nobilibus Gallis plurimis transit in Africam, vbi Saracenos malè excepit, exinde tantùm penuriâ, & cæli grauitate redire compulsus, *Iuuenalis Vrsinus, Belleforestius, & alij*. Pertinere videtur ad hunc annum Imperium Emmanuëlis Constantinopolitani, cui pater tum reliquit Imperium, *ex Chalcondile, & Phranze*. Is cùm Manuël, vel Emmanuël rebellasset in Amurathem, ab eo veniam petiit, eíque charissimus fuit. Eius frater Andronicus anteà iussu Patris Ioannis infuso aceto feruente excæcatus fuerat, & imperante Amurathe, quòd cum eius filio *Sauze*, vel *Moyse*, ambo conspirassent aduersus parentes, expeditione Asianâ detentos, *Chalcondyles, Phranzes*. Mortuus est hoc anno ex peste vir magnæ demissionis Gerardus Magnus author Congregationis vitæ cōmunis, Dauentriæ: inter fratres huius Congregationis, qui litteras & pietatē docebant, vacabantq; libris describendis vixit Thomas à Kempis hoc anno quartum vitæ suæ agens, *Thomas à Kempis, & Scriptores Canonicorum Regularium*. Eodem anno vitâ functus est Cardinalis Britanniæ, qui moriens tabulas consignauit, quibus testabatur Clementem legitimum esse Papam, Vrbanum intrusum, *Author vitæ Clementis*. Hoc denique anno vltimo Decembris periit Ioannes Wiclefus, cùm pridie pararet multa in S. Thomam Cantuariensem blasphema concionari; Sepultus in Ecclesia sua, & post annos 30. iussu Concilij Constantiensis exhumatus & combustus, *Walsinghamus, Harpsfeldius, & alij*.

Anno Christi MCCCLXXXV. Coniuratio Cardinalium initur aduersus Vrbanum, dum Luceriæ commoratur detecta à Thoma Vrsino; Quare Pontifex, sex Cardinales ferreis compedibus vinctos carceribus separatis includit,

cũ Petro Episcopo Aquilano; qui sæpè torti & atrociter, fassi sunt crimen. Ideò detenti ergastulis, fame, frigore, siti, & fœtore loci septem mensibus gemuere, *Hector Pignatellus, Theodoricus Niemus, & Gobelinus in Cosmodromio.* Idem Vrbanus Carolum Paruum, & Margaritam eius vxorem, excommunicat, & Neapolim subiicit interdicto. Carolus Burillum capit & carcere includit, obsidet Luceriam, capit, & diripit, solâ arce resistente, ex qua tandem educitur Vrbanus, ope, Raymundi de Baucio, Nolæ Comite, & Thomæ Sanseuerinate Duce Andegauensis, nec sine magno periculo deductus cum Cardinalibus suis, tam liberis, quam captiuis Minorbium Apuliæ, inter Barletam & Tranum exceptus 17. Iulij à Triremibus Genuensibus, peruenit Genuam 23. Septemb. vbi exemit vinculis Adamum Anglum, in gratiam Regis Angliæ, & minùs nocentem, spoliatum tamen dignitate Cardinalatus, *Gobelinus, Niemus, Walsinghamus Summontius, Krantzius & alij.* Carolus Paruus pergit in Hungariam: & verò coronatus est vltimâ die Decembris ab Arch. Strigoniensi, non sine magnis portentis breuitatis eius regni, dissimulante Reginâ matre, & filiâ Mariâ, quam hic dare filio suo Ladislao decreuerat, licèt desponsata esset Sigismundo, qui tum se in Bohæmiam receperat, *Thurosius, Bonfinius, Summontius, & alij* *Carolus VI. Bellum Anglis indicit, mittit Ioannem Viennensem maris Præfectum in Scotiam, qui cum Scotis Angliæ Borealia depopulatur, sed retrocedere cogitur Rege Angliæ superueniente, ortâque dissentione inter Scotos, & Francos, expeditio illa euanuit. Statuerat & in Angliam mittere exercitum, sed impediit renouatum à Flandris bellum, quibus tandem pax est concessa, & Gandauensibus cedentibus, à Philippo Burgundo,* Iuuenalis, Frossardus, Walsinghamus, Meyerus, &c. In Lusitania Ioannes Magister Auisij 5. Aprilis Rex coronatur, qui & vincit Castellanos grandi prælio ad vicum Aliubarrotam 14. Augusti. Hinc aduocauit Ioannes in auxilium suum Anglos, & Lanclastriæ Ducem ius sibi ex coniuge in regnum Castellæ arrogantem, vt Castellæ Rex Francos, & Ludouicum Borbonium Regis auunculum, qui eò cum copijs missus est, *Mariana, Walsinghamus, Frossardus & alij. Carolus VI. extorsiones in Clerum Clementis reprimere cogitur,* Iuuenalis,

Edictum Parisiense 6. Octobris. Bernabos Vicecomes à Ioanne Galeatio Virtutum Comite capitur dolosè, & septimo pòst mense veneno necatur, anno ætatis 66. obiit in sinu suæ concubinæ, pœnitens tamen criminum. Galeatius potitus Mediolano, & thesauris patrui, excusauit factum suum, quòd ipsum præuenisset, à quo sibi tendebantur insidiæ, *Corius, S. Antoninus, Leonardus Aretinus, & alij.*

Anno Christi MCCCLXXXVI. Carolus Paruus in Palatio arte Elizabethæ Reginæ, & Nicolai Gari, à Blasio Forgacho milite robustissimo grande vulnus accipit in capite; Garus Palatij fores claudit, ne Carolini eo potirentur, Carolus in carcerem detruditur, venenum eius vulneri inditur, & faucibus obstructis strangulatur 6. Februarij, *Thurosius, Bonfinius, Corius, S. Antoninus, & alij.* Neapoli his auditis inter ludos & plausus de Caroli coronatione, Ladislaüs, seu Lancelotus decennio maior 25. Februarij coronatur. Sed Duces partis Andegauensis quibus additus Otho Brunsuicensis Ioannis cæsæ maritus, cum Thoma Sanseuerinate Ludouici copiarum Præfecto, Ludouicum filium, Ludouici Andegauensis mortui, Regem, & Clementem Papam proclamant, & Neapolim rorumque ferè regnum sibi subiiciunt, Margaritâ cum Ladislao ex Castro Oui Caietam fugiente, nequicquam Vrbano sollicitato; qui tamen Raymundum de Vrsinis cum copiis, sed tardius misit. Cùm ergo Ludouici res bellè procederent adueniente Monioiâ Clementis Nepote, à Ludouico misso cum titulo Proregis, Sanseuerinus, & Otho se contemptos rati ad sua recessere, & ad Ladislaum respectare cœperunt, quæ tamen aliqui in annum sequentem reijciunt. *Collenutius, Summontius, & alij.* Corcyra insula quæ Carolo Dyrrhachino paruerat eius auditâ morte respexit ad Veneros, eorumque se adiunxit Imperio, à quibus commodiùs defendi posset, *Appendix ad historiam Andreæ Danduli.* Elizabetha cum filia Maria & Nicolao Garo inuisentes inferioris regni fines, sine militaribus copiis 1. Maij capti à Ioanne Horuato Croatiæ Præfecto, Caroli fautore. Garus & Forgadus in oculis Reginarum cæsi, Elizabetha ore obstructo in fluuium proiecta,

Maria in carcerem conie&ta, cæteris eius puellis constupratis. Tunc Sigismundus annum agens 20. auditâ Caroli morte cum copiis Hungariam ingressus Budæ coronatur die festo Pentecostes: statim in Horuatum mouit (qui ei tamen Mariam remiserat, & hunc tandem captum candentibus forcipibus discerpi, & crudeliter enecari iussit, cum sociis omnibus præter Episcopum Zograbiensem, ob dignitatem, tantùm suâ dignitate & bonis spoliatum, *Bonfinius, Thurosius, & alij.* Iazello Dux Lithuaniæ promittens se futurum Christianum ducit Heduuigim hæredem Poloniæ Regni. Is eiuratis erroribus baptizatus dictus est Wladislaüs 14. Februarij, & 18. coronatus, & inunctus est Rex Poloniæ; Episcopatum mox Vilnæ constituit, Ecclesiásque passim dotauit, superstitiones, atque profanos ritus abstulit, magno vtriusque Gentis commodo, & cuius nunquam Polonos pœnituit, *Cromerus, Æneas Syluius, Michouius. Carolus Franciæ Rex grandem apparatum adornat, vt traiiciat in Angliam, hoc est, mille ducentas naues, & vrbem ligneam cum turribus; qui apparatus cunctatione, aut veriùs proditione Ducis Bituricensis, Patrui Regis dissolutus est; cùm fortuna Francis ridere videretur, ob motus ciuiles Angliæ, & Ducem Lanclastriæ, in Lusitaniam cum magnis copiis delatum,* Frossardus, Iuuenalis Vrsinus, Valsinghamus, Polydorus, Meyerus, & alij. Petrus Aragonius quinquagesimum regni sui annum celebrauit, quando & ab omnibus suis subditis, etiam Clericis pecuniam exegit. Eius quoque filius primogenitus Ioannes malè à patre habitus, suasu nouercæ supremum Magistratum Aragoniæ implorauit, qui tunc saltem vim impediit, *Surita lib.* 3. Dux Austriæ Leopoldus Heluetios ad obsequium reducere molitur, & Sampachium obsidet, non procul à Lucerna: die 9. Iulij auxiliatores Lucernates, Vrij, Suitij, Vnderualdij, ei occurrunt pedites mille sexcenti, & locum peditibus idoneum occupant, defluunt ex equis Austrij, eos inuadunt, sed Heluetij resistunt acriter; dum ergo nobiles armorum pondere, æstuque pressi, equos ascendere volunt sentiunt eos longiùs à famulis abductos: itaque cæduntur duo millia nobilium cum Duce Leopoldo, qui tum dicebatur *militiæ decus & gloria Auratorum equitum.* Victores

res eius percussorem crudeliter interemerunt, *Felix Faber in sua Historia Suecica, Crusius, Cuspinianus, Heluetica Historiæ Scriptores.* Vrbanus captiuos Cardinales, cum aliquot Prælatis enecari iubet, vel culeo insutos mari demergi, aut strangulari in carcere, & in stabulo equorum in calce viua sepeliri, vel securi percuti; quare duo Cardinales Pileus Rauennas, & Galeottus de Petramala suspecti ei miscuisse venenum ad Clementem fugerunt, quorum Pileus dictus est trium Pileorum Cardinalis, *Niemus, Gobelinus*, qui causam addit huius seuetitatis ab omnibus improbatæ, quòd Vrbanus ab amicis & affinibus vinctorum veneno, & armis appeteretur, *Blondus, Platina, Boninsegnius, Nauclerus, & alij.* Vrbanus ampliùs anno Genuæ commoratus, cùm non satis coleretur ab Genuensium Duce Antoniotto Adornio, abit Lucam, *Folieta, Gobelinus, Massonus.* Instituta est hoc anno Congregatio Fæsulana Fratrum Mendicantium S. Hieronymi authore D. Antonio Sacerdote filio Comitis Montis-granelli, qui secessit cum sociis in montes Fæsulanos *Onuphrius, & Bullæ Pontificum. Parisijs initum duellum inter Ioannem Carusetum & Iacobum Griseum, hoc anno celeberrimum die 21. Decembris, decretum etiam à Senatu Parisiensi cùm probationes deficerent an Griseus Caruseti vxorem corrupisset, à qua hic accusabatur; prostratus Griseus factum eiurauit, & cæsus est: Innocentem fuisse asserit* Iuuenalis Vrsinus; Frossardus & Monachus S. Dionysij, *nocentem.*

Anno Christi MCCCLXXXVII. Mortuus est Pompeiopoli, seu Pompelonæ Carolus Nauarræ Rex cognomento *Malus*, dicendus *Pessimus*, & *Bipedum sceleratissimus*, viuus combustus, cum viribus exhaustis, ex intemperantia, dum linteo cum medicamentis inuolueretur, vel aqua viuâ, saliente scintillâ in linteum, aut cortinis lecti eius incensis viuus est combustus, & mortuus inter crudeles dolores 15. eiusdem mensis, nondum pœnâ satis dignâ eius sceleribus. Vixit annis 55. regnauit ab obitu patris 43. cum 3. mensibus, à morte matris cuius erat proprium regnum 37. cum 3. mensibus, *Frossardus, Iuuenalis Vrsinus, Paulus Æmilius, Gariuæus, Mariana, & alij.* Successit ei filius Carolus annos natus 25. dictus *Nobilis*, dissimil-

limus parri, qui ftarim Clemenrem agnouit, cùm Vrbano pater adhæfiffet. Securus eft Carolum quarto pòft die Perrus Rex Aragonum annos natus 75. regni fui ferè quinquagefimo primo expleto. Succeffit ei Ioannes filius primogenitus, qui ftarim in Nouercam fæuiit, & in partes Clemenris rranfiit, rotus deditus ludo, & voluprati, arque à fuis maioribus degener, *Mariana*, *Surita*. *B. Petrus de Lucemburgo obiit Auenione 5. Iulij, regio & Imperatorio genere illuſtris, ſed adhuc ſanctitate clarior, ætatis 18. ex morbo, quem ex vitæ auſteritate contraxerat, deſignatus anno vitæ 15. Epiſcopus Metenſis, ac paulò pòſt Cardinalis à Clemente; ad cuius ſepulchrum in communi Cœmeterio inopum (ſic enim ſepeliri voluerat) innumera ſunt facta miracula, atque inter alia 42. duo mortui ſuſcitati. Non eſt relatus in numerum Sanctorum, quòd Cardinalis factus eſſet à Clemente VII. Antipapa credito, ſed Clemens VII. verè Pontifex 1527. eum & Beatum coli permiſit, non vocans Cardinalem, ſed Reuerendum in Chriſto Patrem*, Froffardus, Molanus, Auctuarium ad Ciacconium, & alij. *Clemens videns multos Principes à ſe ſtare petit Concilium, & conditiones offert honeſtiſſimas, ſicque multos ad partes ſuas attraxit.* Mutius, Niemus, Antoninus, & alij. *Multi Nobiles Galli, immò & vniuerſa Gallia conqueſta eſt, expeditionem in Angliam obruptam eſſe; itaque noua conſtituitur, cui deſtinantur Cliſſonius Comes Stabuli, & Ioannes Viennenſis Admiralius, maximè, cùm id temporis Anglia valdè domeſticis tumultibus turbaretur: Verùm hæc iterum diſſipata eſt à Duce Britanniæ, qui Cliſſonium ob redemptos per eum ex carcere Anglicano filios Caroli Bleſenſis, datámque eorum Maiori filiam ſuam in vxorem. Iuſſerat eum Dux in mare præcipitari eâdem nocte, ſed Præfectus Arcis Venetæ, Duce ſuo prudentior fuit, qui eam necem diſtulit, donec ira Principis deferbuiſſet. Sic liberatus Cliſſonius dato auri magno pondere, & Caſtris aliquot, quæ tamen iubente Rege Franciæ reſtituta ſunt: Seruatum tamen multorum odiorum, & malorum fermentum*, Iuuenalis Vrfinus, Froffardus, Paulus Æmilius, & alij. *Pariſiis Ioannes de Monteſino Dominicanus contra Conceptionem B. Virginis aliqua aſſerens, ſibi atque Ordini ſuo magnam perſecutionem accerſiit*, Iuuenalis Vrfinus, Ioannes Gerfon. Wicleffiftæ aliter Lollardi dicti, Angliam maximè turbanr, vfi quodam Auguftiniano Apo-

ſtata, qui Ordini ſuo multùm moleſtiæ intulit. *Walſinghamus.*

Anno Chriſti MCCCLXXXVIII. Afri videntes ardere bello Italiam, infeſtant eius littora atque Siciliæ, quare à Chriſtianis in eos ſuſcepta expeditio, Duce Manfredo Claromontio, qui Gerbam inſulam, olim dictam Menyngem occupauit 4. Iunij, & victoriam nobilem retulit multis cæſis, rediitque 18. Auguſti, *Hector Pignatellus.* Eodem tempore Amurathes Turcorum Sultanus Albaniam inuaſit, & regionem deuaſtauit, *S. Antoninus.* Turcæ quoque reliquam Græciam infeſtabant: Quare Maria eos metuens vendidit Venetis Argos, & Naupliam, *Muſulmanicæ Hiſtoriæ lib. 5.* Turbatur Regnum Neapolitanum, per Othonem Brunſuicenſem, qui retunditur à Montoia, *Summontius.* Vrbanus Peruſium relinquit, & verſus Neapolim proficiſcitur, quam turbatam audiebat; ſed Tibur deferri cogitur, cùm ex mulo decidens grauiter læſus eſſet, vnde Romam perrexit, quò peruenit ſub Octobris initium, *Niemus, Gobelinus, Krantzius, Walſinghamus, & alij. Quidam Eremita ad Carolum VI. Regem Franciæ venit, ei denuncians multa mala niſi ſubditos vectigalibus leuaret. Hic cum iam attigiſſet annum 21. patruis ſuis gratias egit, ſuſcepturus deinceps regni ſui adminiſtrationem. Quod patrui adeo moleſtè tulerunt, vt vulgò creditum ſit, eos veneno ſuſtuliſſe Cardinalem Laudunenſem, quòd ſuggeſſiſſet hanc regni adminiſtrandi cogitationem.* Author vitæ Clementis, Iuuenalis Vrſinus, Froſſatdus, & alij. *Dux Turonenſis Ludouicus Regis Caroli frater, poſteà dictus Aurelianenſis duxit vxorem Valentinam Io. Galeatij Virtutum Comitis vxorem, cum dote quadringentorum millium Florenorum auri, Dominio Vrbis Aſtenſis, & mundo muliebri maximi pretij,* Corius, vitæ Clementis Author, & Hiſtoriæ Gallicæ Scriptores. Dux Gueldriæ, qui etiam cum Rege Franciæ contendere auſus erat, dum pergit in Pruſſiam captus eſt, atque ſpoliatus eſt à graſſatoribus; liberatus à Magiſtro Pruſſiæ, rediit ad eum à quo captus erat, & cum eo conuenit, vt vindictam de eo nunquam ſumeret, aut curaret, *Froſſardus: Krantzius* tamen ſcribit eum in prælio captum fuiſſe. Petrus de Luna Cardinalis Clementis Conuentum habuit Palletiæ 4. Octobris, multorum Epiſcoporum, coram

Ioanne Rege, vbi Conſtitutiones aliquot editæ toto Regno ſeruandæ, *Tomi Conciliorum.* Albertus Sueciæ Rex bellum gerit aduerſus Margaritam Daniæ & Noruegiæ Reginam, quod illa fortiter, & animo virili propulſauit, commiſſo prælio victus, & captus cum filio Henrico ductus eſt in Arcem *Bohus* vbi 7. annos exigit, *Olaus Magnus lib. 2. cap. 24.*

Anno Chriſti MCCCLXXXIX. Vrbanus Viſitationis B. V. feſtum inſtituit 2. Iulij, *Bonifacius IX. Conſtitutio I. Gobelinus, Baronius in Martyrologium Rom.* Item Iubilæum reducit ad annum 33. in gratiam annorum quibus vixerat Chriſtus: vt quidam tamen putant quò de Romanis benè mereretur eóſque reconciliaret ſibi. *Niemus, Gobelinus, Boninſegnius, Walſinghamus, S. Antoninus, & alij.* Idem Vrbanus Romæ moritur die Veneris 15. Octobris, aut 13. aut 17. cùm ſediſſet annis vndecim, menſibus 6. & diebus 8. nullis munitus Sacramentis. Certè ſuis ditandis addictior fuit quare meritò poſteà ſunt exterminati, *Onuphrius, Niemus, & alij.* Electus eſt in eius locum, die Martis 2. Nouembris, Petrus, ſeu Perinus Thomacellus, die 9. aut 11. eiuſdem menſis, coronatus & dictus Bonifacius IX. annos natus circiter 45. vir bonus, & caſtus, ſub quo tamen corruptiſſimi mores extitere Simoniacorum, ad quos & tranſiiſſe dicitur, *Author vitæ Clementis, Niemus, Gobelinus, S. Antoninus.* Scoti de Anglis magnam Victoriam referunt, *Io. Maior, Buchananus, Walſinghamus, Froſſardus. Elizabetha Bauara Regina recipitur Pariſiis magnificentiſſimè 20. Iunij, vbi Rex in haſtiludiis præmium ſine adulatione retulit: hinc perrexit Auenionem ad Clementem; qui tum Ludouicum iuniorem Andium Ducem Regem vtriuſque Siciliæ creauit, 1. Nouembris,* Author vitæ Clementis, Iuuenalis Vrſinus, Froſſardus, & alij. *Inde Carolus Tholoſam venit, vbi cum dolore didicit Patrui ſui Ducis Bituricenſis rapinas; quare ei Occitaniæ Præfecturam ademit. Vidit & Tholoſæ, aut Mazeriis Fuxi Comitem, Phœbum, qui Regem amantiſſimè, & honorificentiſſimè accepit,* Froſſardus, Belleforeſtius, Iuuenalis Vrſinus. *Paulus Tigrinus, aliter Tagaſius, venit in Gallias, finxitque ſe Patriarcham Cõſtantinopolitanum, vbi 30. millia aureorum dicitur à variis emunxiſſe.* Sed dum veniſſet Romam ad Vrbanum, detectus in carcerem coniectus eſt, diuitiiſque ſpoliatus. Dimiſſus à Bonifacio, *venit ad Cle-*

mentem, à quo vt à Cardinalibus receptus Lutetiam repetiit, vbi mira pollicitus, secumque deducens duos Religiosos Sandionysianos, qui referrent libros S. Dionysij manu propriâ scriptos, eiusque zonam; sed vbi mare attigit corruptis pecuniâ nautis, clam aufugit, omnibus turpiter illusis, Iuuenalis Vrsinus, & Monachus Sandionysianus. Lazarus siue Eleazarus Rex Triballorum, seu Bulgariæ, vel Mœsiæ, coactus pacem inire cum Turcis, malè acceptus ab Amurathe, excitis ex Bosnia, Hungaria, Italia auxiliis, in Turcos mouet cum quingentis millibus armatorum: huic occurrit cum copiis ingentibus & duobus filiis Baiazethe, & Iacupe Amurathes, & die 4 Iunij in campis Cosouanis confligit: victi Christiani, cæsus ipse Lazarus, sed magna cum Turcorum strage. In quâ & cecidit Amurathes ipse interfectus dum hostes insequitur à Triballo ad eum proditoriè accedente, aut dum mortuos recognoscit, ab eo semimortuo sicâ percussus, aut denique à pedite quem insequebatur. Obiit annos natus 68. regnauit annis 31. aut 33. non. 57. vt quidam scribunt. Antequam mortis eius fama vulgaretur, Turcæ Baiazethem filium Regem salutant; Iacupem, quasi à patre vocatum laqueo enecant. Dictus Baiazethes *Gilderum*, hoc est, *Fulmen*, ob ingenium vehemens. Successit Lazaro patri Lazarus, dictus à Christianis Stephanus, qui & filiam suam posteà Baiazethi dedit vxorem, *Historia Musulmanica, Chalcondiles, Leunclauius, & alij.*

Anno Christi MCCCXC. Celebratur Romæ Iubilæum magno fidelium concursu, ab iis qui agnoscebant Bonifacium Papam, non tamen eo qui fiêri solitus erat, maximè ob collectores importunos pecuniarum, *Magnum Chronicon Belgij, Niemus, S. Antoninus.* Transiit & in alias Prouincias, quæstoribus abutentibus hoc Iubilæo ad multas pecunias emungendas, *Niemus*: non est tamen audiendus *Corius*, qui ait, hoc Iubilæo relaxata omnia peccata etiam sine exomologesi. Idem Bonifacius IX. restituit in regnum Neapolitanum, & Siculum Margaritam, atque Ladislaum, húncque coronandum curat Regem Siciliæ, atque Hierosolymæ. *Sed euocatus à Neapolitanis cum valida classe, & multa nobilitate appulit Neapolim Ludouicus II. Andegauensis mense Augusto, & occupauit Arces Vrbis, quæ stabant*

à Ladislao, & regnum hoc componit, Summontius, S. Antoninus, & alij. Florentini & Ioannes Galeatius magno implicantur bello, quod durauit annis ferè 12. nonnunquam tamen, sed ad breue tempus interruptum. *Petierunt illi auxilium à Francis, quod eis negatum curante Duce Turonensi in gratiam Galeatij, nisi eiurarent Bonifacium, & aliquid pecuniæ quotannis Francis persoluerent; Hi fortiter vtrumque recusarunt vtpote illud irreligiosum, hoc libertati suæ aduersum*, Iuuenalis Vrsinus, Paulus Æmilius, Leonardus Aretinus, S. Antoninus, Boninsegnius, Poggius, Corius, &c. *Genuenses hoc anno implorant eorumdem Francorum auxilium aduersus Afros, qui eorum littora populabantur: impetrarunt nullo negotio, & Angli iuncti, & Veneti Duce Borbonio Regis auunculo, in Africam traiecerunt; eòque appulerunt 21. Iulij, nequicquam obsistente Rege Tunetano, quem tandem compulerunt & armis, & responsione forti Borbonij captiuos reddere, abstinere ab excursionibus, & 10. aureorum millia numerare*, Nebiensis, Folieta, Iuuenalis Vrsinus, Paulus Æmilius, Io. Mariana; *qui tamen non Tunetum, sed Aphrodisium obsidione tentatum scribit.* Henricus Comes Derbiensis, filius Ducis Lanclastriæ, qui comitatus erat Borbonium, perrexit prætereà in Prussiam pro Cruciferis in Lithuanos, vbi Castra aliquot occupauit, *Walsinghamus, Cromerus, Krantzius*, &c. Multi ex Gallis peregrinationem Hierosolymitanam suscepere, non tamen suscepta expeditio in Armeniam, vt sperauerat Rex Armeniæ, tum degens in Gallia; immò ab hoc tempore omissæ expeditiones in Orientem, *Heroldus, Continuator belli Sacri.* Ioannes Rex Castellæ 9. Octobris equestri ludo, vt peritiam suam ostentaret, equitans in campo sulcis distincto, cespitante equo deiectus, momento temporis extinctus est, annum agens 33. cùm regnasset annos vndecim, menses quatuor. Alij tamen in leporis insecutione cecidisse aiunt die Dominicâ, *Gariuaus, Mariana, Santius, Iuuenalis Vrsinus, Monachus San-dionysianus.* Successit ei filius Henricus dictus *Valetudinarius*, annorum vndecim, quare ei dati ab Ordinibus procuratores, donec pax facta cum Lusitanis, *Mariana.* 18. Aprilis obiit quoque Robertus Rex Scotiæ ætatis anno 74. Regni 19. successit ei Ioannes primogenitus, qui dictus est ab ordinibus Robertus III. ob duorum Rober-

ctorum bello, atque pace felicitatem, aut infelicitatem duorum externorum Regum Angli atque Franci. Hic equi calce percussus claudus fuit, itaque regni administrationem fratri suo, item dicto Roberto, reliquit, ipse Regis nomine contentus, quòd belli laboribus se crederet imparem, etsi non malè viuo patre rexisset ille, *Ioannes Maior, Hector Boethius, Buchananus. In Francia multi Venefici deprehensi puteos inficientes mendicabulorum habitu, cuius etiam suspecti fuere Patres Dominicani, licèt innocentes, odiosi omnibus ob quæstionem ab eis motam de Conceptione Beatæ Virginis*, Monachus Sandionysianus. Pars Borealis Mundi versus Groenlandiam, dicta *Estotilandia*, olim detecta à piscatoribus eò tempestate delatis, hoc anno recognita est à Nicolao, & Marco Zenis nobilibus Venetis, sub auspiciis Zichini Regis Frislandiæ, *Appendix Pontani in descript. Daniæ, Ramusius, Tom. 2. Periplorum; & Ortelius in suo Theatro Geographico.*

Anno Christi M C C C X C I. *Bonifacius terretur metu armorum Comitis Armaniaci, qui à Florentinis euocatus in auxilium contra Galeacium, in obsidione Alexandriæ, dum fortiùs quàm cautiùs pugnat, occisus est. Itaque scribit ad Regem Francorum; Sed & in hunc Anglum incitare conatur, quasi sibi atque suis Italiam vindicare conaretur*, dum etiam Anglus contra Romipetas Ecclesiasticos aliqua decreta emisisset, *Froissardus, Walsinghamus.* Idem Pontifex 7. Octobris Birgittam Suecam in Sanctarum numerum retulit, & pacem per Legatos suos inter Florentinos & Ducem Mediolanensem gnauiter procurauit; item Academiam Ferrariæ statuit, *Litteræ Bonifacij.* Maria hæres Regni Trinacriæ Comiti Exericæ Martino Regis Aragonum ex Fratre Martino Duce Monblanci nepoti, indulgente Clemente nubit: hi venientes in Siciliam inuenere à quibus exciperentur: Nam Bonifacius eam in tetrarchias partitus erat, quibus præfecerat Andream Claromontium, Manfredum, Alugonam, Antonium Vintimilium & Guil. Peraltum: verùm cùm exscensionem fecissent in insulam pater, & filius Martini, eam breui penè totam sibi vindicarunt: sed rursus aduersarij antedicti præualuere; Et cùm Martini res deploratæ viderentur, rursus refloruere, vt mox dicetur. Regno interim seditionibus, defectio-

no, filio Comitis Altauillæ cum dote 30. millium ducatorum: Quæ abducta exclamauit publicè Andream felicissimum militem, qui vxorem Domini sui legitimam, concubinam habiturus esset, *Summontius lib. 4. cap. 2.* Martinus cum Maria redeunt in Siciliam mense Februario, & Panormum capiunt. Claromontius interfectus, Manfredus in carcerem compactus, omnes vrbes Siciliæ præter Messanam, Syracusas, & Arcem Catanæ Aragoniorum iugum excusserunt adultâ æstate, *Surita, S. Antoninus, & alij.* Ecclesiastica quoque ditio, in Italia ciuilibus bellis ardebat dissidiis inter Antonium Montis Feretri Dominum Catolum Galeotum, & Pandulphum Malatestam, *Litteræ Bonifacij. Iterum Gallia grauiùs turbatur: Petrus enim Craonius instigante Duce Britanniæ noctu aggressus cum aliquot armatis Oliuarium Clissonium inermem, multis vulneribus confectum pro mortuo reliquit, & fugit ad Britonem. Qui iussus eum Regi post sanatum Clissonium reddere, tergiuersatus est; itaque Rex collectis copiis ipse in eum mouit. Venit Cenomanum vnde profectus sub Meridiem æstuoso tempore, ineunte Augusto, subito furore correptus in suos sæuire cœpit, quando & Ducem Aurelianensium pæne occidit. Reductus Cenomanum nihil sentiens, neminem agnoscens, quasi mortuus iacuit per biduum: recreatus tamen operâ Medici Laudunensis, & precibus pro eius valetudine profusis, ita tamen sanatus est, vt ex interuallis insaniret; Quare magnæ sunt enatæ turbæ, administratione regni demandatâ patruis auaris, atque rapacibus, cùm huic frater Regis Dux Aurelianensis, ob ætatem impar esset. Clissonius statim expulsus aulâ, & officio exutus; qui tamen aduersus Ducem Britanniæ bellum adeò atrox commouit, vt eum ad parum honestas Principi conditiones pacis impulerit: Variæ huius morbi prolatæ sunt causæ, fortè omnes simul veræ.* Historia Caroli VI. Iuuenalis Vrsinus, Frossardus, Paulus Æmilius, Gaguinus, Monachus S. Dionysij, & alij. *Actum est hoc anno de reconciliatione Ecclesiæ in Gallia, Bonifacio opem Francorum implorante, & Clemente eam præ se ferente, multisque huic concordiæ allaborantibus, quorum labores euanuerunt,* Iuuenalis Vrsinus, & Monachus Sandionysianus. Fundata est hoc anno prima in Germania Academia Erfordiensis, cui multa priuilegia Bonifacius contulit, *Krantzius*; quod falsum: Iam enim Pragæ à Carolo IV. Imp. excita erat, &

Coloniæ anno 1388. ab Vrbano VI. vt tradit *Middendorpius.*
Anno Christi MCCCXCIII. 28. *vel* 27. *Ianuarij in Scurilli ludo nocturno, dum nuptiæ nobilis cuiusdam puellæ celebrarentur, Rex Carolus syluestris hominis personam referens; villis lineis resinâ ad corpus admotis tantùm non est combustus viuus, cùm vni ludionum eorum propiùs Dux Aurelianensis admouisset facem; repentè omnes accensi horrendis clamoribus iocum in lamenta conuerterunt, Rex eos vinctos ducens, reliquit funem, & Aurelianensis Ducissæ longâ veste inuolutus seruatus fuit, extinctâ flammâ, priusquam ad viuum peruaderet; duo extincti eodem loco, & inter eos Author huius ludi, duo domum relati post biduum obiere, quintus se in vas quo cyathi eluebantur aquâ plenum iniiciens, mortem non cruciatus euasit. Aurelianensis egregium Sacellum excitauit in æde Cælestinorum Lutetiæ, familia Regia nudus pedibus, ad Montem Martyrum, & Sanctum Dionysium iit, solo Rege, ob valetudinem, in equo consistente, capsâ aureis vestitâ laminis S. Martyri oblatâ. Rex ab eo tempore in pristinam recidit amentiam ad medium Iunium Abbatisuillæ, ad quam accesserat cum patruis, de pace cum Anglis acturus. Neminem agnoscebat præter Valentinam, quæ ei plurimùm placebat; Ideò hæc accusata maleficij; Quare & à Marito remissa in Longobardiam; cùm prior medicus qui Regem sanarat obiisset, oblatus est præstigiator Arnaldus Guillermus Aquitanus, qui ei sanitatem herbis quibusdam polliceretur, sed irrito conatu; ideò pœnas suæ temeritatis dependit, quod in pretiosa anima periculum artis suæ facere voluisset. Tandem sanctiùs adhibitæ preces, quas Deus exaudiit:* Monachus Sandionysianus, Iuuenalis Vrsinus, Froissardus, & omnes Historiæ Gallicæ Scriptores. *Agitur iterùm de concordia Ecclesiæ, Bonifacio ad Regem Franciæ rescribente, & Petro de Luna pro suo Clemente accedente; sed cùm vterque Pontifex esse vellet, nihil actum est,* Froissardus, Monachus Sandionysianus. *Parisiis obiit Leo Rex Armeniæ sepultus in Ecclesia Cælestinorum, bonis suis in 4. partes diuisis, quæ filio suo Notho, inopibus, Domesticis, & præcipuis domus suæ præfectis assignarentur,* Iuuenalis Vrsinus, & Monachus Sancti Dionysij. *In Gallia exagitati Iudæi, quòd quemdam ad Christum conuersum è suis interemissent clàm noctu. Eorum quidam virgis per Lutetiæ compita cæsi, vitam suam octodecim millibus aureorum redemerunt, reliqui abire regno compulsi sunt,* Iidem Authores. Bonifacius

hoc anno rogatus à Romanis in Vrbem rediit, *Litteræ Bonifacij*, *& S. Antoninus*. Wicleffi errores disseminantur in Germania, eò delati à nobili Bohæmo ex Domo *Putridi Canis*, qui Oxoniæ studuerat, per libros Wicleffi, quos secum in patriam detulerat, quibus infectus est *Ioannes Hus*, sic dictus ex villa, quæ vox *Anserem* significat, *Crusius in Annalibus Sueuicis*, *& Æneas Syluius Hist. Bohæmicæ cap. 35. &c.* Wenceslaüs Ro. Rex, & Bohæmiæ se totum effundit in libidinem, & comessationes: quæ tam horrendæ fuerunt, vt à suis coniiceretur in carcerem publicum, vbi 4. mensibus vixit in pædore: tandem impetratâ à Senatu veniâ sese eluendi, elusis custodibus fugit, & post varios casus rediit Pragam, regnoque restitutus est: sæpè tentatus veneno, quod in eum nihil potuit, *Dubrauius lib. 23.* Baiazethes interceptis Litteris Manuelis, quibus monebat Sigismundum de apparatu Turcorum aduersus Hungaros, Constantinoplim terrâ maríque obsidet: sed auditâ irruptione Sigismundi, in eum mouit; Victus est Sigismundus, ad Nicopolim, & Turcus tum aduersus Græcos, & Hungaros multùm res promouit suas, vt ille significauit Regi Francorum petens ab eo auxilia, *Iuuenalis Vrsinus*. Baiazethes redit ad obsidionem Constantinopoleos, quam Græci volunt annos decem durasse, & donec aduenit Tamerlanes, *Chalcondyles, Phranzes, & alij*. Sed certiùs, hoc anno Turcam obtinuisse, vt vicus vnus Constantinopoli Mahumetanis cum fano tribueretur, & huic decem aureorum millia in vectigal annuum pensitaretur, *Historia Musulmanica*.

Anno Christi MCCCXCIV. Bonifacius malè iterum à Romanis Præfectis habetur, & de eo actum erat, nisi & suppetias tulisset Rex Ladislaüs cum suis, qui tum ad eum accesserat, *S. Antoninus*, *Summontius*, *Blondus*: *Vniuersitas Parisiensis 10. Iunij Vigiliâ Pentecostes proposuit tres vias Ecclesiæ conciliandæ, & tollendi Schismatis, nempe*, cessionem, compromissum, Concilium generale, Epistola Nicolai de Clamengis nomine Vniuersitatis ad Carolum Regem. *Verùm cum Rex eiusque Consilium bene in hoc negotium affecti essent, id disturbauit Petrus de Luna Cardinalis, Dux Bituriensis, & alij Clementi, quàm par esset addictiores. Itaque Rex prohibuit Academiæ Parisiensi ea de re deinceps agere; quæ tamen animos non*

dimisit, sed quibus potuit modis rem vrgere perrexit, saltem Epistolis ad Clementem datis, quibus maximè de Petro de Luna, tacito eius nomine, conquesta est, Monachus Sandionysianus, Iuuenalis Vrsinus, & Litteræ in Codicibus Manuscriptis Victorino, & Nauarræo. *Clemens VII. Auenioni 16. Sept die Mercurij ex Apoplexia interiit anno vitæ 52. Sedis decimo sexto, relictis* 300. *millibus aureorum in Camerâ; & in eo defecit familia Gebennensis; mortuo ante triennium fratre eius Petro*, Author vitæ Clementis VII. Monachus S. Dionysij, Iuuenalis Vrsinus, & alij. *Rex Francorum Carolus*, Rex Aragonum, & alij Principes, *& Præsules atque Academia Parisiensis scripserunt ad Cardinales Auenionenses, ne festinarent in eligendo Pontifice, sed de tollendo Schismate laborarent; nihil profecere. Nam die decimo à Clementis obitu 26. Septembris Conclaue ingressi, post duos dies elegere Petrum de Luna Aragonium Cardinalem, prætexentes sibi opus esse capite ad resistendum Raymundo Turenio, qui eos obsessos Auenione tenebat. Obstrinxerunt tamen illum iuramento, de tollendo Schismate, quod posteà irrisit. Factus est Presbyter Sabbato* 3. *Octobris, &* 11. *Pontifex coronatus, dictus est Benedictus XIII. Ille tantùm abfuit vt Schisma tolleret, quod potius fouit: paruus corpore sed ingeniosus, & astutus virilitigator*, Monachus S. Dionysij, Frossardus, Surita, Mariana. *Rogerius Raymundus tum bello fatigabat Auenionenses, Andegauensem Ducem, & Arausicanum Comitem, gloriari solitus se pugnare cum Pontifice sine Roma, cum Rege sine Corona, cum Comite sine terra*, Iuuenalis Vrsinus. Martinus Barbuda Lusitanus in Castella magister Alcantaræ, deceptus monitis Ioannis Saxi melancholici Mauros Granarenses inuadit: & primo Regem ad singulare certamen prouocat, tum ad pugnam aliquot equitum, duorum tamen Maurorum in vnum Christianum. Reiectus à Mauro est; Hic ergo collectis 300. equitibus & 5. millibus peditum, etiam inuito Rege, die Dominicâ 26. Aprilis irrumpit in Regnum Granatense. Sed exceptus est à Rege Mauro 5. millibus equitum, & 120. millibus peditum; cæsus est ergo cum suis & ægrè impeditum quominus Mauri in Christianorum terras irruerent, *Mariana lib* 29. *cap.* 3. Baiazethes sibi hoc anno in Græcia Silistram & Empolim vindicat, multas Christianorum terras ferro, flammisque vastat, *Historia Musulmanica*,

Hieronymus Bechiuus in Annalibus Turcicis, & Littera Bonifacij.

Anno Christi MCCCXCV. *Sollicitatur Benedictus etiam missis a Carolo Rege eius fratre, & duobus Patruis, Bituricensi, & Burgundo Auenionem, cum quibusdam doctoribus, vt quod iurarat in electione sua seruaret. Offerebatur ei via cessionis, ab optimis quibusque & doctissimis probata, immò & ab Cardinalibus Auenionensibus omnibus, tribus tantùm exceptis; sed hanc Benedictus, aliasque omnes reiecit valdè iratus Academiæ Parisiensi. Sic alienatus est à Benedicto Carolus Franciæ Rex; cui tamen fauerunt semper Reges Castellæ, & Aragoniæ, sperantes apud se etiam Pontificem habituros,* Iuuenalis Vrsinus, Monachus Sandionysianus, Surita, Mariana, & alij. Ioannes Rex Aragoniæ post prandium in quodam nemore dans operam venationi, cum insequeretur excitatam ingentis magnitudinis Lupam, repentè turbatâ mente ex equo decidit, & interiit 19. Maij, annos natus 44. cùm regnasset annis 9. & 5. mensibus, vir crapulæ, conuiuiis & deliciis tantùm deditus, ex quibus videtur interiisse. Successor ei datus Martinus frater, Dux Monblanci, qui tum bellum cum filio, & pro filio gerebat in Sicilia, excluso Matthæo Comite Fuxensi qui Ioannis filiam duxerat. Quare hic cum copiis irrupit in Aragoniam, ideo Aragoniis odiosus fuit, & tandem penitus eiectus. Martinus compositis rebus Siculis immò & Sardicis, Benedictóque Auenione salutato post biennium in regnũ suum rediit, ab omnibus expetitus, *Mariana lib.19. c.5. Surita l.3.* Hoc anno Franciscus Prignanus Vrbani V. nepos dum apud Raymundum Baucium degeret, sibi ferrum in pectus defixit, curatúsque ex vulnere, vendito Altimuri Comitatu conscendit mare vt Venetias cum matre & filiis repetat: sed ad Brundusium fluctibus haustus est, sicque Vrbani familia quam hic tantopere fouerat, & nimium euehere conatus erat penitus intercidit, *Theodoricus Niemus.* Ladislaüs auctus Bonifacij copiis Auersam, & Capuam sibi subiecit: obsedit & Neapolim diebus 36. sed superueniens Ludouicus cum lecto equitatu; eum Caietam se recipere compulit, *Summontius.* Idem Ladislaüs cum Comite Fundorum Romanos iuuit, vt mutarent Vrbis regimen, sed capti cõiuratores pœnas luerunt, *HectorPignatellus.* Quare Bonifacius Ar-

cem S. Angeli refecit,& Capitolium muniuit,quæ Romanis ingratiſſima accidere, *Niemus.* Ioannes Galeatius Comes Mediolanenſis, & Virtutum Comes 150. millibus Florenorum emit Principatum à Wenceſlao, cuius & legatos magnificè excepit 5. Septembris. Quod cum inconſultis Electoribus feciſſet, id ei crimini verſum eſt cùm depoſitus eſt, *Niemus, Corius Hiſtoriæ Mediolanenſis parte* 3. Wicleffiſtæ dicti Lollardi in Anglia efferati ſuos errores publicè affigũt. Rex Eduardus qui tranſierat in Hiberniam vt eius motus compeſceret in Angliam rediit, & proceres iis fauentes minis ſuis compeſcuit, *Walſinghamus, & Harpsfeldius. Carolus Sextus. Iterum in morbum ſuum recidit, quo tantùm per interualla tentabatur, & tum quaſi aculeis toto corpore compungi videbatur; quo etiam in Gallia multi tam nobiles, quam plebei laborauerunt; cui morbo nullum remedium præter preces inuentum eſt*, Iuuenalis Vrſinus & Monachus Sancti Dionyſij. *Iudæi quartò, & vltimò pulſi ex Gallia*, Genebrardus ex eorum Chronico. Manüel Imperator cogitur à Baiazethe Imperium Conſtantinopolitanum relinquere Nepoti ſuo filio fratris ſui Andronici: Itaque ille peregrinatur per Peloponneſum, Italiam, Franciam, Germaniam, & aliàs prouincias Occidentis, *Hiſtoria Muſulmanica.*

Anno Chriſti MCCCXCVI. *Sigiſmundus Hungariæ Rex Francorum opem implorat aduerſus Baiazethem: offert ſe ſpontè Ioannes Comes Niuernenſis, Philippi Burgundiæ Ducis filius, cui adiuncti viri fortiſſimi, & experientiſſimi, Philippus Arteſius Comes-ſtabuli, Io. Mingrius Buſſicaldus Mareſchallus, Ioannes Viennenſis Archthalaſus, aliíque Proceres, cum egregiâ nobilitatis & militum manu. Venere & ex Germania auxiliares copiæ, adeo vt Sigiſmundus in ſuis Caſtris centum armatorum millia numeraret. Ac primo impetu aliquot oppida, & Caſtra Turcis eripit, ac Turcos obuios internecione delet. At dum Nicopolim obſidet, occurrit ei Baiazethes cum ducentis Turcorum millibus. Hîc pugna committitur, dicta Nicopolitana die Iouis* 18. *Septembris, in qua Comes Stabuli ardens inuidiâ in Cuſſiacum, iam de Turcis victorem in excurſione, Francos ſuos in Turcos effundit, nondum explicatis Hungarorum copiis; & Franci quidem grandi Turcos affecerunt clade, ſed cùm ex equis deſiliiſſent armati, vt tela Turcorum vitarent, & eorum equi vacui in Caſtra*

rediissent, credentes Hungari Francos esse deletos, dant se in effusissimam fugam, & pugnantes deserunt, qui tantùm multitudine obruti sunt, & cæsi præter trecentos, qui tamen mox coram Baiazethe iugulati sunt, præter octo Proceres. Periere in carcere Philippus Atrebas, Cussiacus, & alij mox ex pædore carceris & animi mœrore: redemptus Ioannes Niuernensis ducentis aureorum millibus, monente Arabe Physiognomone Turcos, eum plus viuum quàm mortuum Saracenicis rebus profuturum, quod & ostendit euentus. Demortuorum corpora diu intacta, & incorrupta permanserunt. Sigismundus fugit Constantinopolim, inde Rhodum, ac tandem in Dalmatiam & Croatiam, post 18. menses rediit, ægrè à suis apud quos odio flagrabat, admissus: Turcis tamen Cadmæa victoria fuit, cùm Christiani tantùm 20. millia perdiderint, Turcæ sexaginta, Auentinus, Frossardus, Iuuenalis Vrsinus, Chalcondyles, Phranzes, Thurosius, Bonfinius, & alij. Ioannes Galeatius Baiazethis amicus, specie mittendi apparatus venatici, quo plurimùm delectabatur, eum monuerat de modo pugnandi aduersus Francos, *Frossardus, & ex eo alij.* Genuenses dissentionibus ad extrema redacti, & omnia à Galeatio metuentes, sese Francis dedunt, qui eò viros præstantes miserunt, neque tamen satis eorum discordias componere potuerunt, *Nebiensis, Folieta, Iuuenalis Vrsinus, & alij.* Thomas Arondelius Archiep. Cantuariensis in Concilio Londinensi damnat 18. articulos ex Trilogio Wicleffi, *Walsinghamus, & Harpsfeldius: Exeunte Octobri Legati & Feciales Regum Franciæ, & Angliæ conuenerunt inter Ardram, & Calesium, vbi induciæ in 30. annos confirmatæ, adiunctis etiam sponsalibus inter Elizabetham Caroli filiam septennem, & Ricardum terdenem. Conuenere etiam hi Principes de via Cessionis à Pontificibus admittenda*, Iuuenalis Vrsinus, Frossardus, Walsinghamus, &c. Margarita Regina 3. Regnorum, Daniæ, Sueciæ, & Noruegiæ, sine liberorum spe, & mortuo iam filio suo Olao coronandum curat Nepotem suum Henricum, seu Erricum Ducem Pomeraniæ, annorum 14. adolescentem ab Archiepiscopo Vpsalensi Henrico 22. Iulij, & in Comitiis decretum ne vnquam tria ista regna disiungerentur, *Ioannes Magnus, Lindenbrogius, Pontanus, Krantzius, &c.* Atrox hoc anno certamen initum in Scotia inter duas tribus Montanas, & Syluestres, iampridem sese

crudeliter excipientes; ex Procerum, adeóque Regis consilio 300. ex vtraque parte selecti qui controuersiam dirimerent, cùm ex altera parte vnus se abdidisset, nec alia pars vnum reiicere vellet, obtulit se opifex sellularius, mercede semiaurei, qui numerum expleret, & tam fortiter pugnauit vt suæ parti victoriam pareret. Superfuit ipse cum aliis vndecim omnes vulnerati, ex alia parte vnus intactus, qui ne numero obrueretur, se in fluuium proiecit, & euasit ad alteram ripam, sic quies his populis parta, *Hector Boëtius, Leslæus, Buchananus.* Pertinet ad hoc tempus institutio Congregationis quæ posteà dicta est *Lateranensis Canonicorum Regularium S. Augustini*, à Bartholomæo Columna nobili Romano in Monasterio S. Mariæ Frigidionariæ, seu Frisonariæ prope Lucam, *Philippus Nouariensis, Miræus, Volaterranus, & alij.*

Anno Christi MCCCXCVII. *Parisiis Circulatores duo Apostatæ Augustiniani Carolum VI. sanandum suscipiunt, sed eum in vitæ discrimen adduxerunt, ideò & propter alia crimina, quæ torti, fassi sunt, capite minuti, & in 4. partes secti sunt.* Iuuenalis Vrsinus, Monachus Sandionysianus, Paulus Æmilius, Frossardus, & alij. *Tunc corruptissimus erat Franciæ Status, cùm eius doleret caput Carolus, hic tamen, cùm ex interuallo saperet ad Deum placandum optimas constitutiones sanxit; atque inter cæteras, vt iis daretur confessarius, qui propter crimina damnarentur ad necem, quod hactenus fuerat iis denegatum*, Monachus Sandionysianus. *Sollicitatus à Regibus Franciæ, Angliæ, Nauarræ, Aragonum Bonifacius admittere viam cessionis, recusauit*, S. Antoninus, Niemus, & alij. Conflata fuit hoc anno in Bonifacium Romæ coniuratio à Martino Aragonio, & Honorato Fundorum Comite, & aliis, vt Petrus de Luna Romam veheretur, proditâ ei Vrbe Veteri per Ioannem à Vico duodecim millium aureorum pretio; sic interceptus Bonifacius cogeretur ad deponendam dignitatem; sed coniuratio euanuit, cùm Petrus de Luna accedere non potuisset, & huic vni committere vellet Ioannes de Vico Vrbem Veterem, *Vita Bonifacij.* Rex Angliæ Thomam Ducem Glocestriæ Patruum suum damnantem Francorum fœdus, & multa in eum deblaterantem Calisium abduci dolo iussit captum, atque strangulari. Item Ricardo Arundeliæ Comiti iussu eiusdem

dem Regis præſciſſum eſt caput, frater eius exulare iuſſus: Tum quoque Henricus Herefordiæ Dux, Regis patruelis, filius Ducis Lanclaſtræ exire iuſſus ex Anglia ad decennium innocens, tum in multos quoque idem Rex ſæuiit, ſubditos attriuit, quibus ſibi accerſiit necem, *Walſinghamus, Polydorus, Harpsfeldius, Froſſardus, & alij. Legati miſſi ſunt ab Imperatore Emmanuele ad Carolum petituri auxilium contra Baiazethem, quod etiam ei promiſſum, & expeditionis Ducem ſe obtulit ipſe Regis frater Dux Aurelianenſis*, Iuuenalis Vrſinus & Monachus S. Dionyſij. Alij quoque in Italiam miſſi inter quos Emmanuel Chryſoloras, vbi & docuit Litteras Græcas, quas Italorum ſciebat nemo, & ludum aperuit Florentiæ, Romæ, Papiæ. Floruerunt & hoc tempore Guarinus Veronenſis, Victorinus, Philelphus, Calepinus, qui linguam Latinam reſtituerunt tum pænè iacentem. Item & Emmanuel Caleca, *Bellarminus, & alij Bibliothecarij.* Dux Mediolanenſis Ioannes Galeatius Mantuam aquâ terrâque obſidens fuſus eſt magnâ ſtrage à Carolo Malateſta fœderatorum egregio ductore, *Leonardus Aretinus, S. Antoninus.* Ludouicus Rex Neapolitanus non ſatis ſibi præcauens ob mite ingenium & deliciis addictius, res ſui competitoris Ladiſlaï promouit, ſuas afflixit, *Summontius lib. 4. cap. 2.* Vitoudus Lithuaniæ Dux ingentem de Tartaris vltra Tanaim victoriam retulit, multóſque captiuos abduxit, quorum aliquos ad Regem Poloniæ miſit, qui facti ſunt Chriſtiani & tranſierunt in Polonorum mores; alios ſibi reſeruauit, quos collocauit in ſua Lithuania, & Mahumetani eſſe perſeuerarunt, *Michouius, Cromerus, Krantzius.* Franciſcani duo Granatæ paſſi ſunt à Mauris Martyrium, auſi Granatæ, & coram Rege Euangelium prædicare, *Mariana, Wadingus.*

Anno Chriſti MCCCXCVIII. *conatus eſt Bonifacius impedire congreſſum Imperatoris Wenceſlai, & Caroli Regis Francorum; ſed fruſtrà, conuenêre enim ambo Rhemis, Imperator magnificentiſſimè ſuſceptus, vbi inter ſe egerunt de extinguendo Schiſmate, & affinitate per nuptias contrahenda inter filium Marchionis Brandeburgenſis fratris Wenceſlai, & filiam Ducis Aurelianenſis fratris Caroli*, Froſſardus, Iuuenalis Vrſinus, Monachus Sandionyſianus. *Benedictus acquieſcere non vult poſtula-*

tis Caroli Regis per Petrum de Alliaco ; Itaque obsidetur Auenione à Bußicaldo Mareschallo , qui consensu ciuium ingressus in vrbem , cogit Benedictum polliceri , non exiturum se de Arce , & Palatio , nisi composito Schismate. Ei succurere paratâ classe conatus est Rex Aragonius, sed Rhodanum tum nimis arentem ingredi non potuit , quando & multi Aragonij milites & nautæ periere & frigore , & tempestate, Surita , Iuuenalis Vrsinus , & alij. *Celebris Conuentus habitus est Parisiis 22. Maij , vbi multis vltrò citróque dictis decernitur substractio à Benedicto , & Bonifacio , atque interim vt Ordinarij Beneficiis assignandis vacarent. Quibus auditis Cardinales Auenionenses recesserunt Villam-Nouam , coactus Benedictus Palatio se occultare. Aiunt tamen 4. cum eo remansisse*, Monachus Sandionysianus & Iuuenalis Vrsinus. Rex Aragonius suadet Benedicto , vt acquiescat petitioni Caroli Regis , quod ægrè admittit ille. *Carolus viciſsim ei promittit auxilium , cibaria , præsidium , ne ei noceatur Auenione , sic includitur quasi obsessus in suo Palatio à satellitibus , qui & hoc & illum accuratè seruarent*, Surita libro 3. Rex Castellæ Henricus denegat vtrique Pontifici obedientiam, *Gonzales de Auila in Antiquitatibus Salmanticensibus.* Wenceslaus non stat promissis factis Carolo VI. de cogendo Bonifacio, sed varias excusationes atque prætextus quærit, *Litteræ eius datæ 16. Octobris apud Bzouium.*

Anno Christi MCCCXCIC. Bonifacius Annatas Beneficiorum instituit , reseruatis sibi Beneficiorum fructibus vnius anni , *Niemus* ; priùs tamen iuuentas esse ostendit *Spondanus ad hunc annum numero 2. & 3. vbi de his Annatis agit accuratè.* Romani non ex pietate sed ex spe lucri ob futurum Iubilæum reuocant in Vrbem Bonifacium, Banderesios seu Præfectos exauthorant, Malatham à Bonifacio Vrbis Senatorem accipiunt , & pecunias ad eius iter obtrudunt. Itaque tum etiam communiit Arcem S. Angeli , olim molem Hadriani, Capitolium , & pontes, factus verè Dominus Romæ, *Blondus, Platina, & alij.* Vtrùm autem Bonifacius indixerit Iubilæum in annum sequentem , vide quæ habet *Spondanus ex Victorello de Iubilæo parte 2. Albatorum* pietas hoc anno apparuit in Italia , ita dictorum ab albis vestibus, sine dubio reliquiæ *Flagellantium*, Quibus permixti sunt aliqui impostores ex Scotia crucibus

ſanguinem falſum effundentibus, imperitæ multitudini illudentes. Fingebant hi vnum è ſuis Eliam eſſe, orbémque breuì periturum, quibus ſe multis adiunxerunt longo agmine incedentes & Hymnum *Stabat Mater* occinentes, & ſe flagellis acerbè cædentes, quibus etiam permixti ſunt quidam Cardinales, multi Preſbyteri, & Clerici, *Niemus, S. Antoninus, Walſingamus, & alij. Miſſus eſt Conſtantinopolim à Carolo Rege cum valida claſſe Mareſchalus Buſſicaldus, qui Turcorum excurſiones repreſſit, & Conſtantinopolitanum Imperatorem, qui hæc auxilia poſtularat egregiè iuuit*, Iuuenalis Vrſinus, & Monachus Sandionyſianus. Hoſpitalarij quoque in Caria munitiſſimum S. Petri Caſtellum excitarunt, quo rem Chriſtianam egregiè tutati ſunt. Ad hoc excubabant canes furioſi, qui Chriſtianis ablandiebantur, Turcos allatrabant, & mordebant, quorum vnus Chriſtianum in fouea latentem, metu Turcorum, quotidie oblato ſibi pane pauit, *Æneas Syluius in Aſia Minore cap.* 88. Henricus filius Ducis Lanclaſtriæ innocens exulare iuſſus ad decennium à Ricardo Rege, & degens apud Carolum, à quo peramicè exceptus erat, audit patrem ſuum in Anglia obiiſſe, eiúſque bona à Rege ſuis familiaribus diſtribui. Dum ergo Rex in Hibernica expeditione verſaretur, cuius causâ magnas pecunias extorſiſſe dicebatur, populum Londinenſem ſollicitat ad defectionem Thomas Arundelius Archiep. Cantuarienſis, & vocat Henricum Londinium cum ſpe regni. In hanc vrbem venit ille ineunte Auguſto; lectis copiis Regi occurrit, eum in Caſtro ignauitet capit, captiuum includit in Arce Leondinienſi, & deponere regnum cogit. Ipſe inunctus eſt Rex 13. Octobris in Feſto ſancti Eduardi fictitiâ illâ Ampullâ datâ à B. Virgine ſancto Thomæ Cantuarienſi. Tum perpetuo carceri mancipat Eduardum, & paulò pòſt quaſi fugere meditantem cædi iubet. Sed varij poſteà concitati ſunt in eum Regem motus. Fictus etiam Eduardus fugiſſe in Scotiam dicitur habitu muliebri, cui multi fauerunt ſumptis armis. Nihil etiam propiùs factum eſt quàm vt à Francis bello appeteretur, ſed tandem ex his omnibus difficultatibus Henricus emerſit, *Walſinghamus, Polydorus, Ioannes à Leidis, Harpsfeldius, Froſſardus qui hic terminat Hiſtoriam ſuam, &*

Monstreletus qui eam prosecutus est, & alij. In regionibus Borealibus hyems atrocissima sæuiit, mare Balthicum gelatum adeò vt è Pomerania pedibus in Daniam traiiceretur, *Historia Danica, Krantzius, & alij.* Posnaniæ in Polonia Iudæi in SS. Eucharistiam sæuiunt, quorum impietas, vt & mulieris quæ eam rapuerat, grauiter vindicata, viui enim combusti sunt alligati canibus ferocibus, qui eos viuos inter flammas lacerarunt, *Thomas Trezerus Polonus libro de hoc edito.* Mortua est hoc anno 15. Augusti S. Heduuigis Regina Poloniæ, quæ instaurauit Academiam Cracouiensem, etiam post obitum miraculis clara, *Stephanus Damalenicius, Michouius, & Cromerus.* Obiit hoc item anno F. Nicolaus Eymericus Inquisitor Generalis Aragoniæ, Gerundæ, in patria sua, *Pegna in eius Decretorium, Bzouius, & alij. In Gallia mense Nouembri octo noctibus Cometa visus est dirigens caudam in Occidentem.* Monachus Sandionysianus, Iuuenalis Vrsinus. Spectant ad hunc annum S. Liduuinæ se Lidiæ initia inter dolores, morbos, instar Tobiæ, patientissimæ, *Thomas à Kempis.*

Anno Christi MCCCC. celebratum est magno concursu Romæ Iubilæum: *& quamquam Rex Carolus prohibuisset suos ire Romam, plurimi tamen eò se contulerunt,* Theodoricus Niemus, Iuuenalis Vrsinus. Sæuiebat nihilominùs in Italia & Florentia lues, atque in singulis diebus sexcenti, aut octingenti efferebantur, *Bonisegnius.* Peregrini quoque pessimè habiti sunt à militibus stipendiariis Bonifacij, per quos viri spoliati, mulieres speciosæ raptæ, & abductæ, *Niemus.* Honoratus Caietanus Fundorum Comes excitatus à Ladislao, Bonifacio facere satis, vtrumque contemnit, sed intra mensem ex mœrore afflictæ suæ causæ per Ladislaum, petiit in Schismate, *Litteræ Bonifacij.* Columnenses Romam nituntur inuadere Vrbéque potiri aggrediuntur Capitolium, vnde repulsi per Zachariam Taruisanum Patritium Venetum, *Theodoricus Niemus.* Wiclefistæ Pragæ acriter in Iubilæum & indulgentias debacchati sunt, *Dubrauius.* Die veneris 20. Augusti Lonsteini ad Rhenum in Diœcesi Treuirensi depositus est Venceslaus, ob detestabiles eius mores, neglectum Imperij & Ecclesiæ, Ducatus Mediolanensis venditionem, membra-

uarum puratum ſuo tamen ſigillo & Chirographo munitarum diſtributionem, datam omnium ſcelerum impunitatem, Antiſtitum & Sacerdotum tam ſuâ, quàm ſociorum manu neces, ſubmerſiones, cremationes, *Trithemius, Nauclerus, Krantzius, Hartmannus, & alij.* Habuiſſe etiam dicitur Magum ſibi chariſſimum, qui Dæmones ad feſtiuas comœdias adhibebat: Is cùm aliquando Wenceſlaum, atque eius aulicos, & Pragenſium præcipuos oblectaſſet, à Dæmone raptus deinceps non comparuit, *Dubrauius Historiæ Bohæmicæ lib.* 23. Suffectus eſt huic Wenceſlao Fridericus Dux Brunſuicenſis, quartus eius nominis Imperator: ſed dum ex Comitiis redit, cæſus eſt à Comite Waldekiano de quâ cæde accuſatus Archiep. Moguntinus, *Annales Saxoniæ, Suffridus in Pontificibus Leodienſibus, Onuphrius, Serarius, Krantzius, & alij.* Hoc demortuo iterùm conuenientes Electores diſtracti ſunt inter Iodocum Morauiæ Marchionem, patruelem Wenceſlai, & Rupertum ſeu Robertum Bauariæ Ducem, & Comitem Palatinum, cognomento *Paruum*, pronepotem Ludouici Bauari: hic ergo Fridericus vel præualens, vel poſt obitum Iodoci Morauí, coronatus eſt anno ſequenti die Epiphaniæ Coloniæ, quòd Aquiſgranum faueret Wenceſlao, & illius electionem probauit Bonifacius, non Galli, & multi Germani, qui aliquandiu Wenceſlaum pro Imperatore habuerunt, *Serarius, Niemus, Edmundus in magno Chronico Belgico, Waſſeburgus, & alij.* Wenceſlaüs hanc depoſitionem ſuam neglexit, illiberalibus deliciis immerſus, vile mancipium ebrietatis, & qui aliquando viginti aureorum millia pro vini optimi plauſtris aliquot permutarit, in cauſa Norimbergenſium, *Krantzius lib. primo Vandaliæ.* Emanuel Imperator Venetias appulit, vnde Mediolanum perrexit, *inde Lutetiam venit* 3. *die Iunij magnificè exceptus, & eam ingreſſus eſt in equo albo.* Tranſiuit & in Angliam, & vtrobique cùm auxilium peteret aduerſus Turcos prementes Conſtantinopolim, repulſam paſſus eſt, ob morbum Caroli, & turbas Anglicanas de nouo Rege, *Monachus Sandionyſianus, Walſinghamus.* Interim Conſtantinopolim aduerſus Turcos tuebatur Ioannes Emanuelis ex fratre Andronico nepos, quæ in eas anguſtias redacta erat, vt ſolo Tamerlanis aduentu ex Baja-

zethis manibus ſubducta ſit, *Chalcondyles, Phranzes.* Ladiſlaüs Neapolim occupat; recepit ſe maturiùs in Prouinciam, quam eius dignitas poſtulabat, Ludouicus Andegauenſis à Comitibus Sanſeuerinatibus proditus, cùm tamen magna regni pars ab eo adhuc ſtaret: Ladiſlaüs paulò pòſt toto potitus eſt regno, ei fauente Bonifacio, & in multos Proceres, adeóque ipſos Sanſeuerinates contra datam fidem ſæuiit, *Summontius lib. 4. cap. 20.*

FINIS DECIMI-QVARTI SÆCVLI.





DECIMVM-QVINTVM
ÆRÆ CHRISTIANÆ
SÆCVLVM,

CAROLI VII. GALLORVM REGIS, & Anglorum Expulsoris : seu MAHOMETI SECVNDI, *captâ Constantinopoli, anno* 1453. *Primi Turcarum Imperatoris.*



NNO CHRISTI MCCCCI. Robertus seu Rupertus Bauarus inuitatur Romam à Bonifacio, & in Italiam à Florentinis, vt Galeatio Mediolanensium Duci se opponeret, promittentibus ei 200. millia Florenorum. Irrupit ergo in Italiam, sed paulò tardiùs, & agrum Brixiensem ingressus, malè acceptus est à Galeatio; quare cùm ei Bonifacius defuisset, nec Venetos sibi conciliare potuisset, quos etiam adiit, viderétque infirmos esse Florentinos, inglorius in suam Germaniam regressus est mense Aprili anni sequentis, *Corius, Aretinus, S. Antoninus, Nauclerus, Mutius, & alij.* Sigismundus Rex Hungariæ à suis carcere includitur, & Ladislaüs in eius locum Rex acclamatur, atque euocatur in Hungariam. Adfuit

ille, ſed Iaderæ in vrbe Dalmatiæ iuris Hungarici ſubſtitit, exploraturus Hungarorum fidem. Inter hæc filij Nicolai Gari quibus datus erat cuſtodiendus Sigiſmundus, flexi matris ſuæ lacrymis eum emittunt ex carcere : ille fugit in Bohæmiam, vbi copias contraxit. Interim eius amici, cùm rebellibus certant ; donec ſuperueniens cum luculento exercitu Sigiſmundus regnum ſuum recuperauit. Ladiſlaüs venditâ Venetis Iaderâ centum millibus Florenorum auri, inglorius Neapolim rediit, *Thuroſius, Bonfinius.* Wicleffiſtæ ſeu Lollardi exagitantur in Anglia, atque eorum quidam exuſti, ex Statuto Comitiorum Londinenſium, *Walſinghamus, Harpsfeldius.* Fridericus, ab aliis dictus Petrus, vnicus filius Martini, & Mariæ regum, annorum ſeptem, in vmbratili certamine, confixus occubuit in oculis ſuorum parentum : vnde ex dolore mater eius Maria obiit 25. Maij, Pater filio in regnum ſucceſſit, *Fazelus, Surita.* Hoc anno Tamerlanes defendendos ſuſcipit aliquos Principes Mahumetanos, quos ex ſuis ditionibus expulerat Baiazethes ; ac primùm inter ſe litteris agunt, & minis. Tandem Tamerlanes commotus conuiciis Amorati Baiazethis Sebaſtiam obſidet & capit, atque in ea 12. hominum Myriadas interficit, pueris & mulieribus equorum vngulis obtritis, & mactatis etiam leproſis, quod agere conſueuerat : vrbs præſtantiſſima penitus æquata ſolo ; & in ea captus Orthobules filius Baiazethi, Præfectus Aſiæ, circumductus, & cæſus eſt. Quod Baiazethem compulit cum ſuis omnibus viribus in Aſiam traiicere, *Chalcondyles, Heroldus, Perondinus in vita Tamerlanis, Leonclauius, Bizarus.* Exinde in Syriam progreſſus eſt Tamerlanes, vbi Sultanum Ægypti occurrentem ſibi profligauit atque in ſuam Ægyptum retruſit : Damaſcum & Alepum cepit, & alias Syriæ vrbes, in quas more ſuo crudeliter ſæuiit : Emeſæ pepercit in gratiam Mahumetis quorumdam diſcipulorum. Quibus geſtis receſſit in Perſidem ad hiberna, *Leonclauius lib. 7. & alij.* Tradunt voluiſſe & Hieroſolymam tentare, ſed muſcis, & bruchis exercitum eius infeſtantibus, quaſi prohibitum diuinitus, ab ea temperaſſe, *Krantzus in Wandalia, Niemus, & alij.*

Anno Christi MCCCCII. *Cometes ingens apparuit, cuius*

ius meminere Iuuenalis Vrsinus, Monachus Sandionysianus, Corius, Walsinghamus, Niemus, *Qui varius in locis, aut diutius, aut minùs durauit.* In Anglia Lollardi, seu Wicleffistæ horrendas blasphemias spargunt, nequaquam tamen inter se concordes. Eandem Angliam Scoti inuadentes grandi clade affecti sunt, eorúmque multi Proceres capti, *Walsinghamus.* In Scotiâ Dauid Roberti Regis filius libidinosissimus, & in sua nequitia induratus datur fratri Regni Gubernatori, vt eum emendaret; sed hic Iuuenem includit in Arce, & fame conficere cupit, vt regno ipse potiretur: Sed filia custodis Arcis, ei panem ex auenâ defert in tenues laminas extensum, quem sub lineo velo occultabat; nutrix rustica ei lac expressum ex mamma per fistulam immittebat; quæ deprehensæ à crudeli Rectore interfectæ sunt. Periit fame miser adolescens, laceratis sibi membris, qui & mortuus miraculis claruit. Sed cùm eius necem vlcisci frater Iacobus aggressus esset, miracula cessarunt, *Hector Boëthius, Buchananus lib.* 10. *Nicolaus de Clamengiis Benedicti partes tuetur, & cum illo alij multi negant viam cessionis, quam Academia Parisiensis mordicùs tuebatur. Quare apud Syluanectum actum est à Proceribus Gallis, atque Præsulibus, de alia via, nempe Concilij, sed Benedicti artibus, & eorum qui huic fauebant, hæc quoque discussa est,* Nicolaus Clamengius, Gerson in Trilogio, Codex M. Scriptus Bibliothecæ Victorinæ. *Odia inter Duces Aurelianensem & Burgundum, quæ hactenus aut latuerant, aut amicorum operâ sopita fuerant, hoc anno in apertum eruperunt,* Francicæ Historiæ omnes Scriptores. Ioannes Galeatius Bononiam occupat, victis Florentinis, qui in auxilium Ioannis Bentiuoli accurrerant: & eodem impetu Florentiam cepisset, si vti suâ victoriâ nouisset, *Corius, Aretinus, Poggius, S. Antoninus,* &c. Galeatius 23. Sept. obiit ex febre pestilenti, natus annos 55. cui successere filij duo Ioannes Maria & Philippus Maria, ille Dux dictus, huic assignatæ multæ ciuitates: sed cùm non satis concordes, ob ætatem, dominari cœpissent, multas amisere ditiones, atque ciuitates; Patauium & Veronam obtinuere Veneti, Florentini Pisas, alij alias, *Corius, Platina, Sabellicus, Blondus. Marescallus Ioannes Maingrius Busicaldus Genuensibus datus à Rege Franciæ Præfectus, hanc vrbem optimè, hoc est sanctè, &*

fortiter administrat, omnibus virtutibus ornatus, vt fatentur ipsi Genuenses, Nebiensis atque Folieta. Contigit hoc anno celeberrima illa pugna Baiazethis & Tamerlanis die Veneris Mahumetanis sacrâ 28. Iulij, exeunte anno 804. Hegiræ, ad Tauri Montis partem, quæ *Stella* vocatur, in ea planitie in qua olim Mitridates & Pompeius dimicarant. De numero exercitus non constat inter authores, plerique octingenta millia peditum equitúmque Tartaro tribuunt, Turco quingenta, qui omnes egregiè animati depugnarunt. Ac primo impetu Europæi milites Sacruchum filium Tamerlanis recedere ad castra compulerunt: sed eos dum sequuntur ardentiùs, irruit ipse in eos Tamerlanes, ac pedem ocyùs quàm par esset coëgit referre. Quare Asiaticus miles, Europæum fugare ratus, & ipse verè fugit. Tum cæsus Mustapha filius Baiazethis, retractus alter Suleimanus à Proceribus Turcis; Tertius Mahometes Amasiam fugit, relictus cum Ianizzatis Baiazethes implicitus est. Ceciderunt in hoc prælio ex Tartaris 200. millia ex Turcis 140. millia. Alij tamen aliter, Scriptoribus inter se distractis. Qui in eo conueniunt Baiazethem deuenisse in manus Tamerlani, exceptum primò honorificè, mox mancipij habitum more, vti mox dicemus, *Chalcondyles, Phranzes, Niemus, Perondinus in vita Tamerlani, Continuator Belli Sacri, Bizarrus de Rebus Persicis, & alij.* Reliquit Baiazethes 4. filios, qui inter se depugnarunt de Imperio, quo tandem post 12. annos potitus est Mahometes, minimus filiorum Baiazethis, *Leonclauius, Chalcondyles.* Victor Tartarus Legatos misit de victoria sua ad Carolum Regem Francorum, *Monachus Sandionysianus.* Misit & alios ad Regem Castellæ, qui suos ad eum præmiserat, iíque interfuerant prælio aduersus Baiazethem, *Mariana lib. 19.* Idem Tamerlanes in patriam rediit multis prouinciis deuastatis, ac bello gesto in Regem Indorum, & cum eo pace compositâ, Sarmachandam Vrbem in qua natus erat, spoliis deuictarum à se gentium exornauit, vbi & mortuus est, sed quo anno ignoratur, variis varia scribentibus, *Leunclauius, Perondinus, Continuator Belli Sacri.* Hoc etiam anno creditur Smyrna à Tamerlane euersa fuisse, quòd Catalanus Hospitalarius (nam tum ab Hospitalariis possidebatur) vexillum Tamer-

lanis, quod vnum postulabat, erigete noluisset *Niemus, Folieta.* Emmanuel Græcorum Impetator tum Parisiis degens circa festum Omnium Sanctorum didicit cladem Baiazethis, lautissimè ibidem exceptus, *Monachus Sandionysianus. Ioannes Betancurtius Normannus ad Canarias nauigationem direxit*, Historiæ Gallicæ Scriptores, *quam posteà instituit anno* 1417.

Anno Christi MCCCCIII. Emmanuel Græcorum Imperator 22. Ianuarij Genuam ingreditur, vnde Genuensium triremibus Constantinopolim est delatus. Nihil autem res promouit suas; quia nihil aut parùm poterat, quamquam facilè esset rem Christianam restituere; in Oriente Sultano Ægyptio debellato, Turcísque non victis modò, sed mutuis fratrum discordiis sese lacerantibus. Sed cùm non Ecclesia modò, sed & Occidentales Principes inter se dissiderent, satis Manueli fuit *cum Mahomete*, victore de fratribus pacem inire, *Leunclauius, Chalcond.* Idem Emmanuel Nepotem suum Ioannem in Lemnum Insulam relegatum, posteà Regem Thessalonicæ constituit, recuperatâ Thessalonicâ: quando & nauigans in Peloponnesum communiit Isthmum aduersus hostes, *Phranzes lib.* 1. *cap.* 38. Baiazethes à Tamerlane inclusus caueâ ferreâ & circumductus, indéque extractus vt victori in equum ascendenti tergum offertet, & canis instar habitus proiecto ei pane, vel ex mœrore obiit, vel capite impacto in clastra ferrea quibus distinebatut, octauo sui carceris mense, 14. vel 15. regni sui anno sepultus est Prusæ in Bithynia, permittente Tamerlane, *Phranzes, Leunclauius, Chalcondyles* 12. Martij. Benedictus aufugit Auenione, vbi iam ab annis quinque circumsessus erat, primùm deductus ad Casttum Reginaldi operâ Iacobi Pratensis Comitis-Stabuli Aragoniæ, vt *Surita*; à Roberto Braquemontio Normanno, vt *Iuuenalis Vrsinus, & Monachus Sandionysianus. Exinde se ei subiecerunt Rex Galliæ*, & Castellæ, *Iuuenalis Vrsinus, Monachus S. Dionysij, & Mariana.* Sed mox resilierunt Galli ob eius ferociam, quando est ad eum missus Ioannes Charlerius, *Gerson* dictus à pago agri Rhemensis, *idem Iuuenalis.* Amedæus Sabaudiæ Dux Schismaticis fauens Heluetios vexat, in quorum auxilium Bernensis Bonifacius incitauit, *Theodoricus, Niemus.* Rex Hen-

ricus Angliæ rebellionibus exagitatur, & bellum difficillimum gerit aduersus Percios fratres, quando in prælio, à Iuniore Percio, & Duglassio Scoto tantùm non est cæsus in eius necem coniuratis. Duglassius captus multis vulneribus saucius, cùm quatuor suâ manu Regis insignibus ornatos interemisset, & ob virtutem seruatus. Perseuerarunt tamen rebelliones, Scotis viuere Ricardum aientibus, Anglis negantibus, *Walsinghamus, Hector Boethius, Buchananus.* Bellum inter Genuenses, & Venetos renouatum ob Famagustam à Ioanne Cyprio obsessam, cui suppetias tulit Bussicaldus: hic inde rediens Candalori naues incendit, Regem supplicem recepit in gratiam; Berytum diripuit; quod & Alexandriæ fecisset, nisi aduersis ventis prohibitus esset; sed rediens ad Peloponnesium à Veneta Classe oppugnatus 6. triremes amisit: pacem nihilominùs Genuenses cum Venetis inierunt, *Nebiensis, Folieta, Petrus Iustinianus, Sabellicus, & alij.* Parisiis iactant præstigiatores quidam se Carolum Regem curaturos: qui detecti inuocationibus Dæmonum vti (his tamen frustrà imploratis) igne viui cremati sunt, *Iuuenalis Vrsinus.* Milites Hospitalarij suis excursionibus sic Ægyptios fatigarunt, vt Sultanus aliunde sibi metuens à Tartaris, patum honestis conditionibus & vtilibus Christianis peregrinis cum eis depacisci compulsus sit, *Bosius in Historia Hospitalariorum.* Vigebat tum S. Vincentius Ferrerius Dominicanus, vir planè Apostolicus, qui multos Iudæos & Saracenos addixit Christo, multos Christianos ex vitiis retraxit: Qui priùs adhærens Benedicto, posteà eum deseruit, *Petrus Rausanus Panormitanus in eius vita, S. Antoninus, Surius, & alij.* Octo grandia cete ad littus Ostendæ proiecta sunt tempestate: & simili mulier Marina ad Edamum Hollandia capta, inde translata Harlemum, etiam nere didicit, semper muta, *Meyerus, Ioannes de Leidis, & multi testes Franci & Angli, qui ad eam videndam accurrerunt.*

Anno Christi MCCCCIV. Tamerlanes in Occidentem arma parat conuertere, eum sine dubio subacturus nisi eum Deus auertisset; ducebat enim centum hominum miliadas & magnâ disciplinâ regebat. Castra eius instar vrbium erant, in eis nulla furta, euisceratis etiam militibus

accusatis latrocinij, & pœnâ Talionis propositâ accusatori. Primo die tentorium album explicabat, quo venia spondebatur; altero die purpureum, quo Procerum mors; tertio atrum, quo omnium internecio. *Raphaël Volaterranus.* Sigismundus se pro Vicario Imperij gerit, relicto nomine Imperatoris fratri suo Wenceslao, *Meyerus. Dux Philippus Audax Dux Burgundiæ anno vitæ 63. moritur 26. Aprilis apud Hallas Hannoniæ in diuersorio, & sic obæratus vt eius vxor Margarita positis publicè zonâ, crumenâ, & clauibus, bonis eius mobilibus renunciarit*, eius Elogium ad finem vitarum Heuteri. *Sauosius quidam Ducis Aurelianensis, famulum suum insolentem percussum à Scholastico, atrociter vltus, aliquot Scholasticorum cæde, grauiter punitus est; eius disturbata domus, grandi pecuniâ mulctatus, aliqui quos ad id facinoris adhibuerat virgis publicè cæsi*, Monstreletus, Nicolaus Ægidius, &c. Henricus inuolare cupiens in bona Ecclesiasticorum prohibitus est constantiâ, & fortitudine Thomæ Arundelij Archiep. Cantuariensis, *Walsinghamus, Harpsfeldius.* Obiit hoc anno ex calculi dolore, simul & furore in Legatos Benedicti Bonifacius IX. 1. Octobris die Mercurij cùm sedisset annis 14. & mensibus vndecim, vir castissimus, & qui mori maluit, quàm fœdari, *S. Antoninus, Niemus, & alij.* Legati Benedicti à Præfecto Arcis S. Angeli Bonifacij consanguineo inclusi, nec nisi solutis quinque millibus Florenorum auri demissi, quod posteà factum excusauit Innocentius Epistolâ ad Academiam Parisiensem, & Ducem Bituricensem Regis patruum, *Surita, Niemus, Monachus Sandionysianus, & Iuuenalis Vrsinus.* In Bonifacij locum suffectus est Cosmas Melioratus Salmonensis, die Veneris 17. Octobris, & coronatus in gradibus Ecclesiæ S. Petri 2. Nouembris dictus Innocentius VII. vir bonus, & dignus Pontificatu, *Niemus, Gobelinus, Onuphrius, & alij.* Turbata est Roma, quarum turbarum causa Ladislaüs Rex vtriusque Siciliæ fuit, qui committere Innocentium & Romanos conatus est, & Banderesios restituere, *Aretinus, Sanctus Antoninus, Niemus.* Contigit hoc anno Venetiis erectio Canonicorum S. Georgij in Alga, inter quos fuere Antonius Coriarius, Gabriel Condelmerius posteà Eugenius IV. & B. Laurentius Iustinianus, *Bulla Gregorij XII.*

Anno Christi M C C C C V. Tamerlanes Orientis & Occidentis terror, cùm Sarmacandam patriam suam exornasset, & Imperij sui dignam fecisset Sedem, obiit 18. Nouembris relictis duobus filiis Sacrucho & Paiangure, quorum hic restitutus est ab illo cùm Armeniæ Regno à Iosepho quodam exutus esset, *Mariana, Heroldus, Perondinus, Chalcondyles, & alij*, quanquam de anno non conueniant. Innocentius VII. exire Româ compellitur artibus Ladislai, qui anno superiori, horum tumultuum fundamenta iecerat. Romanos modis omnibus emollire conatus est creatis etiam ex vndecim, quinque Romanis Cardinalibus. Sed cùm eius nepos Ludouicus Melioratus imprudentissimè aliquos interemisset, partim nocentes partim innocentes, commotus Pontifex vrbem deserit, & Sutrium primò, deinde Viterbium venit: quare expilatum eius Palatium, & Curialium, ex quibus aliqui cæsi, quidam inclusi carcere. Eius statim Palatium occupauit Ioannes Columnius, ideò dictus ironicè Ioannes X X I I I. qui & Ladislaum euocauit à quo missus Comes Troianus cùm copiis, quæ ab ipsis Romanis eiectæ sunt, seruato tamen S. Angeli Castro, *Niemus, S. Antoninus.* Benedictus Genuam appellit, vbi susceptus magnificè ab Archiepiscopo, & Bussicaldo, quorum operâ eius obsequio vrbs addicta erat. Eò cùm adduxisset paruam familiam, sed milites plurimos, quorum numerus in dies augebatur veriti Genuenses, eos specie lustrationis emiserunt ex vrbe, nec deinceps admiserunt, vxorum & filiarum pudicitiam prætexentes, quod Benedictum multùm exterruit. Hinc tamen petit ab Innocentio, vt per suos cùm eo agere patiatur, quod recusauit Innocentius, quod ei plurimùm apud multos nocuit, *Iuuenalis Vrsinus, Monachus Sandionysianus, Niemus, Folieta, & alij.* Tum Franciscus Zabarella Patauinus, Petrus de Ancarano Bononiensis tractatus emiserunt de viis quibus Schisma tolli posset, *Qui prostant in Appendice Niemi. Franci iuncti Flandris, & Angli sese inuicem vexant Piraticis excursionibus, & exscensionibus ad Mare, & in Aquitania interceptis vtrimque aliquot vrbibus, non tamen bello denunciato per Feriales de more*, Monachus S. Dionysij, Iuuenalis, Monstreletus. *Recruduerunt hoc anno odia inter Ducem Aurelianen-*

ſem Regis fratrem, & Ioannem Ducem Burgundiæ. Ille enim omnia arrogabat ſibi cum Regina, immò Delphinum abducere conabatur; hic contrà querebatur vexari populum, & tam huic quàm Proceribus gratus erat. Quare Delphinum, cuius erat Socer Pariſios reduxit, cui & fauere videbatur Rex, dum ad ſanam rediret mentem, quod ei raro contingebat, dum pecudis inſtar viueret, nec ei poſſent veſtes eripi, quamuis putridæ, niſi ab hominibus perſonatis, rebus etiam neceſſariis indigens, cum ſuis liberis, dum eius regnum turpiter expilaretur, Monſtreletus, Gaguinus ex Chronico huius temporis Gallico, quem pænè tranſcripſit, Iuuenalis Vrſinus, Monachus Sandionyſianus, &c. Archiep. Eboracenſis. Ricardus Scropus, cum Thoma Mombraxio Nortinganniæ Mareſchallo, in Henricum Regem, fruſtrà monitum viuâ voce & libellis, copias legit: ſed proditi à Comite Weſtmerlandiæ, capite damnati ſunt, & mulctati ignominiosè. Atenim miracula Archiepiſcopus poſt mortem edidit,& ad eius ſepulchrum populus accurrit. Caput etiam Mareſchalli viuidum diu, in lancea fixum apparuit; quare Innocentius in authores ſupplicij torſit anathema, quod tamen Rex precibus ſuis vitare conatus eſt. Cúmque Rex ad Pontificem loricam Scropi miſiſſet rogans vt agnoſceret, *an ſui filij tunica eſſet?* Reſpondit ingeniosè, vt verè Pontifex, *Fera peſſima deuorauit filium* Rex autem hoc anno in expeditione Vallica, inundationibus ſubitis & theſaurum, & Coronas amiſit, & eodem ipſo die quo cæſus eſt Archiepiſcopus leprâ dicitur fuiſſe percuſſus, ex qua nullâ medicorum arte ſanari valuit, *Walſinghamus, Harpsfeldius.*

Anno Chriſti MCCCCVI. Contigerunt Ecclipſes duæ, vna Lunæ primo Iunij, altera Solis 16. die eiuſdem menſis. Innocentius VII. Romam Legatione publicâ reuocatur. Neque tamen ideò Roma quieuit, quia Ladiſlaüs retinebat Arcem S. Angeli,& à præſidiariis nouæ copiæ expectabantur; quare cum publico Anathemate Pontifex perculit & quòd in Eccleſiæ ſubditos graſſaretur, *Nicemus, Aretinus, S. Antoninus, & alij. Benedictus ex Italia redux accuſatus colluſionis cum aduerſario, in Francia multatur à Parlamento ſubſtractione pecuniarum quas variis modis extorquebat: Immò & in Comitiis Præſulum & Abbatum, ei denegatur obedientia,* Iuuenalis Vrſi-

nus, Monachus Sandionysianus, *Acta horum comitiorum prostant* in Codice M. S. S. Victoris. Innocentius VII. moritur Romæ ex Apoplexia 6. Nouembris ferè septuagenarius cùm sedisset annis 2. & diebus 22. Statim collecti Cardinales iurarunt tactis Euangeliis, se scripturos ad aduersarium si eligerentur Pontifices, vt se inuicem abdicarent; sic elegerunt Angelum Corarium Venetum 30. Nouembris, qui coronatus 5. aut potiùs 19. Decembris, dictus est Gregorius XII. *Leonardus Aretinus, Niemus, S. Antoninus, & alij.* Statim scripsit ad Benedictum XIII. eum exhortatus ad tollendum Schisma, offerens ei cessionem, si is cedere vellet; pollicitus se nullos Cardinales creaturum, si nullos ille crearet, vnde sperabatur pax Ecclesiæ, sed spes ista statim euanuit, *Niemus, Surita, & alij.* Leodiensis ciuitas turbata est, quòd Ioannes de Bauaria administrator huius Ecclesiæ ordinari nollet, in quem insurrexerunt, *Haïdiroti* dicti, quasi *qui haïssent le Droit*, & ad arma deuentum est, *Magnum Chronicon Belgicum, Gesta Pontificum Leodiensium, Monstreletus.* Robertus Scotiæ Rex de minore filio suo Iacobo sollicitus, ne, vt primogenitus suus Iacobus, exciperetur, eum mittit ad Carolum Franciæ Regem amicum suum: sed dum nauigat in Galliam, ex nauseâ appellens in Angliam, retentus est, & ductus ad Regem Angliæ, apud quem seruatus est annis duodeuiginti, omnibus tum exercitiis animi, & corporis excultus. Obiit ex mœrore Robertus 1. Aprilis, atque ab Ordinibus Regni dictus Administrator eius patruus, *Hector Boëthius, Ioannes Maior, Buchananus, Leslæus.* Henricus Rex Castellæ annos natus 27. Regni sui anno 17. inchoato, obiit Toleti, sepultus in veste Franciscanorum; dicere solitus erat se subditorum suorum execrationes plus vereri, quàm hostium arma. Quare ab administris pecuniæ publicæ rationes seuerè exegit, ac multauit, ipse sponte nonnunquam rebus necessariis egens, *Mariana.* Substituitur ei filius Ioannes 22. mensium sed electus à Proceribus Ferdinandus, Henrici frater, cui cùm suaderent aliqui, regnum occupare, aliquot aliorum exemplo, constanter negauit, sícque proclamatus est Rex Ioannes II. cui datus est ex testamento Patris magister & moderator Paulus à S. Mariâ, dictus Burgensis à Patria sua, cu-

ius posteà & fuit Episcopus, tunc autem Carthaginiensis, ex Iudæo factus Christianus ex lectione Scriptorum sancti Thomæ, *Mariana*, *Trithemius*, *&c.*

Anno Christi MCCCCVII. *Quæritur via ab vtriusque partis Cardinalibus, de abrumpendo Schismate, immò & vterque Pontifex se paratum videtur exhibuisse. Rex quoque mouit omnem lapidem vt reconciliarentur, aliquot missis Legationibus, sed bonorum omnium expectationem, & vota, obstinatione suâ ambo fefellerunt, vsi variis tergiuersationibus, & cùm vnus assentiretur, altero refugiente, quare Gregorius eâ de re se purgare conatus est; quòd eius aduersarius armatus, ipse esset inermis*, Niemus, Monstreletus, Iuuenalis Vrsinus, Monachus Sandionysianus. Ladislaüs Rex Neapolitanus occupare conatur Romam, sed eum impediit Paulus Vrsinus, *Niemus*, *Aretinus*. *Ioannes Burgundus videns prævalere authoritate Ludouicum Aurelianensem Regis Caroli fratrem in administratione Regni, eum de medio tollere decreuit: idque vt faciliùs exequeretur fingit cum eo reconciliationem.* 20. *Nouembris iuramentis vtrimque interpositis, & sumpto Christi corpore ab vtroque in Missa die Dominicâ in signum perfectæ amicitiæ. Verùm post duos aut tres dies, Martis aut Mercurij* 22. *aut* 23. *eiusdem mensis, eum per* 18. *Sicarios, quorum præcipuus Rauletus Octonuillæus Normannus, noctu redeuntem ex Palatio Reginæ cædi iubet. Ipse fassus est crimen coram Regis Patruis, equisque mox incitatissimis fugit in ditionem suam.* Iuuenalis Vrsinus, Monstreletus, Monachus Sancti Dionysij, Charterius, Gaguinus, Meyerus, & omnes Francici Scriptores. *Præpositus Lutetiæ Guil. Tignonuillius duos Scholasticos Clericos suspendi iubet, vnde magnus tumultus ab Academicis excitatus, quibus tandem factum est satis iussu Regis, etiam cum iudicis magno dedecore, vti scribit* Alanus Charterius. *Quod tamen dedecus tacent* Monstreletus, Iuuenalis, & Monachus Sandionysianus. *Hyems hoc anno admodum rigida fuit à mense Nouembri ad initium Februarij, ideóque* hic annus dictus Frigoris *maximè in Gallia; frigus excepere inundationes magnæ*, iidem authores. Idem quoque in Anglia contigit, *Walsinghamus.* Genuæ magis nocuerunt pluuiæ, quæ mense Octobri etiam vrbis mœnia disiecerunt, *Nebiensis*, *Folieta.* Venetias tempestas ex vento, pluuia, grandine, æstu maris cum fulminibus, vlulatibus, & horrendis formis ter-

ruit, *Petrus Iustinianus lib. 6.* Tanaïs nobile Emporium, in quo multi Veneti negotiatores, à Tartaris excisum, cum magna eorundem Venetorum clade, *Idem Iustinianus.*

Anno Christi MCCCCVIII. *Ioannes Burgundus euocatus vt se purget, Parisios venit; sed cum egregia armatorum manu, euocatus à Carolo Rege, & Patruo vtriusque Bituricensi; vbi in egregio Procerum consessu fassus est cædem, quam iustam fuisse defendit Doctor Parisiensis Ioannes Paruus (nequaquam Franciscanus, vt quidam volunt, sed Laïcus) vix eloquens & doctus, sed vanus, & linguæ venalis. Rex Ioanni armato, & minanti, & à Parisinis amato, quia minuenda vectigalia aßiduè clamitabat, pepercit; datis etiam ei tabulis, vt aiunt, gratiæ, quia asserebat, se hanc cædem tantùm Regis causâ fecisse, isque rediit mox in suam Flandriam*, Iuuenalis Vrsinus, Monachus Sandionysianus, Monstreletus, &c. *Mensis Septembris die* XI. *absente Burgundo, Valentina Aurelianensis cæsi vxor, vnà cum suis liberis, Iustitiam à Rege postulat, quam omnes quoque boni flagitabant; & tum quidem innocens dictus Aurelianensis, & calumniæ Doctoris Parui explosæ, sed vindicta in aliud tempus dilata: quare hæc vidua aliquanto pòst ex mœrore obiit. Proceres tamen decreuerunt Burgundum armis persequi: Verùm auditâ eius de Leodiensibus victoriâ, Regem Turonas abduxerunt: Itaque venit Burgundus Parisios cum victore exercitu, metum cunctis intentans*; iidem qui supra Scriptores. *Rex Franciæ Carolus reliquos Principes inuitat ad obedientiam vtrique Pontifici subtrahendam:* qui etiamnum orbi Christiano illudunt, & *Benedictus ad Portum Veneris in Liguria, Gregorius Lucam cum suis Cardinalibus accedit, in hac vrbe die 9. Martij 4. Cardinales creauit: quare ab eorum plerisque deseritur, qui Pisas fugiunt, qui & ab eo ad Concilium Generale appellant, quod Schismati prouideret*, Niemus *qui hoc anno opus suum inscriptum*, Nemus vnionis, *absoluit*, Leonardus Aretinus, Ioannes Gerson, & alij. Ladislaüs Rex Siciliæ 25. Aprilis vrbem Romam occupat, & in ea vti Imperator recipitur à Proceribus sub vmbella, & à plebe cum ramis Palmarum ei occurrente. Exinde Tuder, & Perusium multáque Ecclesiæ Castra sibi adiunxit. Sed cùm Romæ Tyrannidem exerceret, per Paulum Vrsinum, quem offenderat, expulsus est, *Niemus, Summontius. Monitus à Carolo Francorum Rege Benedictus nisi vnio facta esset ad diem*

Ascensionis, 24. *Maij*, *Franciam vtrique Pontifici renunciaturam, ei etiam interminatur excommunicationem: quare qui eius litteras attulerant ignominiosè traducti per Lutetiam, litteræ laceratæ, atque combustæ, Neutralitas recepta* 25. *Maij: Mandatum Bussicaldo, vt Benedictum comprehenderet, & includeret ne posset euolare. Quod cùm hic didicisset Illiberim fugit, exclusus ex omnibus portubus Galliæ*, Iuuenalis Vrsinus, Monachus Sancti Dionysij, & alij. Gregorius Concilium indicit in Prouincia Aquileiensi vel Rauennate, loco posteà proponendo ad Festum Pentecostes anni proximi, *Gobelinus*, *Niemus*, vt Benedictus Perpiniani 1. Nouembris, vbi creauit Cardinales 5. vt *Surita*, vt *Niemus*, *& Onuphrius* 12. Gregorius autem nouem Cardinales nominauit mense Septembri Senis, vbi tantùm precario, & certis conditionibus agere permissus est, territus in via multis prodigiis, & Cometâ apparente. Inde Ariminum petiit vbi hyemem transegit; nec enim ausus est redire Romam, quòd conuenisset cum Ladislao ei tradere Patrimonium Ecclesiæ in annuam pensionem, *Monachus Sandionysianus*. Multi Cardinales vtriusque partis recedunt, & Liburnum conuenientes indicunt Concilium Pisanum 14. Iulij, in anni sequentis 25. Martij, mittúntque Legatos ad Reges, & Principes, sed illustres ad Reges Galliæ, & Angliæ, *Niemus*, *S. Antoninus*, *Ioannes Gerson*, *Walsinghamus*, *& alij*. Benedictus Concilium Perpiniani celebrat 15. Nouemb. tempore prorogato, cui interfuere Prælati circiter 120. creatis ab eodem Pontifice duobus Patriarchis, Antiocheno, & Hierosolymitano; sed cùm concordes esse non possent cæteris abeuntibus, tantùm duodeuiginti remanserunt, qui ei salutaria consilia suggesserunt, *Niemus*, *Surita*, *Concilia Generalia*, *& alij*. Instituta Congregatio Canonicorum Regularium Syluæ-lacus, seu Scopetinorum, *Maurolycus*, *Pennotus*; Item Congregatio Monachorum Sanctæ Iustinæ, seu Cassinensis, *Maurolycus*, *Miræus*, *& alij*. Wicleffistæ in Bohæmia caput exerunt Duce Ioanne Husso, qui Pragæ Teutonicos Magistros exagitat, à quibus tamen Wicleffi propositiones 45. damnatæ. Sed præualuit Hussus, ignauiâ & imprudentiâ Wenceslai Regis. Abiere Teutones, & Lipsiensem Erefordiensem, & alias Academias nuper erectas illustrarunt. Sic Hussus vi-

rus ſuum effudit, & Wicleffi errores ſparſit: ſed huic obſtitit Subico cognomento Lepus Archiep. Pragenſis, qui & libros Wicleffi comburendos magnâ copiâ curauit, & Huſſum expulit; quare eum ſuis libellis & cantiunculis exagitarunt Huſſus, & eius gregales Hieronymus de Praga, & Iacobellus Miſenſis, ex Miſa Bohæmiæ, non Miſnenſis, *Krantzius*, *Æneas Syluius*, *Dubrauius*, *Cochlæus*, *& alij*.

Anno Chriſti M C C C C I X. Ecclipſis Solis contigit 15. Aprilis die Lunæ. 25. Martij, celebrari cœptum Concilium Piſanum, cui interfuere initio Cardinales 15. poſteà 24. tres Patriarchæ, Alexandrinus, Antiochenus, Hieroſolymitanus; Archiepiſcopi & Epiſcopi 180. Abbates circiter 300. Ibi Seſſionibus X I V. excuſſæ ſunt diligentiſſimè vtriuſque partis rationes, & 5. Iunij Benedictus, & Gregorius damnati ſunt. X V I. vacare Petri ſedem declaratum eſt. X V I I. data poteſtas Cardinalibus eligendi Pontificem; tandem poſt X I X. eodem die ingreſſi ſunt Conclaue Cardinales 24. hoc die Sabbathi 22. Iunij, & die Mercurij, 26. eiuſdem menſis vnanimi conſenſu Pontificem elegerunt Petrum Philargi, ſeu Philaretum, Græcum Cretenſem, (quamquam de patria alij aliter ſentiant) olim Theologum Minoritam, ſeptuagenarium: hic dictus Alexander V. vniit in eodem Concilio vtriuſque partis Cardinales; Ludouicum Andegauenſem Regem vtriuſque Siciliæ declarauit; qui mox ſuis & fœderatorum copiis multas Eccleſiæ terras recepit, adeóque Romam ipſam cum Caſtro ſancti Angeli, auxilio Pauli Vrſini. Tandem X X I I I. ſeſſione dimiſſi Patres ad ſua, donec Generale Concilium celebraretur, quod huius Piſani continuatio dici poſſet, *Niemus*, *Gobelinus*, *Boſius*, *Dionyſianus Monachus*, *Iuuenalis Vrſinus*, *Monſtreletus*, *aliique plurimi*. Neque tamen ceſſere Benedictus de Luna, & Gregorius Coriarius, ſed tum tres Pontifices viſi ſunt, qui omnes ſuos fautores habuerunt, Benedictus Hiſpanos, exceptis Luſitanis, Gregorius Ladiſlaum, & aliquas Italiæ ciuitates, ſed Galli, Angli, ac reliquus orbis Alexandrum agnouit, & hunc Eccleſia legitimum Papam agnoſcit. Et quamquam S. Antoninus Piſanam Synodum damnarit, & Gregorium fuiſſe legitimum Papam putauerit, vtpote diſcipulus Dominici Cardinalis Raguſini, multos tamen habuit qui ei

contradicerent, & in partes Alexandri transirent, *Monstreletus, Niemus, & alij.* Gregorius suum Concilium celebrauit Austriæ in Diœcesi Aquileiensi, sed cum paucis fautoribus suis; vnde fugit dissimulato habitu in equo cum duobus peditibus, vt vitaret insidias Patriarchæ Aquileiensis Antonij, & relicto Confessario suo subsequente in habitu Pontificis, qui captus malè acceptus est: Pontifex exceptus triremibus Ladislaï venit in Aprutium, inde Caietam. Vbi cùm negaret aliqua Ladislao petenti iniqua, mari emissus rediit Ariminum, *Niemus, Gobelinus, S. Antoninus.* Benedictus peracto Concilio suo, Barcinonem venit ad Regem Aragoniæ & 21. Octobris Cardinales 10. qui ab eo defecerant diris deuouit vt Schismaticos, Sacrilegos, &c. *Surita. Alexander Pisis 12. Octobris constitutionem edidit pro mendicantibus, quæ magnas turbas excitauit Parisiis, Minoritæ & Augustiniani eâ vti volentes malè habiti, Dominicani & Carmelitæ ei renunciasse perhibentur*, Monachus Sandionysianus, & Codex S. Victoris M. Scriptus. Alexander soluto Concilio Pisano ob Regem, Pistorium venit, inde Bononiam, vt veniret Romam, quo vocabatur à Romanis; vbi & adiudicauit Apuliæ Regnum Ludouico Andegauensi, reiecto Ladislao, *Donatus Bosius, & Volaterranus.* Ioannes Hussus Alexandri mandatis obsistit: Stinco Archiep. Pragensis videns socordiam Wenceslai perniciosam, pergit ad Sigismundum eius fratrem in Hungariam, sed in itinere obiit ex mœrore, *Cochlæus in Historia Hussitarum.* Martinus Rex Trinacriæ partâ ingenti de rebellibus Sardis victoriâ Calari incidit in morbum ex quo 15. Iulij obiit, aut, vt volunt quidam, ex complexu pulcherrimæ puellæ, valetudine nondum recuperatâ; qui & reliquit hæredem Patrem suum iam Regem Aragonum, *Fazellus, Summontius.* Bussicaldus iam Genuensibus inuisus ob seueritatem, sed maximè ob Gabrielem Vicecomitem cæsum, (iure an iniuriâ dubitatum, certè cæsum quidam putauerunt ob pecuniam) Mediolanum euocatus à Duce Io. Maria, vt eam vrbem componeret, dum eam ordinat discit rebellasse Genuam, ad quam dum accedit, nec hac nec Mediolano receptus, in Galliam redire compulsus est. Eius loco accersitus Genuam Montisferrati Comes, & ipse à Genuensibus pulsus, *Ne-*

bienſis, Folieta. Ioannes Maria Dux Mediolanenſis puerum duodennem cuius patrem oderat, obiici iubet canibus, homines vorare conſuetis, quem tamen hæc animalia attingere noluerunt, nec eius lambere ſanguinem, cùm à ſuo magiſtro iuſſu Ioannis iugulatus eſſet, *Corius. Ioannes de Monte-Acuto Magnus Regiæ domus Magiſter, peculatus iniuriâ damnatus eſt factione Burgundi.* (Monſtreletus, *tamen iure mulctatum ait*) *ſerui publici manu caput perdidit. Frater eius Ioannes Arch. Senonenſis capi iuſſus, lictorum manus euaſit; alter frater Gerardus Pariſienſis Epiſcopus præ pudore exiit regno. Sed poſt triennium iuſſu Regis ac* Delphini *Ioannis cadauer ex patibulo ſublatum cum honore Marcuſſium delatum in Cœnobium quod ipſe P. P. Cæleſtinis ſtatuerat, qui ſe in eum gratiſſimos præbuerunt, oppigneratis etiam rebus ſuis, vt ei fama reſtitueretur*, Iuuenalis Vrſinus, Monachus Sandionyſianus, & Acta Cœnobij Macuſſiani, *Filius eius Delphino deinceps chariſſimus extitit.*

Anno Chriſti MCCCCX. Alexander ætatis anno 71. menſe Pontificatus ſui decimo, cum diebus 8. die 3. Maij, nocte obiit Bononiæ, creditus veneno ſublatus clyſtere venenato, *S. Antoninus, Monſtreletus.* Iocari ſolitus *ſe diuitem fuiſſe Epiſcopum, pauperem Cardinalem, mendicum Papam.* Nullum Cardinalem creauit, ſed tantùm quorundam titulos mutauit, ob Schiſma, ne duo eodem titulo vocarentur, *Onuphrius.* Ibidem Cardinales Conclaue ingreſſi 14. Maij 17. elegerunt Balthazarem Coſſam, ſeu Coxam Neapolitanum, præcipuum authorem Concilij Piſani, qui & coronatus 25. Maij die Dominico, dictus eſt Ioannes XXIII. vir belli artibus, quàm pacis clarior, & parum aptus ad hanc dignitatem, *Leonardus Aretinus, S. Antoninus, Gobelinus, Author Burdegalenſis, Niemus, qui hic ſuum opus de Schiſmate abſoluit.* Ioannes XXIII. exigit acerbiùs decimas, & vacantium Beneficiorum fructus, & ſpolia Sacerdotum mortuorum, cui acriter reſtitit Academia Pariſienſis hoc anno menſe Nouembri; & item anno ſequenti. Acquieuit tamen dare ei aliquid ex charitate, ob imminens Schiſma, à Ladiſlao, & Florentinis, *Monſtreletus.* Obiit item hoc anno in oppido Bauariæ *Oppenheim* 18. Maij, vel 21. vel 1. Maij. Rupertus, ſeu Robertus mortuus anno nono cum 5. menſibus regni ſui, ſepultúſque Hildebergæ vbi Acade-

miam fundauerat, *Trithemius in Chronico Ducum Bauariæ, Chronicon Sponheimense, Gobelinus in Cosmodromio.* In eius locum non est substitutus Sigismundus, vt optabat Ioannes XXIII. sed Iodocus cognomento Barbatus Marchio Morauiæ, fratruelis Sigismundi, post sex menses elatus. Sigismundi ergo primus annus Imperij ab exeunte Septembri incipit. Mortuus item 30. Maij Martinus Rex Aragoniæ, annos natus vnum atque quinquaginta, qui filio orbatus, dum proli vacat intemperantiùs, quàm eius ferret corpus medicamentis etiam adhibitis, perdidit vitam. Vltimus fuit ex virili sobole Comitum Barcinonensium, quæ annis sexcentis durauerat. Successit ei Ferdinandus Patruus Regis Castellæ natus ex Eleonora sorore Martini demortui, ita statuentibus Legatis Aragoniæ, Valentiæ, & Catalaniæ, *Hieronymus Blancus, Valla in Vita Ferdinandi, Mariana.* Hoc item anno obsidens Ferdinandus Antiqueram olim *Singiliam*, Mauros obsessis opem ferentes grandi prostrauit clade, cæsis hostium plutibus, quàm in eius castris stabant Christiani, ex quibus tantùm 120. ceciderunt. Rursus eosdem vicit ad Anchidonam, cepítque Antiqueram, quibus factis se dignissimum regno præbuit, *Surita & Mariana.* Wladislaüs, seu Ladislaüs Iagello Rex Poloniæ nobiles duas retulit de Cruciferis Pruthenis victorias, qui olim facti ad domandos Ethnicos, in Christianos arma conuertebant, Ecclesiæ terras sibi vindicantes. Hi aggressi Polonos, & Iagellonem, Duce Magistro suo Vlrico Iuningo, ad pagum Gruneualdum 15. Iulij grandi clade victi sunt cæsis 50. millibus, Magistro, & omnibus ferè Commendatoribus, sed pietate magis quàm armis Iagellonis, cui pugnanti adfuisse creditur S. Stanislaüs Martyr Cracouiensis, quando & Cruciferi pænè totam Prussiam amiserunt, præter Marieburgum, quâ potiri potuissent Poloni si honestas conditiones obsessis dare voluissent: inde recepere aliquot Castra Cruciferi; Verùm cùm denuò ad Lencicum pagum 10. Octobris depugnassent (& tantâ obstinatione vt ter quieuerint acies) penitus attriti sunt, occisis octo suorum millibus, *Cromerus, Michouius, Decius de Iagellonica familia, Walsinghamus, &c.* Wicleffistæ in Anglia pertinacissimè suis dogmatis adhærent, quorum aliqui igni-

bus cremati: Multos nobiles ſectatores habuerunt, qui libellum obtulerunt Regi, quibus ei ſignificabant, eum 5. Comites, 1500. milites, ſex mille ducentos Armigeros, & 100. Xenodochia alere poſſe ex reditibus Eccleſiæ, ſed reiectus iſte libellus, *Walſinghamus*. Certamina auium ad necem depugnantium hoc anno viſa ſunt in agro Leodienſi, & Hannonia, *Iuuenalis Vrſinus, Monachus S. Dionyſij, Æneas Syluius, & alij. Diſſenſiones Ducum Burgundiæ, & fratrum Aurelianenſium hoc anno in apertum bellum eruperunt. Burgundus habens in manibus Regem, Delphinum, & Lutetiam omnia ſibi attrahebat, vocatis etiam in fœdus Anglis: Aurelianenſibus fratribus fauebant Duces Biturigum, Borbonij, Britanniæ, & Comites Alenconij atque Armaniaci, qui omnes vno nomine* Armaniaci *vocabantur, ab eorum Comite qui cæteris arte bellandi, prœliandique præcellebat, qui & Anglos quoſdam in ſuas partes attraxerant. Hi inter ſe & armis, & libellis, atque etiam anathematis egerunt.* Iuuenalis Vrſinus, Monachus S. Dionyſij, Monſtreletus, Nicolaus Ægidius, Gaguinus, & alij. Muſa filius Mahometis regnare incipit anno Hegiræ 814. *Hiſtoriæ Turcicæ Scriptores.*

Anno Chriſti MCCCCXI. *Aurelianenſes ſeu Armaniaci, & Burgundi Galliam deprædantur,* iidem qui ſuprà Scriptores. Ioannes XXIII. Romam ingreditur, depulſo Ladiſlai Neapolitani præſidio, & venit *cum Ludouico Andegauenſi, quem immittit in Ladiſlaum,* Angeli Coriarij, olim Gregorij XII. fautorem, vnà cum Paulo Vrſino, & Iacobo Sfortia tum Duce optimo. Ventum ad manus ad Rupeſicram in Campania 19. Maij, victus Ladiſlaüs multis ſuorum cæſis, & multis Procerum captis; *& ſi Ludouicus vti nouiſſet victoriâ bellum profligatum erat.* Sed ſtatim culpâ Pauli Vrſini, vti creditum eſt, Ladiſlaüs res ſuas reſtituit, dicere poſteà ſolitus, ſe & regnum primo die in hoſtium poteſtate futuros, poſtero die non ſe ſed regnum; tertio neque ſe, neque regnum. *Quare & Ludouicus pertæſus mobilitatis Italicæ, mitis alioqui vir ingenij, in Galliam rediit, reſtituto in ſua Ladiſlao,* S. Antoninus, Collenutius, Niemus, Summontius, Poggius, Nauclerus, & alij. Bononiam cùm deſeruiſſet Ioannes Pontifex 19. Maij, rebellionem experta eſt, immò & deuenit in Petri Coſſulini manus, qui famulus Lanij plebem incitauit, & Tyrannus effectus cum Iacobo Mangiolino æquè Lanio

nio Palatium occupauit, & vrbem anno toto rexit, multos primarios ciues occidit; donec honestiores ciues ad se redeuntes, rebelles vrbe expulerunt, Iacobo cæso, Petro fugiente, *Historia Bononiensis lib. 6. Author Burdegalensis, Æneas Syluius. Hoc anno Lanij quoque Parisienses insanierunt, in fauorem Ducis Burgundiæ, & correptis armis etiam Delphinum, & Regem in discrimen adduxerunt; eò audaciæ venerunt, vt omnem sibi in hac vrbe Regia authoritatem arrogarent, sed non diu furere permissi*, Iuuenalis Vrsinus, Monstreletus, & alij. *Ioannes Burgundus Parisios aduolat cùm exercitu, atque ex oppido S. Dionysij Aurelianensium fautores expellit. Item & in eos sæuiit non tantùm carcere, ferro, & suppliciis, sed & Sacramentorum prohibitione: immò & cæsorum liberos Sacro Baptismate tingi vetuit, quod luget* in Epistola Carolus VI. apud Monstreletum. Secta *Hominum intelligentiæ* hoc anno detecta est, cuius præcipui authores Guill. de Hildernissen Carmelitanus, & Ægidius Cantor Laicus, qui errores suos (quos apud Spondanum legere potes) reuocare coacti sunt, *coram Petro de Alliaco Episcopo Cameracensi & Magno Franciæ Eleemosynario, quondam & Academiæ Parisiensis Cancellario, & Magno Magistro Domus Nauarræ & alijs*: is hoc anno factus est Cardinalis, vnà cum Francisco Zabarella & aliis duodecim *6.* Iunij, *Ciacconius Onuphrius, Codex manuscriptus Domus Nauarræ.* Rex Poloniæ Wladislaüs Iagello multa munera ad Pontificem mittit: petit vt Crucem publicare queat aduersus Tartaros, sed ne id impetraret impedierunt Legati Sigismundi, & Cruciferorum eodem tempore Romam missi, nę collectæ in Tartaros copiæ in Hungariam, & Prussiam conuerterentur, *Cromerus lib.* 17. Obiit denique hoc anno Euangelista puer nouennis filius S. Franciscæ Viduæ Romanæ, tum etiam prophetiæ dono illustris, de quo multa miracula lege *in vita S. Franciscæ.*

Anno Christi MCCCCXII. Ioannes Pontifex Crucem publicat aduersus Ladislaum: iam enim sibi diffidebat à Paulo Vrsino, nec fidere poterat Sfortiæ, qui de eo deserendo deliberarat, prætextu iniuriarum quas ab Vrsino receperat. Quibus Rex vafer permotus, ad pacis conditiones descendit tam vtiles sibi, quàm Gregorio, quem hactenus fouerat perniciosè; promisit enim se hunc desertu-

rum. Itaque miser Gregorius cogitur Caietam relinquere, vbi ad hoc vsque tempus substiterat, & ad Carolum Malatestam veterem amicum suum commigrare, Arimini dominum, cum Corario, & Condulmerio nepotibus suis Cardinalibus, *Niemus, & Gregorij litteræ*. Cùm publicarentur Indulgentiæ ob Crucem in Ladislaum, Ioannes Hussus in eas insurgit. Redierat enim Pragam, mortuo Stincone Arch. sub eius successore Albico viro stupendarum sordium. Quare cùm Hussus incitasset tres è suis ex infima plebe, qui in ipsa concione exclamarent, Papam esse Antichristum, hi comprehensi sunt, & supplicio affecti: sed eorum corpora delata sunt in ædem in quâ concionabatur Hussus, & vt tres Martyres culti, *Æneas Sylvius, Dubrauius, Ioannes Cochlæus*. Concilium Romæ celebratur à Ioanne XXIII. aduersus Hussitas, & Wicleffistas, in eo confinxit *Clamengius* Bubonem primâ & 2. Sessione adfuisse loco Spiritus sancti qui non excesserit nisi fustibus mactatus: meminere huius Concilij *Monachus S. Dionysij, Gobelinus, Langius, Cochlæus in Historia Hussitica*. In hoc Concilio insuper statutum fuit, vt quoties esset sermo de iis qui de Papatu contendebant dicerentur Papæ in sua obedientia, *Gobelinus*. Quod posteà Martinus V. de Ioanne XXIII. fieri iussit, *Odericus Reynaldus*. Eiectus est tandem Pragâ Hussus, curante Episcopo Olomucensi Conrado, qui deiecto Albico à Pontifice dictus erat moderator Archiepiscopatus Pragensis, Wenceslao etiam Rege, ex Baronum consilio, rem approbante; verùm acriùs tumultuati sunt iidem Hussitæ, & in Ecclesiasticos, Romanamque fidem multa effutierunt, *Æneas Sylvius, Cochlæus*. S. Vincentius Ferrerius multos Iudæos ad fidem conuertit, cùm in eius concione subitò cruces albæ, in palliis virorum, & mulierum velaminibus apparuissent, *Ægidius Gonzalez, & vitæ eius Scriptores*. Inde occasionem arripuisse creditur Hieronymus à Sancta Sede Iudæus medicus Benedicti, scribendi Librum aduersus perfidiam Iudæorum, qui liber prostat *in Bibliotheca Patrum*. Tum etiam conuersi 122. Iudæi in Castella ex signo Crucis niueæ in cælo apparentis, Franciscano quodam de Eucharistia hîc concionante, *Minoritarum Annales*. Ferdinandus ob præclara bello facinora aduersus Saracenos, & maximè ob conser-

uatum puero, nepoti suo Regnum Castellæ, quod ipsi offerebatur, Rex Aragonum ab omnibus ordinibus acclamatur Cæsaraugustæ, sub finem mensis Iulij. Hic Comitem Vrgelitanum secum de regno disceptantem vicit, & captum carcere perpetuo inclusit, *Valla, Surita;* Siciliam pacauit per suos Duces, valdè ab obitu vtriusque Martini turbatam; item & impediit quominùs Sardinia Aragoniis periret; immò effecit vt posteà tota esset iuris Aragonici, *Fazellus.* Dux Lotharingiæ commisit aliqua in terris suis clientelaribus Franciæ; ideò damnatus à Senatu Parisiensi satisfacere coactus est Regi, & veniam ab eo petere, quam & obtinuit precibus Ducis Burgundiæ, *Iuuenalis Vrsinus.* Margarita trium regnorum Regina, Daniæ, Sueciæ, & Noruegiæ, hoc anno obiit, laudata à Danis, à Suecis vituperata: cui successit nepos Erricus Dux Pomeraniæ, ab ea adoptatus; quem tyrannum fuisse & multis criminibus obnoxium Sueci asserunt, *Ioannes Magnus, Krantzius, Pontanus, & alij.*

Anno Christi MCCCCXIII. Mahometes I. filius Baiazethis debellato fratre suo Musâ, & aliis hostibus suis, regnare incipit solus in Imperio Turcico, anno Hegiræ 816. incipiendo à die Lunæ 1. Aprilis, *Historia Musulmanica.* Ladislaus Rex Neapolitanus 8. Iunij in octaua Ascensionis fractis muris per fautores suos in loco incolis vacuo, Romam occupat, & expilat, nec parcit Ecclesiis, aut bonis Ecclesiasticorum, atque ita se gerit, vt eam cepisse Mahumetanus videretur. Fugit ægrè Pontifex Sutrium, víxque insequentium manus euasit, inde Viterbium, Florentiam, ac demum Bononiam 12. Nouembris ingressus est. Ladislaüs Vrbes & terras Ecclesiæ occupat, spondétque sibi Tusciam, immò & totius Italiæ dominatum, *Niemus, Monachus Sandionysianus, Summontius, Platina, &c.* Mortuus est hoc anno 20. Martij Henricus IV. Angliæ Rex anno 13. cum sex mensibus occupati regni, ex lepra, horribilis aspectu factus, *Iuuenalis Vrsinus, Monachus S. Dionysij, Wasseburgensis, & Angli Scriptores,* qui tamen de lepra tacent, paulò ante mortem cogitabat de expeditione in Orientem, composito iam regno; & cùm ægrotans audiuisset cubiculum vbi decumbebat *Hierusalem* appellari, statim sibi

moriendum esse dixit, quòd ei pronuntiatum esset *Hierusalem sibi fatalem* fore, *Polydorus, Hapsfeldius*. Successit ei filius Henricus V. annos natus 26. coronatus 9. Aprilis Dominicâ Passionis; (quando nix copiosè decidit) quamquam ei suasisset pater reddere regnum Comiti Marchiæ legitimo hæredi, *Monstreletus, Wasseburgensis, &c.* Wicleffistæ seu Lollardi magnas turbas cient authore Ioanne Oldcastelio de Cobham, viro militiæ peritissimo, Regíque charo, qui ob hæresim inclusus turri Londinensi fugit, multísque collectis Lollardis Regem perdere, & omnes Ecclesiasticos voluit: sed coniuratione detectâ ipse fugit, neque potuit reperiri, quamquam omni arte quæsitus, *Walsinghamus, Harpsfeldius*. Sigismundus Imperator conuenit cum Pontifice de Concilio celebrando, & locus à Legatis Pontificis assignatur Constantia, dátque Imperator ea de re litteras 30. Octobris ex Castro *Viglud* Diœcesis Nouiomensis, quas confirmauit Ioannes Pontifex Bullâ suâ datâ Laude 9. Decembris, cùm priùs cum Sigismundo Placentiæ collocutus esset, *S. Antoninus, Acta Concilij Constantiensis, & alij*. Pontifex & Imperator Cremonam adeunt, vbi Gabrinus Fundulus Vrbis huius Dominus eos excipiens in turre vnde patebat amœnissimus aspectus, de turre præcipitare vtrumque cogitauit, impeditus tamen hospitij, non religionis ratione, quod fassus est ductus ad supplicium Mediolani, tùm etiam pœnitens, quòd id non egisset, *Iouius in Gabrini Funduli elogio*. Lithuania hoc anno in omnia iura Polonica transiit. Samogitiam quoque regionem optimam Rex Wladislaüs ad Christum adduxit, igne extincto, lucis excisis, & Serpentibus sublatis, qui hîc Deorum instar colebantur. Quo tempore Hieronymus quidam Pragensis alter ab Hæretico, fugiens Hussitas Bohæmos, egregiam in excolendis Lithuanis operam dedit, cum fauore Ducis Vitoldi, *Michouius, Cromerus, Niemus, Æneas Syluius, & alij*.

Anno Christi MCCCCXIV. *Parisiensis Academia Hussitis se egregiè opponit, à Ioanne Pontifice excitata, contra quos Gerson Cancellarius eius Archiepiscopum Pragensem exagitauit egregiâ Epistolâ datâ 27. Maij, Vigiliâ Pentecostes*, Cochlæus in Historia Hussitarum. In Bohæmiam introducitur opinio

de communione ſub vtraque ſpecie etiam Laïcorum, inducta à Petro Deſdrenſi in Miſnia, & communicata Iacobello Huſſitæ, ſeu Wicleffiſtæ, quæ magnos excitauit in Bohæmia primùm, deinde & in Germania motus, *Æneas Sylvius, Dubrauius, Cochlæus, &c.* Obiit hoc anno Neapoli, quò ſe æger deferendum curarat die 6. Auguſti Ladiſlaüs Rex, virilibus igne ſacro combuſtis, ex nimia libidine cum filia Medici, *Niemus, & alij.* Sed *Monſtreletus, Bonfinius, Collenutius, Summontius*, & alij tradunt eum veneno ſublatum eſſe Florentinorum operâ à Medico cuius Rex filiam deperibat; hic enim filiæ ſuaſit τὰ αἰδοῖα lenire vnguento, quaſi hoc ei amorem Regis maiorem conciliaturum eſſet, quo & ipſa interiit, & Ladiſlaüs inter magnos dolores Neapolim delatus expirauit. Balbutiebat ex veneno ſibi in adoleſcentia propinato, cuius veneni vim incluſus mulâ exenteratâ decuſſerat; vir ambitioſus, crudelis, & perfidus, vt pote qui magnos Italiæ Duces tollere decreuerat, ſed addictiſſimus pietati in Virginem, *Summontius, S. Antoninus, Collenutius.* Succeſſit ei Ioanna eius nominis ſecunda, vidua Guillelmi Auſtrij annum agens 44. amoribus implicita Pandolfelli Alopi Neapolitani formoſiſſimi iuuenis, quem & Magnum Camerarium creauit, *Collenutius, Summontius, & alij.* Gregorius omni ope nititur Concilium Conſtantienſe impedire, *Litteræ Gregorij.* Ioannes XXIII. ſolutus iam metu Ladiſlaï 1. Octobris Bononiâ recedit multis diſſuadentibus, timore eorum quæ contigerunt, & Conſtantiam vrbem ingreditur magnificentiſſimè. 28. Octobris die Dominicâ, *S. Antoninus, Nauclerus, Langius, Niemus, Gobelinus, Iacobus Cerretanus in ſuis Diariis Actorum Concilij, & alij.* Die igitur 1. Nouembris celebratâ Miſsâ à Pontifice, indicitur Concilium celebrandum die Sabbathi 3. Nouembris, quo prorogato in diem Lunæ 5. eiuſdem menſis Miſſa de Spiritu Sancto poſt proceſſionem dicta eſt, & 1. Concilij Seſſio in diem Veneris 16. huius menſis indicta, *Acta huius Concilij & ij qui ſuprà.* Hâc die electi ſunt Miniſtri Concilij; & ſeſſio 2. indicta in 17. Decembris, atque dilata in menſem Martium anni ſequentis, quòd neque Sigiſmundus, nec plures Antiſtites & Principum Oratores conueniſſent, *Acta Concilij.* Die 18. Nouembris deiecta ar-

ma Gregorij ex Hoſpitio eius Legati Io. Dominici Eremitæ Auguſtiniani. Die 28. Ioannes Huſſus diſſeminat errores ſuos Conſtantiæ, in quam longè anteà aduenerat triumphantis more : ſed cùm videret accuratiùs excuti dicta ſua, fugere voluit in curru tectus ſtramine, at interceptus ductus eſt ad Pontificem, & cubiculo clauſus in Palatio, datúſque tandem cuſtodiendus Epiſcopo Lauſanenſi. Tandem Sigiſmundus qui hactenus fuerat impeditus (nam acceperat Coronam Aquiſgrani 8. Nouembris) aduenit Conſtantiam in Vigilia Natiuitatis, ibíque recitauit Euangelium, *Exiit edictum à Cæſare Auguſto*, in habitu Diaconi, *Nauclerus, & Acta Concilij.* Apparuit hoc anno in Miſnia *Fratrum Flagellantium ſecta*, quorum errores leges apud *Spondanum* hoc anno num. XIV. contra quos tractatum edidit *Ioannes Gerſon*, & Epiſtolam ad S. Vincentium Ferrerium, qui eam ſectam dicebatur nec probare nec improbare, *Gobelinus in Coſmodromio. In Gallia bellum renouatum inter Aurelianenſes & Ducem Burgundiæ, quare Anglus irrupit in Normanniam, ſicque eos ad pacem infidam compulit*, Iuuenalis Vrſinus, Monſtreletus. Bellum item recruduit inter Cruciferos, & Polonos atque Lithuanos, atque Arx Broduicenſis ab his magnis operibus circumſeſſa ; ſed Nuncius Apoſtolicus miſſus à Ioanne XXIII. effecit, vt factis induciis, deciſio controuerſiæ Conſtantienſi Concilio relinqueretur, *Michouius, & Cromerus.*

Anno Chriſti MCCCCXV. Eccliplis Solis contigit die Veneris poſt feſtum Corporis Chriſti 7. Iunij tam horribilis, vt in Bohæmia aues cecidiſſe perhibeantur, *Bonfinius, Thuroſius.* Ioanna Neapolitana ad auferendam ſuſpicionem de ſuis amoribus cùm Pandolfello Alopo, ducit Iacobum Borbonium Marchiæ Comitem ex regio Franciæ ſanguine ; hic ſtatim Pandolfellum ſuſtulit, Reginam propè captiuam detinuit, Sfortiam Comitem-Stabuli carcere clauſit. Sed vice verſâ Iacobus incluſus, Regina ſe Ioanni Caracciolo ſubſtrauit, *Collenutius, Summontius, & alij.* S. Birgitta Sueca in Sanctorum numerum relata, aut veriùs eius Canonizatio confirmata 2. Februarij, *Nauclerus, Gerſon, Trithemius.* 8. Februarij acceſſere tres Cardinales Gregorij, præter Raguſinum ; ſicut & quidam à Petro de Lunâ, de quibus du-

bitarum, an pileo rubro vterentur in Concilio, quod tamen iis concessum, pro bono pacis: Item vt Sigismundus Imperator conueniret Petrum de Luna, & Regem Aragonum Ferdinandum, vt inter se de pace agerent, & assignata Nicea, *Acta Concilij*. Sessio II. contigit 20. Martij, in qua Ioannes promisit se cessurum Pontificatu, si duo alij cederent: & cùm ei postulata aliqua oblata essent, nocte quæ præcessit diem 21. Martij, adnitente Austrio, fugit Schaffusam, quæ in eius ditione erat, vnde idem Ioannes multas literas scripsit, quibus factum suum excusabat. Sessio III. facta est die Martis post Palmarum Dominicam 26. Martij, cui pauci Præsules interfuerunt. Sessio IV. celebrata est 30. Martij in Vigilia Paschatis, vbi declaratum hoc Concilium in hoc negotio esse supra Pontificem. Dominicâ in Albis citatus Fridericus Austrius à Sigismundo, ob præstitam fugienti Ioanni opem, eiúsque subditi iuramento fidelitatis exsoluti; quare vsi hac occasione Heluetij aliquot ei oppida occuparunt, *Ioannes Suizerus in Chronico Heluetiorum*. Sessione V. 6. Aprilis. Sedit in habitu Imperiali Sigismundus in Concilio, nominati qui discuterent errores Wicleffi, & Hussi. Sessione VI. 17. April. decretus modus Cessionis Ioannis, & citatus Hieronymus Pragensis, cui oblata est fides publica. Sessione VII. 2. Martij citatur Ioannes, & contumax declaratur Hieronymus Pragensis. Sessione VIII. 4. Maij Wicleffi scripta & memoria damnata: Sigismundus Austrius veniam obtinuit quam petierat: Ioannes ab Austrio desertus custodiæ traditur. Sessione IX. 13. Maij actum contra Ioannem iuridicè. Sessione X. 15 Maij Ioannes suspenditur à Papatu ob multa crimina; quare se paratum offert ad cessionem. Sessione XI. 25. Maij proponuntur Articuli accusationum Ioannis, & hic promittit se obediturum Concilio. Sessione XII. 29. Maij profertur sententia depositionis in Ioannem, quam & ipse probat deposito cultu Papali. Sessione XIII. 15. Iunij, cùm eadem die venisset in Vrbem Constantiam Carolus Malatesta Dominus Arimini renunciaturus Papatui nomine Gregorij XII. Decretum emissum de communione sub vna specie. Sessione XIV. 4. Iulij Gregorius per Carolum Maletestam in manibus Sigismundi cedit dignitati; quam ra-

tam habuit Gregorius, deposito cultu Pontificali, quare ei exhibita à Synodo multa priuilegia. Sessione XV. 6. Iulij conuincitur Hæresis Ioannes Hussus, & pertinax in Hæresi crematur Psalmos occinens, prænuncians oriturum ex Anseris cineribus Cygnum, verus Dæmonis Martyr, & vt Dei Martyr cultus à suis, & compositus Christo, *Cochlæus*: de eius Saluo-conducto videatur *Spondanus* ad hunc annum num. 45. Eadem quoque Sessione damnata opinio de Tyrannicidio, & propositiones Ioannis Parui in causa Ducis Burgundi. Sessione XVI. Selecti comites itineris Sigismundi ad Petrum de Luna. Sessione XVII. 11. Iulij Sigismundus profecturus sibi benedici petiit à Synodo, & discessit 18. Iulij. Sed Petrus de Luna recusauit Niceam, & postulauit Perpinianum. Quò cùm accessissent post multas tergiuersationes Petri, vterque Princeps Sigismundus & Ferdinandus, Petrus de Luna iam sibi quoque ab Aragonum Rege timens Chersonesum (vulgo *Paniscolam*) in Regnum Valentinum fugit. Sessio XVIII. 17. Augusti celebrata est. Sessione XIX. 23. Sept. Hieronymus Pragensis agnouit, & damnauit errores suos, sed non ex animo. Sessione XX. 21. Nouemb. actum contra Fridericum detinentem aliqua Ecclesiæ bona, nec plures hoc anno Sessiones, quàm viginti celebratæ sunt, *Hæc omnia ex Actis Concilij, & authoribus suprà citatis.*

Henricus Angliæ Rex quærit occasiones inuadendæ Galliæ; literæ ab vtroque Rege scriptæ, Iuuenalis Vrsinus & Monachus Sandionysianus, Tillius, & alij. *Exscensionem tandem fecit Henricus cum mille quingentis nauibus ad Auriflorium*(Harfleur) *quod & deditione recepit, post acrem 40. dierum propugnationem. Inde repetere coactus est Calesium morbis afflicto exercitu. Cúmque recederet oblatis honestis conditionibus, pugnare coactus est, temeritate Iuniorum Principum ad vicum Blangium propè Azincurtium die 25. Octobris. Victi Franci decem millia suorum perdiderunt, ex quibus multi nobiles, capti Duces Aurelianensis, & Borbonius, Comites Vindocinensis, & Augi, ac Richemontius, Mareschallus Bussicaldus saucius ductus in Angliam ibidem occubuit; & alij multi capti. Mille sexcenti tantùm ex Anglis interiere, inter quos Dux Eboracensis Regis Patruus, & Comes Suffolciæ*, Walsinghamus, Monstreletus, Nauclerus, & omnes Historiæ Gallicæ Scriptores. *Trepidatum & Parisiis à Du-*

ce

ce Burgundiæ, qui Anglos accersiuisse in Galliam credebatur, & verò hanc Vrbem prohibitus est ingredi, Monachus Sandionysianus, Iuuenalis Vrsinus, & alij. *Ludouicus Delphinus Burgundi gener* 18. *Decembris, annos natus vndeuiginti ex ventris profluuio, & febre pestilenti, robustus corpore, sed animo piger, ac debilis obiit*, Monachus S. Dionysianus, qui hîc sua opera claudit. Hoc anno in Anglia Ioannes Oldcastellius Wicleffista, Henrico in Franciam transgredi parato, suos armauit Lollardos: sed collectis in eum raptim copiis latebras suas repetiit, nec nisi post biennium apparuit, *Walsinghamus, & Harpsfeldius*. Hoc eodem anno circa festa Paschalia Turcæ euocati per Præfectum Bosniæ, Dalmatiam, atque Sclauoniam deuastarunt, vnde multos captiuos abduxerunt; & iterùm circa festum Beatæ Virginis Assumptæ, quando iidem Barbari, vastatis iisdem regionibus 30. & ampliùs Christianorum millia abduxerunt, victis priùs Hungaris magnâ clade, sed fessis ex duplici de Turcis relata victoria, *Thurosius in Sigismundo, & Bonfinius*. Wladislaüs Poloniæ Rex de Hungaria sollicitus absente in Concilio Sigismundo, ad Turcum scripsit, quem *Christen* & *Magnum Dominum* in suis litteris vocat, Græci *μέγαν αὐθέντην*, *Epistolâ Wladislaï apud Bzouium*. Mahometes iam tertium annum regnabat filius Baiazethis, quem dictum *Ciritzen* scribit *Phranzes*, vnde corrupta vox *Christen*, in litteris Wladislaï Poloni, ab aliis dictus *Cyris Celebes*, id est, *celebris Dominus*, vnde vox nata creditur *Calepinis*. Hic Valachiam, & Bosniam bello vexauit, insidiatus est Constantinopoli, recuperatísque vrbibus, quas pater in Asia perdiderat contra Tamerlanem, sedem Imperij sui ex vrbe Prusa Bithyniæ transtulit Hadrianopolim, *Phranzes, Chalcondyles*. Obiit hoc anno Constantiæ 15. Aprilis Emmanuel Chrysoloras anno ætatis 47. *Æneas Syluius*, & *Iouius*. Lusitani deinceps hoc anno 22. Nou. sub auspiciis Ioannis Regis Septam, *Ceute*, vrbem amplam Mauritaniæ Saracenis eripuerunt, *Niemus, Mariana*.

Anno Christi MCCCCXVI. Ferdinandus Rex Aragonum sentiens se laborare morbo, quo breuì efferendus esset, cùm omnia tentasset pro Benedicto, missis etiam ei valdè honorificis ad Concilium Constantiense Articulis 6. Ianuarij, authore in primis S. Vincentio Ferrerio, sub-

ſtrahit ſe à Benedicto, publico edicto Perpiniani edito, quod ipſe S. Vincentius in concione publica recitauit, cùm tamen priùs eidem Benedicto conſtanter adhæſiſſet. Sed hic Antipapa Lunaticus excommunicauit etiam Ferdinandum, & regno priuatum declarauit. Obiit autem Ferdinandus 2. Aprilis, cùm regnaſſet annis quatuor, vixiſſet annis 43. Populetum delatus, vbi Reges Aragonij ſepeliri ſolent, vir digniſſimus longiore vitâ, *Surita, Valla, Mariana.* Succeſſit ei primogenitus Alphonſus cognomento *Magnanimus*, qui togatus reſtituere Benedicto obedientiam prudentiſſimè negauit, *Antonius Panormitanus*, qui vitam eius edidit, *Æneas Syluius, qui in hanc vitam edidit Commentaria, Bartholomæus Genuenſis*, qui eius quoque vitam ſcripſit, æmulus *Vallæ. Ioannes (gener Comitis Hannoniæ) Delphinus qui Ludouico fratri ſucceſſerat, obiit hoc anno, vel ex immodico pilæ ludo, vt Galli, vel vt Belgæ ex veneno, à Francis admodùm deſideratus; cui ſucceſſit frater Carolus Comes Pontiuenſis annos tantùm natus quatuordecim, qui poſteà valdè exercitus, & ruinæ proximus Carolus VII. fuit*, Omnes Hiſtoriæ Francicæ, & Belgicæ Scriptores. *Sigiſmundus rebus Aragoniæ compoſitis Lutetiam venit ad pacem cum Anglo conficiendam 1. Martij, Dominicâ Quinquageſimæ, admiſſus in Senatum loco regis, & permiſſus Equitem creare. Quod quidam moleſtè tulerunt; vnde cùm rediret ex Anglia, & Lugduni vellet creare Ducem, Sabaudiæ Comitem, obſtitere ei Regij Magiſtratus: Itaque in arce Monluëtana id præſtare coactus eſt*, Monſtreletus, Paulus Æmilius, Iuuenalis Vrſinus, &c. Tranſiuit & Londinum ob eandem pacem, die 7. Maij; ibíque exceptus magnificè; & cùm ad pacem inclinare videretur Henricus, hanc nuncius de Anglis cæſis per Francos ad Harifiorium diſſoluit. Cui etiam addes Anglorum peruicaciam, *Krantzius, Paulus Æmilius, Walſinghamus. Franci victi ſunt prælio nauali ab Anglis die Aſſumptionis B. Virginis. Burgundus petiit reſtitui Lanios illos tortores Pariſinos, fautores ſuos. Coniuratio etiam inita de Rege includendo, cædendis Regina, Principibus, & Proceribus ipſo die Paſchatis: ſed ea eſt detecta, & maximè diligentiâ Iuuenalis Vrſini Præpoſiti Pariſienſis Patris Hiſtorici: Coniuratores multati capite, Nicolaus aut Almericus Hordeomontius, Canonicus Pariſienſis, ignominioſè cum mitra papyracea traductus, omnibus ſuis beneficiis priuatus, perpetuo carcere*

in pane & aqua inclusus est, Iuuenalis Vrsinus, Monstreletus, & alij.

In Concilio Constantiensi Sessione XXI. die Sabbathi 30. Maij Hieronymus Pragensis relapsus, & modis omnibus reuocatus ad sanam mentem per Concilij Patres, pertinax, & præfidens exustus est, eiúsque cineres, vt Hussi in Rhenum proiecti. Sed terram vbi crematus erat abrasere Hussitæ, & hunc Hussúmque sicut SS. Petrum, ac Paulum coluerunt, *Niemus*, *Cochlæus*, *Acta Concilij.* Poggius tum inuenit Constantiæ Quintilianum, & Asconium Pædianum, & illum in taberna Salsamentarij, idem *Poggius*, & *Iouius.* Obiit Constantiæ hoc anno Niemus, in Pontificum vitiis carpendis mordacior, quàm Catholicum deceret, *Bibliothecarij.* Sessione XXII. 15. Octobris actum de locis Legatorum & 1. loco sedit Gersonius Francus, deinde Regis Aragonum hac vice. Sessione XXIII. constituti iudices in Petrum de Luna. Sessione XXIV. 28. Nouembris decreta citatio Petri de Luna. Sessione XXV. 14. Decemb. recepti Legati Comitis Fuxensis. Sessione XXVI. 24. Decembris recepti Oratores Regis Nauarræ, *Acta huius Concilij.*

Anno Christi MCCCCXVII. de variis rebus actum ad Ecclesiæ vtilitatem spectantibus, eiúsque reformationem vsque ad sessionem XLI. die Lunæ 8. Nouembris Cardinales designati, qui eodem die, numero viginti, ex triplici obedientia in Pontificium Conclaue ingressi sunt, & die Iouis 11. Nouembris elegerunt Pontificem Othonem de Columna annos natum 50. qui quòd electus esset die sancti Martini Episcopi Turonensis dici voluit Martinus eius nominis Tertius, dictus tamen vulgò Quintus, quia cum Martinis, Marini confunduntur; coronatus die Sabbathi 20. Nouembris; sícque terminatum Schisma 39. aut 40. annorum inchoatorum.

Intereà petentes communionem sub vtraque specie Hussitæ sæuiunt in Bohæmia, diruunt Ecclesias, & conueniunt ad 30. millia celebraturi communionem sub vtraque specie; tamque periculum adiisset Wencessaüs, nisi Hussita Presbiter nomine Conrada, populariter eloquens, necem eius dissuasisset, *Æneas Syluius*, *Cochlæus*. *Galliaquo-*

que valdè turbata est: nam præterquam quod Henricus exscensionem fecit in Normaniam, quam pænè integram occupauit, quòd ab eo starent Duces Burgundiæ, & Britanniæ: etiam tumultus domestici aucti sunt, cùm Burgundus Reginam Isabellam ad suas partes adiunxisset, & Parisiis abduxisset. Regi autem ægrotanti, atque Delphino adolescenti Comes Armeniacus, idémque stabuli Comes, ægrè Parisios seruauit, reliquis Prouinciis desolatis, Iuuenalis Vrsinus, Monstreletus, Walsinghamus, &c. *Ioannes Betancurtius nobilis Normannus hortatu Roberti Braquemontij Archithalassi propinqui sui, vendidit omnia sua bona, instruxitque classem; atque obtinuit à Rege Castellæ vt Dominus esset Canariarum sub fide tamen clientelari Regis Castellæ. Statim quinque earum subegit, sed nondum occupatâ earum præcipuâ Canariâ, obiit. Successit ei Menantes propinquus, qui se quoque Regem Canariarum dixit; quibus Martinus Pontifex dedit Episcopum Mendum quemdam Monachum. Sed is posteà se Barbaris adiunxit, quòd iste Rex sua potiùs quàm Ecclesiæ curaret*, Mariana, Canariarum Historia Petri Pontecij Franciscani, & Ioannis Vererij, domesticorum Betancurtij. Hoc anno Nicolaus Albergatus Carthusianus factus est Archiepiscopus Bononiensis, vtilissimus deinceps futurus Ecclesiæ, *Sigonius*. Pertinet denique ad hoc tempus latronum genus, quod primùm apparuit in Germania, & Tartari primùm dicti sunt vulru lurido, squallidâ veste, ex canibus, felibus, & istiusmodi vtentes cibis immundis, viuentes ex furtis, assiduè peregrinantes, fatidici, præstigiatores dicti, aliter Zygeni à quodam Zindelone, qui dicebant se pulsos ab Ægypto, quòd eorum maiores B. Virginem excipere noluissent. Dicti quoque *Nubiani*, quasi ex Nubia excessissent, Gallis Bohæmi & *Ægypti*, Italis *Singari*, quòd fingerent se pulsos ab vrbe Singara cùm data est Persis à Iouiniano Imperatore, *Krantzius, Auentinus, & alij.*

Anno Christi MCCCCXVIII. Sessione XLIII. 21. Martij actum de reformatione Ecclesiæ, in capite, & membris Sessione XLIV. 19. Aprilis Concilium futurum indictum Ticini, *à Pauie*. Sessione denique vltimâ XLV. die Veneris 22. Aprilis finis impositus Concilio; sed cuius multas sanctiones improbauit Martinus, quas putauit praxi antiquæ Ecclesiæ aduersari. Damnauit quoque propositio-

nes F. Matthæi Grabonis Dominicani, de seruantibus vota extra religiones, quibus maximè petebantur *Fratres vitæ communis*, sed hanc Congregationem optimè defendit Gerson,& à Martino est tum approbata, *Gerson, Miræus.* Ita finirum Concilium Constanriense quod tribus annis ac ferè sex mensibus durauit. Martinus V. excedit Constantiâ, & Geneuam pergit, inde Mediolanum & Mantuam, *Author Burdegalensis, Vita Martini, Monstreletus, & alij. Burgundi Parisios per proditionem ingressi, inimicorum, quos* Armaniacos *dicebant, crudelem edunt carnificinam; cæsus tum Comes Armaniacus Comes-Stabuli, Henricus Marliacus Cancellarius, Episcopi Constantiensis, Baiocensis, Ebroïcensis, Syluanectensis, multi Proceres, Abbates, Senatores, omnes denique qui aduersari credebantur, ad multa millia, quorum corpora vel feris & auibus exposita, vel in fluuium proiecta sunt; Rex impositus equo per vrbem circumductus; Delphinus qui petebatur ad necem nudus ægrè à Taneguido Castello subductus est: mox excepti Parisius magnificè, qui Trecis subsliterant Regina & Burgundus; statímqne renouata cædes Armaniacorum, Duce Capaluchâ carnifice, quem tamen cædi Burgundus imperauit*, Iuuenalis Vrsinus, Monstreletus. *Anglus Rothomagum Normaniæ caput occupat, in qua mortui fame suprà 50. hominum millia: ab alia parte Delphinus stipatus egregiis Ducibus Anglos, & Burgundos exagitat;* iidem qui suprà, Galli Scriptores. Ioannes Dominici Florentinus Dominicanus ad Hussitas conuertendos missus à Martino, eos inflexibiles reperit, ac paulò pòst moritur in Hungaria miraculis clarus, *S. Antoninus eius discipulus, Leander, & alij.*

Anno Christi MCCCCXIX. Martinus V. discedens Mantuâ, Florentiam pergit; diuertit à Bononia, quæ Ecclesiæ iugum excusserat specie libertatis, per Antonium Bentiuolium. Exceptus est autem honore singulari Florentiæ, ibíque diutiùs egit, quia Castrum S. Angeli, & Ostia Tiberina & Ciuitas Vetus erant in potestate Ioannæ Reginæ, & Braccius Romam obtinebat, ex qua tamen expulsus est à Sfortia æmulo suo, creato Comite Stabuli à Ioanna: cùm tamen retineret adhuc aliquas Ecclesiæ terras excommunicatus est, quod contempsit, donec per Florentinos Martino reconciliatus est, accidens ad eius pedes, *Corius Hi-*

storia sua parte 4. & S. Antoninus. Ioanna autem Pontifici reconciliata est redditis ei Castris, & oppidis, & coronari iussa, modò emitteret ex vinculis Maritum suum; quod & factum est, qui posteà pertæsus vitæ sæcularis, factus est Franciscanus. Eius vxor coronata Regina Neapolitana initio Octobris, se totam suo Seneschallo, sicut & regnum permisit, *Summontius lib. 4. cap. 3. Hist. Neapolitanæ.* Solutus Baltazar Cossa aliàs Ioannes XXIII. pecuniâ suâ, vel etiam Martini iussu, vt Mantuæ meliùs seruaretur. At cùm iam ab eo timeretur nouum Schisma, ipse impulsus à Deo, accessit sponte ad Martinum Florentiam, & ad eius pedes prouolutus est 14. Iunij, ab eo creatus Decanus Cardinalium: sed 22. Decembris ibidem obiit; vel mœrore, vel ex veneno, cuius funus curauit eius amicus, Cosmus Medicæus Florentinus, quem eius pecuniis ditatum quidam putauerunt, *S. Antoninus, Platina, Sabellicus, Onuphrius, &c.* Florebat hoc tempore S. Bernardinus Senensis Minorita, præcipuus cultor nominis Iesu, de quo duæ causæ proferuntur; *Prima*, quòd eo concionante hoc nomen ex lumine apparuisset, *altera*, quòd pictori Chartarum Lusoriarum persuaserat nomen *Iesu* deinceps pingere, quâ picturâ ditatus fuit. Hic est Bernardinus author *Obseruantinorum Franciscanorum*, qui à Conuentualibus separati sunt, *Maurolycus, Bullarium.* Obiit hoc anno 16. Augusti ex paralysi orta ex furore Wenceslaüs, anno regni sui 55. vitæ 57. post cuius obitum Hussitæ conualuere, atque Ecclesias diripuere, Duce Ziskâ vno-oculo, viro forti, qui Hussiticam hæresim valdè promouit. Quam cùm potuisset comprimere Sigismundus, prauo vsus consilio, Turcos aggressus est, quos neque vicit, & Hussitas eò potentiæ deuenire passus est, vt facti sint toti Germaniæ terribiles, *Æneas Syluius, Thomas Valdensis, Dubrauius, Cochlæus. Carolus Delphinus se Regentem Franciæ dicit & cum Anglis, & Burgundo fœdus inire conatur: Illi duras nimis conditiones offerebant: hic in Ponte Monesterioli, super Icaunam, in colloquio Delphini à Taneguido Castello occiditur, & Delphini Comitibus Ducis Aurelianensis cæsi amicis die Dominicâ 10. Sept. reconciliatur. Statim Ioannis Burgundi filius Philippus turpissimis conditionibus cum Anglis paciscitur, quos in Regentem adolescentem annorum Septemdecim armat, simul & Pa-*

trem delirum, & Reginam matrem, odio Nouercali in filium accensam, per quos nihil propiùs factum est, quàm vt Francia tota rueret in exitium, Monstreletus, Iuuenalis, Vrsinus, & omnes Francicæ Historiæ ac Flandricæ Scriptores, inter quos enitet maledicentissimus Meyerus. Obiit sanctiùs hoc anno S. Vincentius Ferrerius Venetiis in Britannia 5. Augusti, à quo ferunt suscitatos post eius obitum 38. mortuos. Donatus erat Spiritu Prophetiæ, & tamen putauit tum natum esse Antichristum, *Petrus Rauzanus Panormitanus in eius vita, quam in Compendium contraxit S. Antoninus, Surius 5. Aprilis, litteræ eius Canonizationis.* Fratrem habuit S. Vincentius Bonifacium Iuris Doctorem, qui vxore mortuâ factus Carthusianus, eius Ordinis fuit Prior Generalis 25. vir fratri sanctitate geminus, *Dorlandus in Chronico Carthusianorum, & Trithemius de Scriptoribus Ecclesiasticis, qui etiam eius scripta recenset.* Emmanuel, seu Manuel Imperator Constantinopolitanus filium suum Ioannem primogenitum coronandum curat 19. Ianuarij, eíque dat vxorem filiam Marchionis Montisferrati anno secundùm Græcos 6927. inchoato mense Septembri anni præcedentis cum Indictione XII. *Phranzes Onuphrius.*

Anno Christi MCCCCXX. Ziska Dux Hussitarum Vrbem Thabor ædificat inter duo flumina, arte naturâque permunitam, vnde suos dixit *Fratres Thaboritas*, & forte quia, vt notat Bonfinius, *Tabor* Hungaricè *Castrum* sonat. Sigismundus Pragam obsidet, itaque Pragenses vocant in auxilium Ziskam contra hunc Sigismundum, qui in æde Metropolita in arce coronatus est Rex Bohemiæ; sed obsidionem soluere est compulsus. Inde sæuiêre crudeliter Hussitæ in Catholicos, & eorum templa, *Æneas Syluius, Dubrauius, Cochlæus, Krantzius*; Hic ait Iudæos in Bauaria Hussitis pecunias suffecisse, ideóque à Friderico Duce bonis omnibus exutos. Eodem tempore *Adamitæ*, in Bohæmia apparuerunt authore Pikardo Belgâ, qui Insulam amne cinctam occuparunt; verùm à Ziska ob grassationes deleti sunt. Visa quoque factio *Orebitarum*, quorum sectatores omnium Hussitarum crudelissimi in Catholicos. Contra hos omnes susceptæ expeditiones aliquot à Sigismundo, in quibus semper infelix fuit, quinquies victus à Ziska cum

cœco; nam puer oculum vnum amiſerat inter ludendum, alium ad oppidum Rabi ſagittâ excuſſum; nihilominùs ex relatione ſola copias ſuas ſcientiſſimè ordinabat, & victoriam ſemper referebat, *Æneas Syluius, Auentinus, Dubrauius, Cochlæus.* Errant qui hoc anno ortum ducunt *Bullæ Cœnæ Dominicæ*, de qua vide *hoc anno Spondanum num.* 6. *Philippus Burgundus Catharinam Caroli filiam Regi Angliæ ſponſam tradidit, ac nuptiæ celebratæ ſunt Trecis initio Iunij, turpiſſimis conditionibus. Henricus Anglus hæredem ſe Galliæ gerit, & Pariſiis recipitur, damnatur Delphinus* 23. *Decembris, qui ſe Biturigas recipit: Anglus cum Catharina & ſpe regni Francici in ſuam ditionem redit*, Iuuenalis Vrſinus, Monſtreletus, & alij. Martinus V. Bononiam recipit, placatur Florentinis, à quorum inficetis cantionibus perſtrictus erat: relictâque Florentiâ menſe Septembri 22. eiuſdem menſis Romam ingreditur, expertus tamen Braccium aduerſarium, tam bonum Ducem, quam malum Catholicum. Ioanneta Regina Neapolitana timens ſibi à Ludouico III. Duce Andegauenſi, cuius partes Sfortia Pater infenſiſſimus Caracciolo Reginæ adultero, reparabat. Quare hæc Authore Carafâ cognomento *Malitioſo* homine aſtutiſſimo adoptat in filium Alphonſum Regem Aragonum, cui etiam adoptioni Martinus aſſenſus eſt, vnde enata grauiſſima bella inter Hiſpanos & Gallos, *Summontius, Collenutius, Corius, Blondus, & alij.* Henricus Dux Viſeenſis, & Militiæ Chriſti Magiſter, filius Ioannis Regis Luſitaniæ, ex aſtrorum cognitione Materiam, *Madere* Inſulam detegendam curat, & viam aperit ad luſtranda Africæ littora, *Mariana, Maphæus, Ioannes Barrerius in Aſia.* Celebratum hoc anno Concilium Saliſburgenſe ab Eberardo, ad reparandam diſciplinam Eccleſiaſticam tempore Schiſmatis, collapſam, *in Tomis Conciliorum.*

Anno Chriſti MCCCCXXI. Huſſitæ in Bohæmia Conciliabulum conuocant 7. Iulij Pragam ſub Archiepiſcopo Conrado, qui ad eos defecerat, ad quod vocati Barones Regni, & Marchio Morauiæ, vbi editi ſunt 22. Articuli, quos proponit *Cochlæus.* Exorta tamen diſſentio inter Pragenſes, & Thaboritas, quòd hi cum Wicleffiſtis omnem Eccleſiæ doctrinam euerterent, illi cum Eccleſia ſentirent,

ſentirent, exceptâ tantùm communione ſub vtraque ſpecie, vnde & dicti *Calixtini*; quam ob cauſam Ioannes Apoſtata Præmonaſtrenſis Monachus, qui iam plurimùm Bohæmiam turbarat, vocatus à Magiſtratibus Pragenſibus in Domum vrbis publicam, cum decem ſeditioſiſſimis, quaſi ad negotium magni momenti, occiſus eſt: quâ auditâ cæde à populo in Magiſtratus ſæuitum, mulieres Ioannis caput aromatibus conditum, vt Martyris reliquiarum loco coluerunt, *Æneas Syluius, Dubrauius, Cochlæus, & alij.* Iidem Huſſitæ contra Sigiſmúndum inſurgunt, tanquam omnium malorum cauſam, ob crematum Ioannem Huſſum, & regnum dilapidatum; eum regno deiicere ſunt conati, quod obtulêre Wladiſlao Polono, Ziskâ reclamante, & libertatem vociferante; ſed id ſapienter, & ſanctè reiecit Polonus, atque Eccleſiam, hoſtis ſui Regno ampliſſimo, prætulit, *iidem Cochlæus & Dubrauius. Delphini copiæ 22. Martij Sabbatho Sancto ex Scotis, atque Francis, cum Anglis confligunt animoſiſſimè ad Balgium oppidum in pago Andegauenſi; victus & cæſus Dux Clarentiæ Regni Procurator ab Henrico relictus, cum Comite Kentij, & aliis Proceribus, multi capti, duo millia cæſi, reliqui aſſumptis vexillis Francicis in ſuam Normaniam, pudoris pleni, redierunt*, Buchananus, Hector Boëtius, Iuuenalis Vrſinus, Walſinghamus, Polydorus, & alij. *Henricus Angliæ Rex vlturus fratris ſui Clarentiæ Ducis necem cum maioribus copiis, in Franciam redit: capit aliquot oppida, & omni genere crudelitatis in Francos ſæuit: qui viciſſim in eius exercitum ex inſidiis irruunt, quem inſuper fames & peſtis, penè totum deſolarunt; quare Lutetiam ad hyberna receſſit. Cui interim in Caſtro Windeſorio Catharina* vxor *filium Henricum peperit, quæ mox Pariſios venit multâ gratulatione ſuſcepta.* Iuuenalis Vrſinus, Walſinghamus, & alij. Horrenda tempeſtas cum inundatione inaudita Hollandiam, Zelandiam, Flandriam afflixit; tota regio inter montem S. Gertrudis, & Dordracum fertiliſſima, cum 72. pagis hauſta eſt, cum multis hominibus, & animalibus, Dordracum magna ex parte periculum adiit, *Snous rerum Batauicarum lib. 9. Krantzius, Meyerus.* Mahometes I. Turcorum Princeps anno regni ſui octauo, ex Apoplexia interiit, Hadrianopoli, cui filius Amurathes II. ſucceſſit, *Turcorum Annales*, ſed *Leon-*

clauius eius mortem anno ſuperiori collocat, hoc anno *Phranzes*.

Anno Chriſti MCCCCXXII. Wladiſlaüs ſollicitatus iterum à Bohemis regnum ſuum ſuſcipere contra Sigiſmundum, ſapienter id renuit, atque piè. Poſteà tamen paſſus eſt Vitoldum fratrem ſuum mittere 500. Equites in Bohemiam cum Sigiſmundo Kerebutho ſuo patruele, qui honorificè ſuſceptus à Pragenſibus, hanc vrbem ordinauit, bonis acceptiſſimus, vt ſeditioſis terribilis. Verùm paulò pòſt idem reuocatus eſt, pace initâ intèr Sigiſmundum, atque Wladiſlaum, *Cromerus, Dubrauius, Bonfinius, Cochlæus.* Miſſus à Martino V. Antonius Maſſanus Generalis Minorum Conſtantinopolim, vt ageret de vnione Eccleſiæ Latinæ cum Græca: is Conſtantinopolim appulit 10. Sept & 16. Imperatorem allocutus eſt, ſed nihil præter verba retulit, & petionem Concilij in vrbe Conſtantinopolitana, cùm propter bella, & Imperij penuriam, Græci in Occidentem tranſire non poſſent, *Acta huius Legationis excuſa Pariſiis* 1612. *cum Actis Concilij Piſani. Obiit hoc anno Anglicus Rex Henricus in Caſtro Vicennarum iuxta Pariſios* 30. *Auguſti aut* 31. *ſed de mortis genere neque conſentiunt authores, cùm ex nimio labore Angli, Franci ex epilepſia, vel morbo pediculari, vel Ereſipelade ſeu igne ſacro in ano ; certè exceſſit è viuis anno vitæ* 36. *regni* 9. *cum ſex menſibus. Succeſſit ei filius Henricus eius nominis Sextus, quem pater prænunciauit infelicem fore, vbi eum natum audiuit Windeſorij. Regens Gallici regni ab Henrico V. dictus Ioannes Dux Betfortiæ, monitus vt Burgundo ſemper adhæreret, nec vnquam cum Delphino pacem iniret, niſi redditâ Normanniâ; Hunfredus fratrum alter Dux Gloceſtriæ* Regens *Angliæ conſtitutus,* Iuuenalis, Monſtreletus, Walſinghamus, qui hîc ſuam abſoluit Hiſtoriam, & alij. *Nec ita multò pòſt,* 28. *Octobris generum Henricum V. ſecutus eſt Carolus VI. eius ſocer, vt ſcribit* Iuuenalis, *vt eius Epitaphium* 21. *eiuſdem menſis annos natus quinquaginta duos nondum expletos, anno regni* 43. *diebus* 35. *inchoato. Dictus*, Bene-amatus, *à ſuis, licèt eo regnante multa mala toleraſſent. Succeſſit ei filiorum vltimus Carolus VII. annos natus* 20. *cognomento* Victor, *ab Anglo, & Burgundis* Rex Biturigum *dictus, qui hæreditate ſibi debitum regnum armis, & Dei fauore recuperauit. Coronatus eſt Pictauij, non Rhemis, quia vrbs iſta*

in hostium potestate erat. Sepultus est Carolus VI. exequiis parum frequentibus, per Ducem Betfortiæ, cùm his Principum Regij sanguinis nullus interesset, sed sex millia pauperum, quibus eleemosynæ liberaliter distributæ sunt. Ibidem Parisiis Henricus VI. ex nuptiis Catharinæ Francæ, Rex Franciæ & Angliæ proclamatus, Iuuenalis Vrsinus, Monstreletus, & alij. *Recruduit hoc anno in Aquitania, & Occitania Schisma: quidam enim seditiosi atque turbulenti Turenam oppidum* Paniscoletam *nuncuparunt, alludentes ad Paniscolam Catalaniæ, vnde multa Blasphema in Synodum Constantiensem effuderunt: quare ij & Ioannes Armaniacus eorum defensor, qui filium suum inungendum curarat Chrismate Paniscolæ consecrato, à Gerardo Legato excommunicati sunt*, Litteræ Martini V. Pertinent ad hæc initia Regni Amurathis gesta inter hunc & Mustapham filium verum, vel fictitium Baiazethis. Manuel præferebat amicitiam Amurathis, & Proceres qui eius nomine regebant Europam, multam pecuniam offerebant. Sed Ioannis sententia euicit Mustaphæ fauentis, quòd hic Callipolim reddere promitteret. Sic Mustapha Europam obtinuit, dum Amurathes Asiam rexit; neque tamen reddita Callipolis, causantibus Turcis eam esse Sacram, quòd hæc prima in Europa esset occupata. Victus tandem in Asia Mustapha, fugitque in Europam insequente Amurathe, qui cùm traiicere in Europam non posset subductis nauibus, Mercator Genuensis magnâ naue eius copias traiecit, accepto Ducato vno, aut duobus in singula capita. Ita fugiens captus Mustapha, & Hadrianopoli strangulatus. Amurathes 4. mensibus frustrà Constantinopolim obsedit. Quare Græci alium Mustapham puerum, Amurathis fratrem opposuerunt, qui cùm occupasset Niceam Bithyniæ traditus est fratri, & iussu eius quoque vitam finiit, *Phranzes*, *Calchondyles*.

Anno Christi MCCCCXXIII. Iubilæum Romæ celebratum ex reductione Vrbani VI. ad annos 33. *Bulla Pauli II. Onuphrius: Ciaconius, & Bzouius*, hoc in annum 1425. differunt. Concilium inchoatur Ticini seu Papiæ mense Maio, sed grassante pestilentiâ translatum Senas, & inchoatum aut 22. Augusti, aut Kal. Nouembris verius 8. solutum tamen mense Februario anni sequentis, & locus assignatus Concilio Basilea intra septem annos, quia Martinus, qui

adesse promiserat, defuit, prætexens pestilentiam, reuerà ob metum ab Aragonio, *Platina in Martino, author Senensis Historiæ, Acta Concilij Basileensis, Mariana, & alij.* Alphonsus Aragonius causam Petri de Luna restituere in Concilio Senensi, & Martinum turbare conatur, quæ causa præcipua fuit, cur Concilium Senense solueretur, *Mariana.* Alphonsus & Ioannetta inter se dissident, immò ingratissimus ille eam in Catalaniam amandare decreuerat, veritus eius ingenium mutabile. Igitur ventum ad arma, hæc obsessa ab illo in Castro Capuano Neapoleos; sed ei adfuit Sfortia, per quem primò Nolam, deinde Auersam perducta est. In ipsa autem acriter vtrimque certatum vrbe, quæ & direpta, & ex parte incensa; sed tandem in suam Aragoniam Alphonsus redire coactus est. *Nauigans autem Massiliam vrbem Andegauensis impetu occupat, ac diripit, indéque secum exportat ossa S. Ludouici Tholosani Episcopi, & Valentiæ collocat.* Quare vti ingratus abdicatur à Ioannetta, Martino approbante, ac in eius locum substituitur Ludouicus Andegauensis: qui Româ euocatus, peramanter suscipitur & creatur Dux Calabriæ, *Summontius, Corius, Collenutius, Surita, S. Antoninus, Blondus, & alij.* Bellum graue exortum est inter Philippum Mariam Ducem Mediolanensem, & Florentinos, quos ille cùm Tusciа subiicere moliebatur, post Liguriam & Genuenses sibi subiunctos; sed Florentinis auxilia dedere Veneti, Aragones, & Sabaudi, *Poggius, S. Antoninus, Blondus, & alij. Franci deuicti sunt ad Crepantum*, Creuant, *in pago Andegauensi. Sed ad Grauellam Anglis reposita clades: Item variis in locis certatum, direptæ, vastatæque vrbes, regiones desolatæ,* Monstreletus, Charterius, Polydorus, & alij. Belgium quoque hoc anno agitari cœptum ob Iacobam filiam Comitis Hannoniæ, & Hollandiæ, quæ nupserat Delphino Franciæ, deinde data Ioanni filio Ducis Brabantiæ adolescenti sexdecim annorum. Sed interposuit se Ioannes de Bauaria eius patruus annis 28. Episcopus Leodiensis, qui & vxorem duxerat, permittentibus Patribus Constantiensibus, quare & dictus *sine pietate.* Rebus cum eo compositis, reliquit illa virum specie cognationis & transmittens in Angliam nupsit Hunfrido Glocestriæ Comiti, qui ius eius

armis defendere voluit; ſed obſtiterunt huic Dux Burgundiæ, & Martinus Papa: quare hæc relicta ab Hunfredo, qui aliam duxit vxorem. Iacoba ſola in Burgundum, & Brabantinum Duces depugnauit, donec hoc mortuo, pacem iniit cum illo, contenta terris quibuſdam, denupſítque Franconi cuidam viro diuiti, cum quo annis tribus vixit, *Monſtreletus, Auentinus, Snoüs, Meyerus, & alij.* In Germania Coloniæ menſe Aprili celebrata ab vrbis Archiep. Synodus, pro reformatione Cleri, & contra Huſſitas, vbi ſtatutus dies Feſtus *Compaſſionis B. Virginis, Collectio Conciliorum.* Turcarum 20. millia in Peloponneſum irruperunt, ingentémque vaſtitatem huic regioni intulerunt, *Diarium Venetum M. S. apud Oderium Reynaldum.* Hoc quoque anno dedita Venetis Theſſalonica à Græcis, cùm huic defendendæ impares eſſent, *Idem Diarium.* Obierunt hoc anno 4. Aprilis Papiæ Baldus Peruſinus Iuriſconſultus, cùm ius profeſſus eſſet annis 56. moriens in habitu ſancti Franciſci: & item eodem anno frater eius Angelus, item Iuriſconſultus & comes eius ſtudiorum, *Bergomenſis, Trithemius.* Natus eſt hoc anno *Ludouicus poſteà XI. Biturigibus in Eccleſia S. Stephani ſacris aquis elutus,* Monſtreletus.

Anno Chriſti MCCCCXXIV. Mortuus eſt Ioannes Sfortia Comes-Stabuli Ioannæ II. Is dum Aternum fluuium traiicit, aquis hauſtus eſt, nec viuus, nec mortuus repertus. Obiit anno ætatis 54. Dicebatur auito nomine Mutius, ſed huic iſtud nomen indidit Albericus Balbianus Cunij Comes, ob acriter repulſam ſibi factam iniuriam. Reliquit duos filios nothos Franciſcum, qui Mediolano, & Alexandrum qui Piſauro præfuit, *S. Antoninus, Bergomenſis, Corius, Summontius, & alij.* Nec ita multò pòſt, quod ei prænunciatum erat, illum ſecutus Braccius, qui 2. Iunij prælio inito cùm Philippo Sfortia, victus & captus, ex vulnere periit; cuius cadauer ad Martinum delatum, vt excommunicati abiectum eſt in ſterquilinium, leuique ceſpite obrutum: quod tamen eius Nepos Fortebraccius occupatâ Româ, depulſo Pontifice, Peruſium deportauit & honorificè ſepeliendum curauit, *Iidem qui ſuprà Scriptores.* Martinus Romanam Curiam ordinare conatus eſt, legéſque Cardinalibus dedit, tam ipſis neceſſarias, quàm toti vtiles

Ecclesiæ, *Author Vitæ Martini.* Enimuero hoc anno Pontificatum, quod tam pertinaciter retinuerat, & vitam reliquit Petrus de Luna, olim Benedictus XIII. Paniscolæ in regno Valentiæ, de cuius obitus die non constat, cùm alij Septembrem, alij Nouembrem alij diem Pentecostes vndecimam Iunij assignent. Moriens etiam calamo denunciauit maledictionem æternam suis, nisi sibi Papam substituerent. Transcendit annos Petri, annis ipsis 30. in Sede Pontificia moratus. Sepultus est vulgari sepulturâ, sed post annos sex Illuccam ab eius nepote Ioanne de Luna translatum eius cadauer suauem afflans odorem, & incorruptum manens, *Vt eius amici dicunt.* Quidam veneno sublatum putant, à quodam Thoma Monacho, authore Cardinale Pisano, qui eò venerat ad eum capiendum; quare auditâ Petri morte hic fugit. Sed quid opus veneno homini octuagenario, vel nonagenario, *Mariana, Ciacconius, & alij.* Petro de Luna sufficitur à duobus Cardinalibus Iuliano de Loba seu Dobla, & F. Dominico de bona Spe Carthusiano, Ægidius Sancij Munionis, seu Munotij, Canonicus Barcinonensis dictus Clemens VIII. quem recusantem suscipere dignitatem coëgit Alphonsus infensus Martino. Hic statim Cardinales creauit; omnésque hi à verò Pontifice Anathemate perculsi, *Mariana, Surita, Onuphrius, Ciacconius.* Coronata est Sophia Regina Poloniæ magnâ celebritate, cui interfuit Sigismundus Imperator reconciliatus Wladislao, & Erricus Rex Daniæ, Noruegiæ, & Sueciæ, *Michouius, Cromerus, Krantzius.* Hussitæ aliquot expeditiones prosperè conficiunt, simul & crudéliter de more; Marchio tamen Misnensis Buxem oppidum illis cum magna clade eripuit, *Cochlæus, Krantzius.* Sigismundus Ziskam & præfecturis oblatis, & pecuniis, in suas reducit partes. Sed hic dum ad illum pergeret, extinctus est peste. Rogatus vbi sepeliri vellet, rogauit vt post mortem excoriaretur, atque ex eius pelle tympanum fieret, ad fugandos hostes, quod & factum. Eum autem solum cum Angelo Calicem tenente pingebant Taboritæ, eíque quotannis sacra faciebant, *Æneas Syluius, Krantzius, &c.* Ziskâ mortuo diuisi in varias factiones, & exercitus Hussitæ; vna retinuit *Thaboritarum* nomen sub *Procopio Magno, seu Raso:* Altera Or-

phanorum, qui à paucis regebantur, quorum Dux *Procopius Minor*: tertia *Orebitarum* ſub Bedrico Preſbytero: Theutonas vocabant Philiſtæos, Moabitas, Idumæos, ſe *filios Iſraëlis*, vt ſuam Bohæmiam *Palæſtinam*, *Cochlæus, Æneas Syluius, & alij*. Erricus Rex trium regnorum Borealium peregrinatus eſt in terram Sanctam, ignoto habitu, vbi tamen ferè agnitus eſt, ex eius imagine Venetiis depicta, *Krantzius in ſua Dania*, Magiſter ordinis Theutonicorum Rigæ in Liuonia damnans innocentem ad furcam, hic illum vocauit intra 13. diem ad Dei Tribunal, quo die Iudex iniquus obiit, *Krantzius in Wandalia*. Hoc anno liber dimiſſus eſt Iacobus I. Rex Scotiæ, promiſſis centum millibus Marcarum argenti, poſt 18. annos carceris Anglicani, vbi tamen egregiè litteris excultus erat, & ad omnes artes principe dignas: quare Academiam Santandreanam auxit, & regnum ſuum optimè adminiſtrauit. 21. Maij Sconæ coronatus eſt. Statim à Iuſtitia exorſus, Gubernatorem cum ſuis filiis, licèt ſibi ſanguine coniunctos, ob ſcelera ſuſtulit, alióſque Proceres; quare ſub eo ita Scotia floruit, vt poſteà idem ſæculum eundémque Regem fruſtrà optauerit. *Hector Boëthius, Leſlæus, Buchananus. Ad Vernolium*, Verneüil, *commiſſum prælium inter Anglos & Francos, vbi horum multi perierunt cum Scotis, caſo etiam Scoto Comite-Stabuli Caroli VII. cruenta tamen hæc Anglis victoria fuit*, Monſtreletus, Charterius, Polydorus, Meyerus, & alij. Menſe Maio Turacanes Dux Turcarum Hexamilum ſeu Iſthmum Peloponneſi cepit, multóſque Macedonas, atque Epirotas cæcidit. Mahometes etiam Conſtantinopolim hoc anno terrâ maríque oppugnauit, cui vrbi tum præerat Conſtantinus Deſpota relictus ab Emmanuele, dum ipſe ad Sigiſmundum pergeret, auxilia petiturus. Tum etiam Amurathes in Walachiam irrupit, vbi multas intulit clades Chriſtianis, & multos captiuos abduxit, *Phranzes, & Muſulmanica Hiſtoria*.

Anno Chriſti MCCCCXXV. In Bohæmia Koributhus Regis Poloniæ nepos miſſus ab Viroldo Duce Lithuaniæ confirmabat Hæreticorum audaciam. Quare Pontifex Martinus Wladiſlaum Regem Poloniæ ſollicitauit, qui ſuis vetuit huic auxilio eſſe, atque inſuper ei intentauit bellum niſi patrocinium Huſſitarum deſereret, *Epiſtola*

Martini, & *Michouius*. Fantinus Venetæ Claſſis Dux Turcas deuicit eorúmque multos interemit. Sed hi viciſſim ad Methonem regionem depopulati, aliquot Chriſtianos abduxerunt, *Diarium Venetum*. Alphonſus Aragonius ſollicitatur à Martino, miſſo nobili Legato Cardinale de Fuxo, quem ille audire noluit, petítque à Pontifice, quæ dare non poſſet, *Hiſtoria Legationis Cardinalis de Fuxo apud Bzouium*. Carolus Rex Nauarræ cognomento *Nobilis*, laborat vt Henricus Frater Alphonſi Aragonij eximatur carcere Caſtellanorum, ſed antequàm hæc negotiatio ad exitum perduceretur Carolus obiit 8. Septembris morte repentinâ, ſucceſſit ei filia Blanca nupta Ioanni fratri Alphonſi Aragonij, *Mariana lib.* 20. *cap.* 14. Confirmata hoc anno Academia Louanienſis 9. Decembris, *Suffridus*, *Lipſius in ſuo Louanio*. Concilium Hafniæ celebratum in Dania, per Petrum Luckium Arch. Lundenſem, *Pontanus Hiſtoriæ Danicæ lib.* 9. Reſtituitur ordo Eremitarum S Hieronymi per Lupum Oliuetanum, aliter Olmetum, ſeu Olmedum, vel Olmedium, *Onuphrius*, *Maurolycus*, *Miræus*. Ciſtercienſis quoque ordo renouatus in monte Sion prope Toletum, à Martino Varga, *Miræus*. *B. Coleta Roylettа, Corbeienſis in Picardia Clariſſas reformauit*, *vſa conſilio Henrici de Balma Minoritæ, ſicut S. Bernardinus Minoritas*, Surius 6. Martij, & Molanus. Obiit hoc anno Emmanuel, ſeu Manuel Græcorum Imperator anno ſecundùm Græcos 6933. 21. Iulij, annos natus 75. & 25. dies, cùm regnaſſet ab obitu Parentis ſui annis 33. Cuius orationem funebrem habuit ſeu μονῳδίαν Beſſarion, quam Latinè vertit Perottus. Succeſſit ei filius Ioannes huius nominis VII. tum ab Hungaria redux, poſt dirutum Iſthmum Peloponneſi, quam eius pater tanto labore, & ſumptibus extruxerat: nec enim aliter ab Amurathe pax obtineri potuit. Eius vxor Sophia filia Marchionis Montisferrati, ab eo ſpreta ob deformitatem vultus, eum reliquit, & fugit ad patrem, *Phranzes Chalcondyles*. *Obiit hoc anno Cardinalis Petrus de Alliaco quondam Magiſter Collegij Campaniæ, ſeu Nauarræ, deinde Epiſc. Cameracenſis ac denique Cardinalis: in hoc reprehenſus quòd de Stella Magorum, & genethliacis obſeruationibus minùs benè ſenſerit*, Sixtus Senenſis, Bellarminus de Script. Eccleſ. Frizonius in Gallia Purpurata.

Anno

Anno Christi MCCCCXXVI. Alphonsus Rex Aragonius Martinum, eiúsque Legatum Fuxium spernere pergit, quare 15. Iulij excommunicatur; quam excommunicationem, sanæ menti redditus, tolli rogauit, *Cardinalis Fuxi Legatio.* Nicolaus Albergatus ex Carthusiano factus Cardinalis inuitus, pacem inter Philippum Ducem Mediolanensem, Florentinos, & Venetos conciliat, à Philippo mox abruptam, *Corius, Poggius, S. Antoninus, Sabellicus.* Cyprum hoc anno Sultanus Ægyptius, aliter Babylonius, in vltionem aliàs incensæ & direptæ Alexandriæ, ab Rege Petro Cyprio, vastauit, captâ Nicosiâ vrbe Regiâ, & omnibus aliis præter Famagustam, quam Genuenses magno præsidio tenebant; captus Ianus vel Ioannes Rex, redemptus à quodam ciue Genuensi ducentis, vel 150. millibus aureorum, & pensitatione tributi annui 5. millium aureorum, frater eius Princeps Galilææ cæsus in prælio, omnes viri cæsi, mulieres abductæ. Filia Iani regnantis deinceps quietè nupsit Ludouico Duci Sabaudiæ, *Stephanus Lusinianus Dominicanus in Historia Cypria, Æneas Syluius.* Auxilia à Duce Burgundiæ multorum Francorum & Germanorum venerunt ad Regem Cyprium, sed iam captum inuenerunt; immò re infectâ redierunt, quia interminati sunt Ægyptij se interfecturos Regem, nisi recederent Christiani, *Monstreletus.* Clades hæc videtur illata Iano Regi, quòd crudeliter necasset filium fratris sui, legitimum Cyprij Regni hæredem, sicut & eius Pater fratrem suum Regem occiderat *Bergomensis.* Sex Catalanæ naues Venetam nauem, quæ peregrinos terræ sanctæ reuehebat, produnt Ægyptiis. Nauis tamen se generosè defendit, 30. viri capti lapidibus obruti sunt, fœminæ omnes venditæ Alexandriæ, *Æneas Syluius.* Tum Sultanus ille dicebatur *Sagitara*, qui infensissimas ad Pontificem Ro. & Principes Christianos litteras mittit, *Chronicon Authoris Burdegalensis; à Monstreleto* tamen vocatur Baldadoch, *ab Ænea Syluio*, & Bergomensi Mechelam, ab *Heroldo continuatore Chronici Belgici*, Melethellam. Peregrinationes Christianorum in Palæstinam anteà interruptæ huius Sultani iussu, repetitæ saltem hoc anno videntur; siquidem Archiep. Treuirensis Otho eò detulit pretiosa ornamenta; & Ludouicus Comes

Palatinus Rheni & Dux Bauariæ indidem reuersus Barbam quam retulerat deinceps tulit, ideò dictus *Dux cum Barba*, & *Dux Cæcus*, quòd inde cæcus & claudus rediisset, *Trithemius in Chronico Sponheimensi*, *& in Chronico Ducum Bauariæ*. Hussitæ Auscham vrbem, quam sibi dono datam à Sigismundo muniebat Misniæ Marchio, & Landgrauius Turingiæ, magnis copiis obsedêre: ad eam acriter decertatum, victi tamen Catholici suorum decem millia perdiderunt: indéque ab illis euastata Lusatia, *Cochlæus*.

Anno Christi MCCCCXXVII. Græcorum 6936. Ioannes Imperator duxit vxorem Mariam Comnenam filiam Imperatoris Trapezuntini, *Phranzes; Chalcondyles* tamen Sophiæ substitutam scribit fuisse filiam Sarmatiæ Principis. Martinus V. Legatum suum aduersus Hussitas non Bohæmiam modò sed & aliquas Germaniæ prouincias sacrilegè depopulantes, destinat Cardinalem Henricum Anglum Henrici V. Patruum, & filium Ioannis Comitis Lancasttiæ, eíque committit Germaniam, Bohæmiam, & Hungariam. Henricus autem iste cognomento *Diues*, primò cum Hunfrido Duce Glocesttiæ, & Regis Henrici Rectore altercatus est, quòd sine Regis facultate, & non petitus ab eo venisset in Angliam: sed demùm hæc composita est contentio. Pertexit in Germaniam Legatus Henricus, iunctúsque Catholicis tres exercitus in armis vidit, qui satis erant ad euertendum totam Bohemiam. Verum cùm vrbem Misnam obsedissent, audito aduentu Hussitarum cum copiis raptim collectis, omnes hi Catholici turpiter fugerunt, nequicquam illos retinente Cardinali, qui demùm turpissimæ huius fugæ comes esse compulsus est, *Æneas Syluius, Monstreletus, Polydorus, Harpsfeldius, Michouius*. Tandem receptus est Valentiæ Cardinalis Fuxius Legatus, 23. Augusti, à Rege Alphonso ipsi obuiam extra ciuitatem eunte, aperto capite, cum ille Galero tectus esset. Sed cùm die sequenti Legatus affixisset quo tempore ius dicturus esset, id prohibuit Rex edicto suo; Cardinalis tamen ita eum emolliit verbis, vt tandem reconciliarentur, & tam Legatus, quàm Rex postulata scripsere quæ ad Pontificem Legatus pertulit, *Quæ apud Spondanum, & Odericum legere potes, & in Actis Legationis Cardinalis Fuxij*. In Catalania

terræ motu nobile Monasterium corruit in Diœcesi Gerundensi, vnà cum 500. vicinis domibus, *Chronicon authoris Burdegalensis*; addit *Magnum Chronicon Belgicum*, eo terræ motu 20. ciuitates subuersas esse (benè suspicatur Spondanus hoc anno num. IX. pagos) & prætereà ex quadam terra exiisse vrsum quem sequebantur innumeri serpentes, qui vrbes & villas ingressi plurimos mortales enecarunt. Castella turbata est quòd Rex Ioannes Aluarum de Luna nepotem Benedicti XIII. nimis amaret; qui semel ab Aula pulsus, restituendus fuit, quòd Rex ab eo tempore quo abesset semper tristi vultu incederet, *Garibaius, & Rodericus Sanctius*. Rex Cyprius Sultani captiuus 200. millibus Ducatorum se redemit, & promissis 5. millibus tributi nomine. Ei detracta vincula in festo B. Virginis Assumptæ: in fide Christo seruanda constantissimus rediit anno sequenti in regnum, *Monstreletus*.

Anno Christi MCCCCXXVIII. Res Aragonica terminari hoc anno non potuit, sed propositiones & responsiones vltrò, citróque missæ excussæ sunt. Hoc item anno magna pestis sæuiit ex aëris intemperie: hyems enim expers frigoris fuit, adeò vt arbores floruerint, & quibusdam in locis fructus fuerint vere intempestiui: æstate autem à Iunio ad Decembrem ne quidem imbris gutta defluxit, vberrimi etiam fontes exaruerunt, *Acta Legationis Cardinalis Fuxij*. Bellum etiam hoc anno inter Philippum Mediolanensem, Florentinos, ac Venetos continuatum, nequicquam Pontifice, vt id impediret, laborante. Bononienses prætereà defecerunt à Pontifice, quare in eos immissus à Martino exercitus, iidémque interdicto suppositi, cuius litteras Bononiam intulit etiam in pertica Conradinus Bonartus Brixiensis Dominicanus, ideò datus in carcerem, semel & iterùm, & quia mortis subeundæ auidus etiam videbatur, liber dimissus, *S. Antoninus, Poggius, Blondus, Corius, Leander de viris Illustribus Ordinis Prædicatorum*. Sigismundus Imperator aduersus Turcos ducens exercitum, antequam videret hostem tumultuosè recessit, ac se in Transyluaniam recepit, multis relictis, quos nauigia capere non potuerant, in potestate Ottomanorum. Inter eos Zauissius Niger Præfectus Scepusiensis, inuitatus vt transiret,

fluuium, misso ab Imperatore lembo, mori cum sociis maluit, sed non inultus, *Cromerus. Thurosius* tamen *&* *Krantzius*, scribunt antequam ita fugeret multas clades Turcis intulisse, Duce quodam Pipo seu Philippo Florentino, cuius etiam meminit *Bonfinius*.

Anno Christi MCCCCXXIX. postquàm Alphonsus Arragonius à reditu Legati Româ, difficiliorem se præbuit expeditionem suscepturus in Castellam; repentè, quasi diuinitus mutatus petitionibus Legati acquieuit, eique de susceptis laboribus in hoc negotio gratias egit, eúmque medium inter se & fratrem ad Ecclesiam deduxit, acceptâque eius benedictione ad bellum, leuissima de causa susceptum, perrexit, *Acta Legationis Fuxij, & Mariana*. Sequenti die promulgata reuocatio Decretorum Regiorum; quare die S. Annæ 26. Iulij Ægidius, qui se Clementem VIII. dicebat, deposuit Papalia ornamenta, & renunciationis ad Pontificatum publicum instrumentum fieri curauit; rogauítque Cardinales suos vt quem vellent Papam eligerent. Hi ergo, duobus pertinacibus in carcere clausis, elegerunt, quantum in eis esset, Odonem de Columna, Martinum V. Exinde dimisêre Cardinalatum, sicut & duo detenti in carcere: Legatus Paniscolam Regi Aragonum dimisit; sic extinctum penitus Schisma vnius & 50. annorum minùs 56. diebus à 21. Sept. 1378. ad 26. Iulij 1429. posteà Pseudo-Pontifex Ægidius, qui se Clementem VIII. dixerat, factus est Episcopus Maioriensis, ita statuente Martino V. Sic Legatus celebrauit Concilium Dertonense *Tortose*, 19. Sept. ad emendandos abusus, qui in has Prouincias irrepserant, *Acta Legationis Cardinalis Fuxij per Bernardum de Rosergio Cancellarium Academiæ Tholosanæ*. Martinus Pontifex permiserat Henrico Legato Cardinali, vt Cruce-signatas copias, auro Ecclesiastico comparatas, in Hussitas Bohæmos deduceret; quas tamen Angli in Gallos Catholicos conuerterunt, *Martini Epistolæ ad Regem Galliæ, & Henricum Legatum. Carolus VII. tum obsessis Aureliis, victisque Francis atque Scotis, ad Roboretum S. Dionysij in Belsia prælio quod* Halecum dictum est, in quo 500. *Carros Piscibus onustos, & cibis Quadragesimalibus Angli interceperant, desertúsque à Britonibus, & Philippo Burgundo, ad extrema redactus, seriò Diuini*

numinis implorauit opem, & Beatissimæ Virginis, quæ ei statim adfuit. Misit enim in eius auxilium puellam Ioannam Darcam ex pago Dom-Remigio ad Mosam Diœcesis Tullensis, rusticis sed probis parentibus ortam, quæ anno ætatis suæ 18. pascens oues monita est sæpiùs à S. Michaële, seu Angelo, augustiore viri formâ, vt obsidionem Aurelianensem solueret, & Remos deduceret Regem sacrâ ampullâ liniendum. Adiit hæc primò Robertum Baudricurtium Vallis-Coloris oppidi præfectum Caroli, à quo primùm derisa est: sed cùm vidisset eam cladem Halecum eâdem ipsâ die didicisse, & aliunde audiret prudentissimè loquentem, misit eam ad Regem Caïnonem exeunte Februario, vbi eum inter Aulicos latentem agnouit; ei secreta aperuit; gladium Liliatum, & 5. Crucibus signatum, rubiginosum anathema, in Ecclesia S. Catharinæ de Fera-Silua, de Fierbois, *sibi afferri iussit, quo instructa, equo insidens, & vexillum præferens insignitum nominibus* IESV & MARIÆ, *cum Crucifixo & Annunciatione, obsidionem Aureliarum soluit, inducto commeatu 29. Aprilis: postridie Ascensionis 6. Maij Anglos aggressa intra biduum ex arcibus, quibus vrbem sepserant deiicit, & vulnerata licèt, plagâ illigatâ pugnare perrexit; tandémque die* 8. *Maij, die S. Michaëlis magnâ gratulatione & pompâ Aurelijs recepta, cui & in ponte posita statua ærea, perpetuum eius virtutis monimentum. His gestis ad Pataium Belsiæ Talbotum Anglorum Ducem profligauit, Rhemos Regem deduxit, vbi illum sacro oleo inungi curauit, 17. Iulij. Inde Parisios Regem deduxit, quam tamen vrbem frustrà obsedit, in eius oppugnatione vulnerata, ob quæ præclara facinora mense Decembri, tota eius familia nobilis declarata, Fratres eius deinceps dicti* de Lilio, *Stemmate illustri decorati sunt*, Ioannes Hordal Lotharingus in vita huius puellæ, Vasburgensis, Forcatulus, Bergomensis, Meyerus, Polydorus, Saussëius in Historia Ecclesiæ Aurelianensis, & alij. Crucigeri milites Liuonienses, Ordinis B. Mariæ, in Clericos missos ad Pontificem ab Archiep. Synodo Rigensi crudeliter sæuiunt, quos tamen Cruciferos Sigismundus fouebat, ideò hostis Wadislao, contra quem & Witondum patruelem concitauit, hominem crudelem & ferum, & verè Tyrannum in Lithuania, cui Dux præerat, *Krantzius, Michouius, Cromerus, Æneas Syluius.* Hussitæ Silesiam, Hungariam, Poloniam, & Austriam, cum multis cædibus & sacrilegis expilant, & Catholicos

crudeliter excipiunt, *Krantzius, Cochlæus. Hoc anno mortuus est 12. Iulij, ætatis suæ 66. Ioannes Gerson sic dictus à pago, cum Carlier suo nomine diceretur, cuius in pariculo sepulcrali scripta sunt hæc verba*, pœnitemini, & credite Euangelio, *quibus inter-concionandum sæpè vtebatur. Mortuus autem est Lugduni, quò discesserat post* Concilium *Constantiense, & obierat aliquas Germaniæ Prouincias, exosus Lutetiam tum per Anglos, & Burgundos laceratam, & vt viueret cum fratre suo Ioanne Cælestino; vnde natus error credentium, eum fuisse Cælestinum. Dicitur post obitum claruisse miraculis, & Sanctis annumerandum, nisi summis Pontificibus in Concilio Constantiensi paulò fuisset iniquior*, Trithemius, Vita præfixa eius operibus, Litteræ Collegij Canonicorum Ecclesiæ Lugdunensis ad Episcopum Basileensem datæ anno 1504.

Anno Christi MCCCCXXX. *Philippus Burgundus bellum infert Carolo pro Anglis, & Compendium obsidet. In eam vrbem vi & dolo ingreditur Ioanna puella; vnde erumpit sequenti die in hostem, & post pugnam diuturnam, suos reducens, & in postremo agmine pugnans, apprehensa à robusto equite turmæ Ioannis Lucemburgij, equo deiecta est, vel ab ipso suo equo detracta, in manus hostium venit 24. Maij, pridie Ascensionis; ac vendita Anglis à Burgundo, Rothomagum ab eis deducta est*, Ioannes Hordal, & alij anno superiore citati. *Philippus Burgundus die 10. Ianuarij tertiam ducens vxorem Elizabetham filiam Ioannis Regis Lusitaniæ Brugis in Flandria, in honorem B. Virginis & S. Andreæ erigit equestrem Ordinem*, Velletis Aurei. *Sic dictum volunt vel à Vellere Argonautarum vel à Vellere Gedeonis, vel ab lanis quibus eius regio abundabat*, Diploma eius erectionis apud Belleforestium, Meyerum, & Beenterum, *Erant tantum Equites numero 30. sed numerum auxit Carolus V. ad 50. qui Ordo transiit in Hispaniam.* Reformati sunt hoc anno Conuentuales Sancti Francisci iussu Martini, misso ad Capitulum Generale Asissium Legato à latere, *Bulla Martini V.* Vulneratus est hoc anno Franciscus Conrarenus Dux Venetiarum, dum audit Sacrum in æde sancti Marci ab Andrea Contareno pugione cupressino, quòd ei denegata esset præfectura maris in Comitiis, & eum interemisset nisi Orator Senensium ictum detorsisset. Percussori capto eodem loco truncata manus, & eâ ex collo suspensâ, ipse

ex ſuperiori parte curiæ pependit, laqueo eliſis faucibus, *Sabellicus, Iuſtinianus. Donatus Boſſius*, in ſuo Chronico Ducem fuiſſe necatum perperam aſſerit. Hoc anno Witoldus Dux Lithuaniæ aliter dictus Alexander, obiit 27. Octob. octogenarius, *Michouius, Cromerus.*

Anno Chriſti MCCCCXXXI. *Puella Aurelianenſis Ioanna vendita, & Rothomagum deducta, damnatur ad flammas per Petrum Cauchonium Epiſcopum Bellouacenſem, Anglis, & Burgundo addictiſſimum, pro ea hiſcere auſo nemine. Obiecta ſunt illi magia, Hæreſis, incontinentia; addita & veſtis mutatio; ſed hoc crimem reiectum. Itaque* 30. *Maij publicè in Veteri Foro viua cremata eſt, eius cineres in Sequanam proiecti, excepto tamen corde, quod nunquam comburi potuit*, Ioannes Hordal, & omnium pænè gentium Scriptores. Martinus Pontifex Iulianum Cæſarinum Legatum à Latere creat contra Huſſitas XI. Ianuarij edito diplomate, quod Norimbergæ promulgatum eſt 21. Martij; cùm in eadem vrbe Sigiſmundus Comitia Imperij habuiſſet, in quibus decretum erat, ſubeundam à Catholicis Bohæmiam ad feſtum S. Ioan. Baptiſtæ, ad opprimendos Huſſitas, qui intereà Sileſiam & Morauiam dire vexauerunt, nulli ſexui, nulli loco parcentes, *Cochlæus, Krantzius.* Idem Pontifex eumdem Cæſarinum Legatum ſuum conſtituit ad celebrandum Concilium Baſileenſe, *Conſtitutio Martini V.* 1. Febr. Verùm hunc magno animo reſtitutionem Diſciplinæ Eccleſiaſticæ conantem inducere mors oppreſſit: Obiit enim ex Apoplexia 20. eiuſdem menſis (quo die Solis Eclipſis contigit) anno vitæ 63. ſedis 13. menſe 3. die 12. vir Pontificatu, & longiore vitâ digniſſimus, quidquid contra eum garriant Hæretici, ex falſo teſtimonio *Angeli de Clauaſio in ſua Summa quaſi ex Sancto Antonino*, quaſi alicui permiſerit ſororem ſuam vxorem ducere; quod eſſe falſiſſimum ex S. Antonini loco conuincitur, *S. Antoninus, Platina, & alij.* Kalendis Martij ingreſſi Conclaue 14. Cardinales 3 eiuſdem menſis elegerunt Gabrielem Condulmerium Venetum, qui die XI. eiuſdem menſis coronatus Eugenij IV. nomen accepit annos natus duodequinquaginta, vir & animo, & corpore magnus, multíſque virtutibus illuſtris, *S. Antoninus, Onuphrius, Platina, &c.* Romæ tum ſeditio concitata per Columnen-

ses, diripere volentes Thesaurum Martini V. quando & grauiter ægrotauit Eugenius vel ex paralysi, vel ex veneno. Certè tum Masius quidam Minorita mortem eius meditatus, & proditionem Castri S. Angeli & alia crimina, morte multatus est, & quadrifariam sectus, *S. Antoninus, Author Chronici Burdegalensis, aut eius continuator, Bergomensis, Platina, Blondus, & alij.* Eodem tempore Thomas de Britannia, aliter Thomas Conectus Carmelita maximus concionator, postquàm multos reuocasset ad meliorem frugem in Gallia, Longobardia & Veneta ditione, hæresis conuictus, & relapsus igne crematus est viuus Romæ, *S. Antoninus, & Monstreletus;* quem tamen *Baptista Mantuanus* innocentem fuisse putat, & combustum quòd liberiùs vitia reprehenderet. Tunc ingressus est Iulianus in Bohæmiam cum exercitu Catholico equitum quadraginta millium, quibus præerat Fridericus Marchio Brandeburgensis, ac principio igne ferróque in Hussitarum ditionem sæuitum, nulli ætati parcitum: sed cùm occurrissent Hussitæ vel ex proditione, vel ex Panico terrore tantus fugit exercitus, relictis impedimentis, quando & capta Iuliani Crux. Feliciùs Albertus Austriæ Dux Morauiam ingressus eam suæ ditioni subiunxit, & promittere coëgit, se Concilij Basileensis decisionibus acquieturam; *Cochlæus* turpis fugæ causam in Iulianum, vt Ecclesiasticum reiecit, ipse *Iulianus epistolâ ad Eugenium* in Principes Germanos non satis concordes, & præesse, non parere volentes, & præter hunc *Æneas Syluius, Michouius, & alij.* Inchoatum est Concilium BASILEENSE 4. Martij sed 23. Iulij cùm missi à Iuliano Palomar & Ragusius eò appulissent 19. eiusdem mensis die Iouis. 15. Octobris scripta est Epistola nomine Concilij ad Hussitas. Hoc Concilium dissoluere conatus est Eugenius, & Bononiam transferre, multis de causis, quæ *in Actis Concilij* referuntur, & maximè ob Dominicum Capraniram Cardinalem cui ab Epistolis erat Æneas Syluius: nihilominùs Iulianus Legatus, consentiente Sigismundo hîc Prælatos consistere voluit, & primam sessionem 14. Decembris aperuit, & Concilium in hac vrbe stabiliuit, *Acta Concilij Basileensis, seruata in Bibliotheca Regia Parisijs, & collecta ab Augustino Patritio, tum Canonico Senensi, posteà Episcopo Pientino.* Sigismundus

mundus 25. Nouembris coronam ferream accepit Mediolani, cui non interfuit Philippus Mediolanensis Dux simulans morbum pleuritidis, hostis Sigismundi, *Corius*. Henricus VI. Parisios venit, vbi Rex Franciæ coronatur ab Henrico Cardinali Vintoniense (de Wencester) qui non minùs in Gallia infelix fuit, quàm in Bohæmia: captæ enim à Ducibus Caroli VII. multæ vrbes, cæsi sæpè hostes sed victoriis cruentis; vnde relictâ agriculturâ, tota Francia desolata est, *Monstreletus, & alij Historiæ Francicæ, & Anglicæ Scriptores*. 1. Die Iulij, Castellani nobilem de Mauris Granatensibus retulere victoriam in loco *à Ficu* dicto; & Granata capi poterat, nisi proditio Aluari de Luna auro Saracenico corrupti impediisset, hic enim pro summa quâ valebat in Regem authoritate, eum reuocauit, *Mariana*. In Scotia Iacobus Rex in Comitiis egit de resecando luxu, adnitente potissimùm Henrico S. Andreæ Episcopo, quem eò Angli inuexerant, *Hector Boëthius, Buchananus*. Lithuani incantationibus suis munitionem defendunt, & horrendo Poloni mactati sacrificio, quod curarunt Iudæi quidam præstigiatores: soluta tamen obsidio indulgentiâ Wladislai Regis Poloniæ in gratiam Suitrigelonis Ducis Lithuaniæ, quam ob causam ab Episcopis, & maximè à Sbigneo Episcopo Cracouiensi grauiter increpitus est, *Cromerus*. Amurathes Thessalonicam hoc anno mense Aprili occupauit, venditam Venetis à Græcis: quare, Veneti in Turcos expeditionem susceperunt, variis illatis, acceptísque cladibus, *Phranzes, Chalcondyles, Historiæ Venetæ Scriptores*. Exinde Amurathes omnem cis Isthmum Corinthi regionem celeriter occupauit. Quare Ioannes Castriotus, qui regnabat in Albania seu Epiro superiori, huic Croiam Metropolim suam dedere coactus est, & obsides filios, & inter eos Georgium Castriotum natorum minimum, qui robore corporis, & animi fortitudine præstans, dictus est à Turcis *Scanderbegus*, id est, *Alexander*, cùm multa bella in Asia pro iis fortiter confecisset, *Martinus Bardetius Sacerdos Scodrensis in vita Georgij Castrioti seu Scanderbegi*.

Anno Christi MCCCCXXXII. Bohæmi Hussitæ statuunt venire ad Concilium Basileense, modò eis fides publica detur; quod eis promissum à Sigismundo, Princi-

pibus Germaniæ ipſóque Concilio, *Acta Concilij.* Sigiſmundus Imperator admonet Eugenium, ne diſſoluat Concilium Baſileenſe; quod & præſtat Rex Angliæ, ſed vehementiùs Iulianus Cardinalis Legatus. Patres item Concilij ſcribunt litteras ad omnes Chriſtianos 21. Ianuarij, vt Præſules veniant Baſileam, nec impediantur Diplomate Eugenij, quod id diſſoluerat. Galli diſtracti Epiſtolâ PP. Concilij qui Baſileæ Concilium retinebant, & Eugenij Diplomate qui Epiſcopos Bononiam euocabat, die 26. Febr. Biturigas conuenientes, rogant Eugenium vt Concilium Baſileæ retineatur, & abſoluatur. Seſſio II. habita die Veneris 15. Februarij, in qua comprobatum Concilium, & declaratum legitimè congregatum authoritatem à Chriſto immediatam habere. Seſſione III. 29. Aprilis rogantur Eugenius & Cardinales intereſſe Concilio; Monetúrque iterum Pontifex à Iuliano, de continuando Concilio. Seſſio IV. 20. Iunij datur ſaluus-conductus Huſſitis, confirmandus à Sigiſmundo; ægrotante Eugenio vetantur alium Pontificem eligere niſi in Synodo Cardinales; & ipſe Eugenius eligere Cardinales tempore Concilij: inſuper Sigillum cuditur cum Spiritu Sancto ab vna parte, ab altera *Sacroſancta Generalis Synodus* Baſileenſis: denique creatur à Concilio Aluares Cariglius Vicarius Auenionenſis. Quibus omnibus multùm authoritatis derogabatur Eugenio. Seſſione V. 9. Aprilis auditi miſſi ab Eugenio, iiſque reſpondetur. Seſſione VI. 6. Sept. accuſatur Eugenius vt contumax. Seſſione VII. 6. Nouemb. multa decernuntur in Eugenium, & Sigiſmundus fauet Synodo litteris datis Senis 22. eiuſdem menſis.

Ioannes Caracciolus de Principatu Salernitano paſſus repulſam, contumelioſis verbis reſpondet Ioanettæ, aut vt quidam volunt, ei colaphum infringit; ideò cæſus 17. Auguſti conſpiratione Cobellæ Rufæ, Duciſſæ Seſtæ, quæ poſteà turbauit Ludouicum Andegauenſem, in Alphonſum Aragonium propenſior, *Summontius, Mariana.* Sbigneus Cracouienſis Epiſcopus nunquam adduci potuit vt Huſſitas vrbe ſuâ reciperet, &c. cùm recepti eſſent Cracouiâ, huic ſacris interdixit: vnde queſti Legati Huſſitarum, Rexque Ladiſlaüs eum acriter increpuit, ſed illi reſpondit

Episcopus, verè Christianâ constantiâ; neque Rex ei nocere voluit, quanquam id destinasset, *Cromerus*. Legati Cypri Regis per Danubium fl. veniunt in Walachiam, inde in Poloniam ad Wladislaum petentes eius filiam filio Iani Regis Cypri, & vt ab eo 200. aureorum millia mutuarentur, vt Sultano fieret satis: sed vtrumque negatum, quod Heduuigis Regina paulò antè obiisset, & Rex pecuniis careret, insumptis in varia bella, *Cromerus*, *Michouius*. Circa hæc tempora obiit Ianus, vel Ioannes Rex Cypri: successit ei filius Ioannes, *Lusinianus in Cypri Historia*, & *Æneas Syluius*, sed *Bergomensis* Ioannem Iacobum appellat *libro* 15. Eugenius mitigat Ordinem Carmelitarum, *Constitutio* 3. *Eugenij* 15. *Kal. Martij*. Confirmauit & reformationem Ordinis Sancti Benedicti, & Congregationem S. Iustinæ Paduanæ, *Constitutio* 9. & 10. *Eugenij IV*.

Anno Christi MCCCCXXXIII. 4. Ianuarij Legati Bohemorum cum 300. equitibus, Basileæ recepti sunt, inter quos eminebant Guillelmus Cosca, Procopius, quia Presbyter fuerat, dictus Rasus, Ioannes Rockisana, & alij. Nonâ eiusdem mensis in Concilio comparuerunt, & à 16. Ianuarij, ad 6. Martij in audiendo, respondendo, ac disputando de 4. Articulis consumpti sunt dies. Sed cùm Catholici cum Bohemis conuenire non possent, statutum communi consensu mittendam Legationem Pragam ex viris doctissimis, quod & factum. Sessione IX. 22. Ianuarij, Sigismundus Imp. suscipitur sub protectione Concilij contra Eugenium, ne anathematis subiaceret, iisque terreretur. Interim Eugenius veritus Schisma confirmat Concilium 14. Februarij, & imponit Coronam Sigismundo 31. Maij die Pentecostes, qui Romam ingressus erat 2. eiusdem mensis die Ascensionis. Ecclipsis Solis contigit 17. Iunij anno Hegiræ 836. die 28. mensis *Schaual*. Sessione X. 19. Februarij nihilominus accusata Eugenij contumacia, & XI. 27. Aprilis reiecti missi ab Eugenio. Exinde loca Oratoribus Principum assignata, quæ vide apud Spondanum hoc anno num. XIII. sed non sine controuersia inter Burgundum, & Electores Imperij, & inter Ducem Armoricæ, eundémque Burgundum. Legati Concilij ad Bohæmos, magnificè suscepti, iis propositi 4. articuli, qui à Concilio

correcti, remissi sunt, & facta Bohæmis potestas communicandi sub vtraque specie, si reliquis articulis assentirentur: inde factum instrumentum, quod Bohæmi dixêre *Compactata*. Intereà diuisio enata inter Barones ac nobiles, & populum, quòd illi à Ducibus Thaboritarum, & Orphanorum opprimi viderentur, electúsque Capitaneus Alsio Risemburgensis suadente Mainardo. Quibus auditis Procopius Orphanos & Thaboritas inuitat ad Pilznam vrbem Catholicorum obsidendam, quæ toto pænè anno oppugnata, tandem liberata est, *Æneas Syluius, & Cochlæus*. Sessione XII. 13. Iulij decretum editum aduersus Eugenium, Cardinales, cæterósque ipsi adhærentes, quòd Pontifex 13. Septembris irritum esse pronunciauit. Sessione XIII. vndecimo Sept. prorogatur tempus datum Eugenio triginta diebus, quo expleto cùm parati essent Patres ad ferendam in eum sententiam, nunciato Sigismundi aduentu dilatum negotium in octo dies. Ingressus ergo Imperator Basileam XI. Octobris, & Sessio XIV. 7. Nouembris eo præsente in habitu Imperiali habita est; in qua eo petente adhuc 90. dies Eugenio concessi. Intra quod tempus missi ad eum Imperatoris Oratores, Caroli VII. Regis Franciæ, Philippi Burgundi, per quos permotus Eugenius, & sibi metuens à Principibus, & maximè à Philippo Duce Mediolanensi ipsi irato, agnouit legitimum hoc Concilium, modò vt reuocarentur, quæ contra ipsum eiúsque fautores decreta essent, *Acta huius Concilij in Regia Parisina Bibliotheca*. Sigismundus hoc anno Romà rediens Io. Franciscum Gonzagam Marchionem Mantuæ creauit, *Blondus, S. Antoninus, Platina*. Franciscus Carmaniola Dux maximus, qui Philippo Mediolanensi relicto propter aliquam offensionem ad Venetos transierat, eísque egregiam nauarat operam, proditionis insimulatus addictus est neci à Senatu; & quamquam octo ipsis mensibus eius supplicium dilatum esset, dum in expeditione versaretur, nihil de hac sententia ipsi innotuit, licèt multos haberet amicos, & familiares, ex 200. Senatoribus qui iudicio interfuerunt, itaque euocatus Venetias securi percussus est, *S. Antoninus, Blondus, Bergomensis, & Historici Veneti*. Obiit hoc anno S. Lyduuina seu Lyduuidis Virgo sanctissima qui toto vitæ tempore inter

plagas, & vulnera vixerat, & perpetuò languens; annos ipſos duodetriginta ſolo Chriſti corpore refecta in oppido Schiedamo Hollandiæ, multis miraculis in vita, & poſt obitum illuſtris, cuius exequias tota Hollandia, multíque ex Zelandia, & Brabantia cohoneſtarunt, *Appendix magni Chronici Belgici, & vita eius apud Surium* 14. *Aprilis.* Hoc anno inita eſt pax operâ Nicolai Marchionis Eſtenſis 26. Aprilis inter Philippum Mediolanenſem, Venetos, Florentinos, Senenſes, Lucenſes eorúmque fautores, haud tamen diuturna, *Poggius, Blondus, Platina*, &c. *Eugenius miſit ad Philippum Burgundum hoſtiam multis ictibus à Iudæo perfoſſam, & cruentam, quæ in ſacrario Pontificio ſeruabatur, quæ hactenus Diuione ſeruatur religioſè*, Litteræ Eugenij Romæ 27. Sept. & alij Scriptores Galli. Obiit 11. Auguſti Ioannes Rex Luſitaniæ Olyſippone annos natus ſeptuaginta ſex, cum menſibus 4. & diebus 9. cùm regnaſſet annis 48. menſibus 4. diebus 9. dictus à ſuis *Rex bonæ memoriæ*, rebus domi foríſque geſtis clariſſimus. Succeſſit ei primogenitus Eduardus annos natus 42. cuius filio Alphonſo, apud Luſitanos primò inditum eſt *Principis* nomen, *Mariana, Nonius.* Mortuus item Wulpho Ordinis Vaſtanenſis S. Birgittæ, qui Vitam S. Catharinæ eius filiæ ſcripſit. Hic iuuenis naufragium paſſus, in tabula 40. diebus fluctuauit, donec emiſſo voto Religionis, à piſcatore Dano ſubductus eſt. Vixit religioſus annis 16. nunquam in lecto iacuit, ſed in ſedili neceſſarium ſomnum cepit, cui Deus multa dicitur reuelaſſe, *Vaſtonius in Vite Aquilonia Sanctorum Gothorum.* Captus eſt in mari Balthico ſupra Poloniam Piſcis Epiſcopi referens formam cum mitra & pedo, & veſtibus Præſulis Miſſam celebraturi, cuius Caſula leuabatur facilè antè & retrò. Honorem reddebat Epiſcopis, permittebátque ſe ab eis tractari. Reductus ad mare rogatu Epiſcoporum, & medius inter duos cum ad vmbilicum aquam ingreſſus eſſet, adſtantes Cruce factâ benedicens diſparuit, *Author magni Chronici Belgici*; quod tamen meritò vt fabula vulgò contemnitur.

Anno Chriſti MCCCCXXXIV. Seſſione XVI. 5. Februarij lectæ litteræ Eugenij approbantis Concilium, reuocantis eius diſſolutionem, eiúſque Legari incorporari Concilio ſub priuatis nominibus, priùs aliqua iurare com-

pulsi. Sessione XVII. 26. Maij permissum vt 4. Legati Eugenij præessent cum Iuliano Cardinali, sed absque iurisdictione coactiua. Sessione XVIII. 26. Iunij confirmatum Concilij Constantiensis Decretum, *de Concilij supra Papam authoritate*, quando & Ioannes Patriarcha Antiochenus obtulit Librum Synodo, quo id probare nitebatur. Paulò pòst Eugenius Florentiâ dedit beneuolas alias ad Patres Basileenses litteras: coactus enim fuerat exire ex vrbe, cùm eum Romani capere, ac retinere decreuissent, sollicitati ab amicis Philippi Mediolanensis: Quare fugere compulsus est in habitu Monachi, & vix effugit necem, eum Romanis insequentibus, & sagittas in eius cymbam mittentibus, cum multis contumeliis, *S. Antoninus*, *Blondus*. Sessione XIX. 7. Sept. actum de reconciliatione Græcorum, cum Ecclesia Latina, exemplo Bohemorum, & de Iudæis conuertendis, *Acta Concilij Parisina Bibliotheca Regiæ*. Nobiles Bohæmi Duce Alsione iuncti Catholicis Hussitas inuadunt Dominicâ post festum Corporis Christi, & magna cæde profligant, deletis magna ex parte Thaboritis, & Orphanis: Quorum & multa millia stratagemate Maynardi, viui combusti sunt: iis enim obtulit ad bellum aliud magnum stipendium; qui statim accurrerunt, inclusíque horreis cremati sunt. Sic susceptus ab omnibus Sigismundus Rex Bohæmiæ, *Æneas Syluius*, *Cochlæus*, *Krantzius*, *Dubrauius*. Erricus Rex Regnorum Borealium petit à Synodo approbari Reuelationes Sanctæ Birgittæ, quod & factum. Turbatus est hoc anno idem Rex Erricus populorum defectione, & maximè Suecorum attritorum vectigalibus, quos ad rebellandum incitauit Engelbertus quidam, motus tantùm eorum miseriis, & qui ex Suecia Danos omnes expulit; cæsus tamen odio aut æmulatione cuiusdam post biennium magno Suecorum dolore, *Ioannes Magnus*, *Krantzius*. Amedeus primus Dux Sabaudiæ, Salomon à Gallis, & Italis habitus, relictâ ditione suâ, liberis Ludouico & Philippo, cum sex aliis proceribus senibus, & viduis fit Eremita vestitus penulâ talari ex panno rudi, & cineritio, & pallio, cum cingulo lato, & baculo; structo amplo Cœnobio Ripalliæ ad lacum Lemanum prope Tononium, nullum signum retinens nobilitatis præter Crucem auream ex collo pendentem.

Erexit etiam Ordinem S. Mauritij, *Æneas Syluius in rerum suarum Commentariis sub nomine Ioannis Gobelini sui Amanuensis, & author Amedæi Pacifici.* Obiit hoc anno Rex Poloniæ Wladislaüs, seu Ladislaüs, olim Iagello dictus, octogenarius 31. Maij, anno regni 49. qui nunquam vinum bibit, hospitalis, facilis, adeò liberalis vt à Martino V. fuerit increpandus, qui meritò Lithuaniæ, & Samogitiæ dici potuit Apostolus: præcessit eius obitum lucidus Cometes totâ nocte & mensibus totis tribus. Successit ei filius etiam dictus Wladislaüs, maximè operâ & constantiâ Sbignei Cracouiensis Episcopi aduersus quosdam regnum ambientes, quibus hic restitit eâdem virtute, quâ Patri eius aliàs non iusta molienti, obstiterat: Coronatúsque est adhuc impubes ab Arch. Gnesnensi Cracouiæ 25. Iulij, *Michouius, Cromerus. Mortuus quoque 15. Nouembris Cosentiæ in Calabria Lud. Andegauensis adoptatus à Ioannetta Regina Siciliæ ex nimio labore militari, Sole feruente, cuius mortem & totum regnum, & maximè Regina defleuit, tunc agnitum cùm sublatus fuit*, Summontius & alij. Contigerunt & hoc anno multa portenta quæ *Spondanus ex Trithemio, Krantzio*, & aliis collegit, *numero* XVII. *& vltimo.*

Anno Christi MCCCCXXXV. Sessione XX. Febr. die XI. noua Legatio Missa est ad Bohæmos Hussitas ad eos planè reducendos, in quâ multum temporis consumptum, & tandem post multas tergiuersationes, multos itus & reditus nihil est hoc anno confectum. Sessione XXI. 9. Iunij, prohibetur ne quid persoluatur pro electionibus Beneficiorum; item tolluntur Annatæ, denique actum de euocationibus. De Annatis acriter disputatum, de quibus vide quæ habet Spondanus ad hunc annum num. XV. Sessione XXII. 15. Octobris damnatus liber Augustini de Roma Eremitæ Augustiniani, & Arch. Nazareni, *de Christo, & Ecclesia.* Actum & de causa Ludouici Aquileiensis, & Venetorum, quando hi minùs acquieuerunt sententiæ huius Concilij. Mortua est hoc anno Ioannetta Regina Siciliæ, 2. Februarij annum agens 65. regni sui anno 20. cum dimidio, in B. Virginem optimè affecta, quam matrem appellabat suam, vili sepulturâ condita, vti iusserat ob vitam suam luxuriosam. *Reliquit hæredem testamento suo*

Renatum Andegauensem Ducem fratrem Ludouici defuncti. Is cùm captiuus detineretur à Duce Burgundo misit illi vxorem suam Isabellam cum duobus filiis Ludouico, & Ioanne, quæ 18. *Octobris vti Regina magnificè Neapoli suscepta est.* Intereà Alphonsus Aragonius euocatus à fautoribus suis ex Sicilia, vbi agebat intentus in regnum Neapolitanum, Capuam occupauit, obsedit Caietam; sed hic victus à Genuensibus ad Pontiam Insulam 5. Augusti longo certamine, captus cum suis, à Blasio Assareto, ductus est ad Philippum Ducem, Mediolanum. Receptus est tamen à Duce vti victor, & statim liber dimissus. Quare Genuenses Philippi Ducis iugum excusserunt; cæso gubernatore suo, authore Francisco Spinolâ, qui Caietam generosè defendebat. Petrus autem Alphonsi frater qui ex prælio ad Pontificem fugerat, Caietam intercepit, in quam se contulit Alphonsus, deinceps felicior futurus, *Corius, Mariana, Collenutius, Summontius, Surita, Sabellicus, Blondus, & alij.* Bartholomæus Episcopus Nouariensis Orator Ducis Mediolanensis degens Florentiæ egit cum præcipuo Ductore copiarum Mediolanensium, vt Eugenium, æstate recreantem se in amœnioribus locis vicinis, interciperet. Sed re per Cardinalem patefactâ, Episcopo parcitum in gratiam eiusdem Cardinalis, qui in Galliam proficiscens, eum reduxit ad Ducem suum, qui tum inscius victoriæ ad Pontiam pacem iniit cum Eugenio, Florentinis, & Venetis, ei per Franciscum Sfortiam repugnantibus. Pax autem hæc facta initio Augusti per Nicolaum Estensem Marchionem, Ferrariæ Dominum, *S. Antoninus, Blondus, & alij. Hoc anno celebratus est Conuentus ipse nobilis Atrebatensis Kalendis Iulij pro reconciliandis inter se Francis, Anglis, & Burgundo, cui interfuerunt præter Oratores vtriusque partis Cardinales ab Eugenio, & Concilio missi, inter quos excellebat Cardinalis S. Crucis Nicolaus Albergatus, qui egregiam hîc nauauit operam. Cùm Angli obstinatius resisterent, reconciliatus est Carolo VII. Burgundus satis grauibus conditionibus à Carolo, nempe improbatâ Ioannis cæde, condito Carthusianorum Cœnobio ad sepulturam cæsi, redditis vrbibus Matiscone, Autissiodoro & Baro cùm territoriis, denique oppigneratis* 4. *vrbibus ad Summonam pro* 400. *Aureorum millibus,* Oliuarius Marchanus, Monstreletus, Meyerus, Æneas Syluius, & alij. *Hoc audito fœdere*

dere Angli Legatos Burgundi cum multis conuitiis remisêre, eum fœdifragum, & periurum appellantes; licèt ab Eugenij, & Concilij Legatis absolutus esset. Tum autem magno Anglorum damno obiit Dux Bethfortius patruus Regis, & Franciæ Vicarius: Item & 30. Sept. Isabella Franciæ Regina, in ordinem ab Anglis redacta, & tenui cultu viuere coacta, & adulterij infamata, quasi Carolum ex furtiuo concubitu genuisset: Alij tamen ex gaudio fœderis mortuam volunt: Sepulta est tam tenui funere, vt pœnas mortua etiam dare videretur. Monstreletus, Polydorus, Meyerus, Historia Sandionysianæ Abbatiæ. Conuentus celebratus est à Sigismundo pro reformatione Imperij Francofurti, vel Ratisbonæ, & fortè vtrobíque; sed nullo operæ pretio de more, cùm in Germania cœtus illi, tantùm cœtus nouos pariant, *Kantzius, Dubrauius.*

Anno Christi MCCCCXXXVI. Sessione XXIII. 28. Martij editæ sunt constitutiones, ad coërcendam nimiam Pontificum authoritatem: vt reformaretur Papæ domus; ne hîc constitueret consanguineos, vel affines ad tertium gradum Duces, Marchiones, Comites, Gubernatores, copiarum ductores, &c. Medietas omnium prouentuum cederet Cardinalibus iuxta Nicolai IV. Constitutionem, & grauia omnia negotia ex consilio Cardinalium tractarentur. Tantùm 24. essent Cardinales electi ex omnibus regnis Christianis, viri Pij & eruditi, consensu cæterorum nec eorum consanguinei, aut affines, neque Pontificis, &c. Sessione XXIV. 14. Aprilis indulgentiæ indictæ largientibus Eleemosynas ad opus vnionis Græcorum; quæ Eugenius grauissimè tulit, de Concilio questus per Cardinalem S. Crucis, *Acta Concilij Parisina.* Alphonsus Aragoniæ Rex conatus impetrare ius in Regnum Neapolitanum ab Eugenio, & precibus, & minis, & omnibus artibus, se totum Basileensi Concilio dare decreuit, cuius fauorem modis omnibus aucupatur, *Surita, Hist. Aragonicæ lib.* 14. Sigismundus cum Bohæmis paciscitur, eísque relinquit bona Ecclesiastica certis pecuniis redimenda; negata spes reditus Religiosis exulibus, Archiepiscopatus Pragensis Rockisanæ promissus, & alia eiusdemmodi Legatis Concilij nequaquam communicata, vt Hussitas sibi addiceret, *Bonfinius.* Philippus Burgundus exeunte Ianuario petit à Con-

cilio Canonizationem B. Petri de Luxemburgo; sed eius responsum non extat. Insuper Caletum obsidet, & turpiter obsidionem relinquere cogitur, desertus à Flandris, & eorum seditionibus exagitatus, cum vxoris suæ contumeliâ, & insuper vitæ suæ periculo, *Appendix Concilij, Monstreletus, Meyerus, & alij. Ioannes Villatius qui Lutetiam vrbem pro Anglis ceperat, & tum ei præerat, eandem restituit Carolo VII. fretus auxiliis Francorum Ducum, & Burgundionum cùm ea annis ferè duodeuigenti Anglis paruisset.* Monstreletus, & Historiæ Francicæ, atque Anglicanæ Scriptores. *Obiit hoc anno Catharina Caroli VII. Soror, Vxor Henrici V. quæ marito mortuo duos filios genuerat ex furtiuo concubitu Ouini famuli sui cubicularij, cui & postea nupsit: hi liberi dicti Edmundus, & Gaspar. Ipse nothus, & caupo ceruisiæ, ideò iussu Procerum securi percussus*, Meyerus. Polydorus tamen lib. 23. ait fuisse Vallum nobilem, & originem ex regibus veteribus Britanniæ traxisse, virtutibus illustrem atque ex legitimo matrimonio ex ea suscepisse liberos quatuor, Edmundum, Gasparem, & tertium factum Benedictinum cum filia quæ Religiosa fuit. Edmundus factus est à fratre vterino Henrico VI. Richemundiæ Comes, Gaspar Pembrochij, *Anglicæ Historiæ Scriptores.* Iacobus Scotiæ Rex coniuratione Walteri Comitis Atholiæ patrui suum regnum affectantis, cùm annis à coronatione sua 12. regnasset, cæsus est 28. plagis; Regina Regem tegens duobus vulneribus læsa; Duglassia puella brachium pro pessulo inseruit, ac sibi frangi passa est. Coniuratores inuenti atrociter mulctati, Comes toto triduo publicè laceratus, cui demum imposita corona ferrea candens; sicque impletum quod ei prænunciatum erat à quadam Sagâ eum aliquando coram magna hominum frequentia coronandum. Filius eius Iacobus II. dimidia ex facie ruber 27. Martij coronatus est septennis, *Monstreletus, Hector Boëthius, Leslæus, Buchananus.* In Scotiam hoc anno transiit Æneas Syluius, missus à Cardinali S. Crucis, vt Episcopum quemdam reconciliaret Regi, quod & fecit ab eo honoratus, & muneribus donatus, vnde Mercatoris cultu rediit per Angliam, *Gobelinus, seu Æneas ipse comment. lib.* 1. meminere & Legationis huius *Hector Boëthius, & Leslæus*, sed addunt, quæ ab Ænea non essent prætermissa,

ſi vera eſſent. Hoc anno cæſus Engelbertus Suecorum vindex, de Danis, quo ſublato Erricus 1. Septembris concordiam iniit cum Suecis, quæ promulgata eſt 5. Octobris, *Ioannes Magnus in Metropoli Vpſalenſi.*

Anno Chriſti MCCCCXXXVII. Certarunt Eugenius, & Patres Baſileenſes, de loco Concilij Græcis commodo, & Seſſione XXV. 7. Maij die Martis Baſileenſes decreuère celebrandum eſſe Baſileæ, vel Auenione, vel in Sabaudia, ac decima Beneficiorum aſſignata pro Græcorum viatico: atque Auenio ciuitas obtulit 70. millia florenorum Auri, cui & oppigneratæ Indulgentiæ & Decimæ, donec tota hæc ſumma perſolueretur. Sed exorta inde grauis contentio inter Patres, qui in duas partes diuiſi ſunt; quidam enim Duce Cardinali Arelatenſi vnico huius partis, ſed quæ erat numero ſuperior, verùm ferè ex vilioribus Præſulibus, recuſabat Italiam. In altera Cardinales Iulianus, & Ioannes cum dignioribus Antiſtitibus, Florentiam vel Vticam in Foro Iulio depoſcebant. Inde duo decreta contraria emanarunt, quorum partis Arelatenſis adſcribitur Seſſioni XXV. Partis Iuliani Seſſioni XXXVI. ſed duo illa decreta præferunt Nonas ſeu diem 7. Maij. Eugenius parti ſaniori, non maiori acquieuit, cui & Græci adhæſerunt: à Pontifice enim Venetorum triremes miſſas conſcenderunt, Baſileenſium, & Maſſilienſium naues reiecerunt. Scripſit contra PP. Baſileenſes Georgius Trapezuntinus. Iter Imperatoris Græci improbauit *Phranzes*, ſed longè ardentius Amurathes Turcus veritus arma Latinorum. Seſſione verâ XXVI. 31. Auguſti Baſileenſes diem dicunt Eugenio ad diem ſexageſimam. Seſſione XXVII. 26. Sept. rogatus Sigiſmundus, eos arguit Schiſmatis & inclinat in Eugenium. Seſſione XXVIII. 1. Octobris Eugenius contumax declaratur, atque in eius fautores Baſileenſes iſti ſæuiunt. Seſſione XXIX. 12. Octob. refutant litteras Eugenij, & in eum ferociùs inſurgunt animati à Rege Aragonum, vt intelligitur ex *Surita*. Seſſione XXX. 23. Decembris Declaratio editur de Communione ſub vtraque ſpecie ad Bohæmos. Obiit ex paralyſi hoc anno Sigiſmundus Imperator Pragæ 8. Decembris in vrbe Znoyma *(Znaim)* Morauiæ, anno ætatis 70. Regni Hungarici 51.

Bohæmici 17. Imperij 5. *Æneas Syluius*, *Cochlæus*, *Bonfinius*, *Dubrauius*, *Thurosius*. Sigiſmundo vxor fuit Barbara dicta, mulier nequam & luxurioſa, quæ cùm de nouis nuptiis cogitaret carceri mandata fuit; vnde ſoluta apud Grecium Bohæmiæ inter concubinos vitam exegit, ſine pudore, ſine religione, *iidem qui ſuprà Scriptores*. Eius Gener Albertus Auſtrius Elizabethæ eius filiæ maritus, ei ſucceſſit in regna Bohæmiæ, & Hungariæ non tantùm propter vxorem, ſed ob antiquum fœdus, de quo vide hîc Spondanum num. XII. vt & de laudibus huius Alberti. Certè Sigiſmundus dicere ſolitus erat beatos populos fore, quibus Albertus Rector obringeret, *Bonfinius*, *Dubrauius*, *Cochlæus*. Hoc denique anno Luſitani magnam in Africa cladem accepêre. Cùm enim Ferdinandus Auiſij Ordinis Magiſter, frater Regis Luſitaniæ cum ſolis ſex millibus armatorum traieciſſet in Africam, & obſediſſet Tingim, vrbi auxilium tulêre Mauri cum 600. millibus peditum, & 70. millibus equitum, à quibus obſeſſus in ſuis caſtris, vt incolumis abire poſſet cum ſuis Septam reſtituere promiſit: itaque obſes remanſit, ſed fratet eius pactis ſtare noluit. Iraque ad obitum vſque permanſit multis opprobriis, & diro carcere vexatus, obiítque anno 1444. miraculis poſt obitum clarus, *Mariana*, & *Chriſtophorus*, *Henriquez in Faſciculo Sanctorum Ciſtercienſium*.

Anno Chriſti MCCCCXXXVIII. Seſſione XXXI. 24. Ianuarij Baſileenſes emisêre decreta de litibus, de collationibus Beneficiorum, de ſuſpenſione Eugenij Pontificis, & vt omnes eo relicto intra 40. dies ad Synodum venirent. Adhæc inſtituti duodecim viri quaſi Legati à latere, qui prouincias adminiſtrarent, quorum plerique munus recuſarunt, quibus permotus Iulianus Concilij Præſes, aliíque Cardinales Baſileam deſerunt, ſolúſque remanſit Cardinalis Ludouicus Alemannus dictus Arelatenſis, qui cauſa Schiſmatis videtur fuiſſe, poſt obitum tamen miraculis clarus. Interim 10. Ianuarij Cardinalis S. Crucis Nicolaus Albergatus Concilium FERRARIENSE aperit, declarátque hoc vnum eſſe legitimum, quæ deinceps fierent Baſileæ vana eſſe & irrita, ſicque Seſſio eius *prima* celebrata. Audito autem Græcorum aduentu Eugenius ipſe 22. Ianuarij

Bononiâ Ferrariam venit, submittítque se Patribus, ac si quid iudicarent in se, aut antecessoribus suis corrigerent. Stabilitur ordo sedendi, & alia, sícque Sessio II. Ferrariensis habetur 15. Febr. pœnæ decernuntur in Basileenses contumaces. Inter hæc Græci cum Imperatore suo Ioanne, & fratre suo Demetrio, Iosepho Patriarcha Constantinopolitano, aliísque ad 700. appulere Venetias Bucentauro excepti, inde nauigarunt Ferrariam, recepti magnificè sub vmbella aurea à Marchione Estensi, Vrbis Domino, vbi petiit Imperator vt adessent Principes Occidentis aut per se, aut Legatos, intra quatuor menses, quod efficere conatus est Pontifex. Basileæ autem celebrata est Sessio XXXII. 24. Martij, in qua damnata sunt omnia, quæ Ferrariæ fierent, authore præcipuo Ludouico Protonotario Ro. Oratore Alphonsi, quem Æneas Syluius laudat ab excellenti memoria, & peritia Iuris, elatúmque ait peste anno vitæ 30. *Ferrariæ* autem omnibus ritè ordinatis, 9. Aprilis declaratum est hanc Synodum esse legitimam, itaque hæc non tam Sessio, quàm Indictio Concilij fuit, licèt à quibusdam *Tertia Sessio Ferrariensis* appelletur: Sicut & Synodus hæc dicta à Græcis VIII. quia quam admittimus Octauam hi admittere noluerunt ob Photium suum in ea damnatum, quæ & posteà dicta *Florentina*, quia ob pestilentiam Florentiam translata est: Latinis XVI. vel XVII. si Constantiensis Oecumenicis Conciliis annumeretur. Sessio ergo vulgò dicta PRIMA 8. Octobris celebrata est, (cùm ante hoc tempus post festa Paschalia agitatæ essent inter Latinos & Græcos quæstiones de Purgatorio, & Sanctorum Beatitudine) Orationem habuit Bessarion Nicænus. Sessione II. XI. Octob. Andreas Rhodiensis Archiepiscopus, seu vt Græci dicunt, Colossensis alteram habuit Orationem. Sessionibus III. IV. V. VI. VII. habitæ disputationes inter Marcum Ephesium, & Andream Rhodium, interiectis quorumdam collocutionibus de hac voce *Filióque*. Sessionibus VIII. quæ contigit 1. Nouembris, & IX. X. XI. XII. habitæ disputationes inter Bessarionem & Marcum pro Græcis, & Iulianum Cardinalem, & Ioannem Dominicanum pro Latinis, de eadem materia *Filióque*. Sessione XIII. 27. Nouemb. Oratores Ducis Burgundiæ non venerati Im-

peratorem penè Concilium dissoluêre. Sessione XIV. 4. Decembris cultus Imperator, sed non vt par erat. Sessione XV. 8. Decemb. Marcus Ephesius, & Iulianus disputauêre de eadem voce, & cùm viderent Græci se impetrare non posse, vt hæc vox tolleretur *Filióque*, de reditu cogitarunt. Sessio XVI. in annum sequentem indicta XVII. illam autem quædam acta vocant tantùm QVARTAM, quia Sessiones tantùm appellant in quibus emissa decreta, non in quibus est disputatum.

Albertus Austrius coronatus est Rex Hungariæ 1. Ianuarij Alba-regali: Bohæmiæ autem Rex renunciatus 6. Maij Pragæ, & ibidem coronatus 29. Iunij. Electores autem eundem Imperatorem elegerunt Francofurti 23. Martij, *Æneas Syluius, Trithemius, Dubrauius, Cuspinianus.* Electores Decretum edunt 18. Martij, quod vocant *Neutralitatem Germanicam*, quæ in octauum annum producta est. Albertus autem approbauit Concilium Basileense. In Gallia *Pragmatica Sanctio* edita est in Conuentu Bituricensi, per Franciæ Prælatos, eò iussu Caroli VII. conuocatos 7. Iulij, in quem Basileenses misêre 41. errores Græcorum, quos legere potes collectos à P. Iacobo Sirmondo hoc anno apud Spondanum num. xxv. *Renatus Andegauensis liberatus persolutâ pecuniâ Burgundo, Neapolim venit Triremibus Genuensium vsus, & multa oppida vi, vel deditione recipit.* Alphonsus adest cum exercitu, cui offert Renatus pugnam, sed hanc iste prudenter reiicit; & paulò pòst Neapolim obsidet, sed eam obsidionem soluere coactus est, in qua fratrem Petrum perdidit ictu tormenti bellici, cùm pridie suum in Ecclesiam displodi iussisset, quando & Christus è Cruce pendens demisit caput, *Mariana, Surita, Summontius, Collenutius.* Pugnabatur à Philippo Mediolanensi, contra Venetos, Florentinos, & Pontificis copias, ducibus hinc Sfortiâ, istinc Picinino, quando in subsidium Brixiæ Venetæ ditionis obsessæ deductæ sunt 4. Celoces, & Scaplæ 25. per ducenta & ampliùs passuum millia itinere terrestri, per Sorbolum Cretensem, *S. Antoninus, Corius, Poggius, Sabellicus, Blondus, Iustinianus.* Obiit hoc anno 19. Sept. quo die Solis contigit Ecclipsis, Feriâ sextâ, Eduardus Rex Lusitaniæ ad Tomarem Cœnobium, quò recesserat ob pe-

ftem, ex morbo per Epiftolam contracto, vitæ anno 47. regni 5. cuius extant commentarij digni Principe. Succeffit ei Alphonfus V. fexennis fub cura matris ex teftamento patris; fed Lufitani fpreto reftamento Eduardi Perrum Conimbricæ Ducem eius frattem regni moderarorem crearunt. Regina fefe fruftrà tueri conata eft armis frarrum Regum Caftellæ, & Aragoniæ, fed cedere coacta in Caftella miferè obiit. Alphonfus autem adultus Petrum licèt focerum exulare compulit, & armatum vicit & occidir, & aliquandiu reliquit infepulrum, *Duarenus*, *Mariana*, *Gariuaeus*.

Anno Chrifti MCCCCXXXIX. Peruenerunt Patres Florentiam menfe Februario, cuius die 26. habita eft Seffio XVII. habitâ ratione fexdecim Ferrarienfium, & PRIMA FLORENTINA. Seffione XVIII. feu I. Florentina 2. die Martij difputatum inrer Marcum Ephefinum, & Ioannem Dominicanum de proceffione Spiritus Sancti, quæ difputario conrinuata eft quinque fequenribus Seffionibus eodem menfe Martio. Seffionibus XXIV. & XXV. 21. & 24. Marrij celebratis quibus noluit Imperator intereffe ob Marcum Ephefinum, & Præfulem Heraclienfem nimis contentiofos, iudicatunr tandem iuftas effe Latinorum rariones. Græci, adnitente potiffimùm Beffarione, & Georgio Scholario, fícque & Imperator & Parriarcha, & alij Præfules exceptis his duobus contumacibus acquieuête vnioni 3. Iunij: fed 9. eiufdem menfis Parriarcha Iofephus relictâ fidei fuæ profeffione obiir, magnificè fepultus Florentiæ in templo Dominicanorum. Die fextâ Iulij Seffione XXVI. vel XXV. vt quidam dicunt, & quæ QVINTA ab aliis fcribitur lecta eft definitio Concilij, *Eugenius Epifcopus, &c.* Quæ notarur 1439. pridie Nonas Iulias, Pontificarus 9. die Dominicâ, Mundi iuxra Græcos 6947. Indictione 2. Dum adhuc effet Imperator Florentiæ, abfuerunt Legati Armenotum, quibus datum ab Eugenio Decretum notatum 22. Nouembris huius anni. Conuentus Moguntiæ habitus 27. Martij, Imperaror Conftantinopolitanus ad fincm Iulij multis obtentis, & intet cetera 300. militibus fumptibus Ponrificis alendis. Inrereà Bafileenfes contra Eugenium procedunt, Principum Lega-

tis renitentibus. Sessione XXXIII. 16. Maij actum, sed à paucis admodum, de condemnatione Eugenj. Sessione XXXIV. 25. Iunij ab 8. aut 9. Episcopis aut inimicis Eugenij, aut sine Ecclesiis, ab aliquot Abbatibus mitratis, & doctoratis deponitur Eugenius. Sessione XXXV. 10. Iulij Sede vacante, decretum editum de stabilitate Concilij, quo tempore pestis Basileæ grassabatur, quam tamen nunquam asserere noluit Cardinalis Arelatensis, ne Concilium solueretur. Sessione XXXVI. 17. Sept. actum de Conceptione B. Virginis sine peccato originali, assignatæque Indulgentiæ eius Festo 8. Decembris. Sessione XXXVII. 24. Octobris sublata omnia impedimenta electionis futuri Pontificis, & designantur Electores. Sessione XXXVIII. 30. Octob. Conclaue ingressi Electores creant Pontificem Amedeum aliàs Ducem Sabaudiæ 5. Nouembris, quam electionem confirmant, & promulgant Sessione XXXIX. 17. Nouembris, quæ ei nunciata est eodem die Ripalliæ, qui sibi nomen Felicis V. eligit, assumpto cultu populi in Ecclesia Sancti Mauritij. Quam electionem statim per Oratores suos Carolus VII. improbauit, vt liquet ex protestatione, quæ apud Spondanum prostat hoc anno numero XLVIII. Albertus Rex Romanorum 27. Octobris obiit ex nimio esu Peponum, post inutilem in Turcos expeditionem vt Senderouiam, *Sendreüil*, tueretur ab his obsessam in Seruia, seu Rascia. Decessit autem dum Viennam ægrotus repetit, in *Villa* quæ *Longa* dicitur supra Strigoniom regni Hungarici secunda, cum ferè viginti mensibus, Imperij mensibus vndeuiginti cum aliquot diebus, reliquit vxorem grauidam quæ peperit Ladislaum, *Æneas Syluius*, *Dubrauius*, *Bonfinius*. Eugenius auditâ Felicis V. in Pontificatum intrusione, Florentiæ in Concilio 18. Decembris, septemdecim creauit Cardinales ex omnibus nationibus viros eruditos, & graues, inter cæteros Isidorum Thessalonicensem & Bessarionem Græcos, de Turre-cremata, *de Tourardre*, & alios, *Ciacconius*, *Onuphrius*. Sbigneüs Cracouiensis ab vtraque parte electus est, Eugenio, & Amedæo, *Michouius*, *Cromerus*. Andreas Episcopus Posnaniensis, Sbanscium fauentem Hussitis & sex in arce suos Sacerdotes alentem, per quos spargebat hæresim, excommunicatum,

municatum, nec resipiscentem, armatis 900. equitibus obsedit, & dare sibi hos Sacerdotes compulit, quos conuictos exuri iussit, *Cromerus*. Hoc anno Christophorus Dux Errici sororis filius euocatus est à Danis in eius expulsi locum, receptus quoque à Suecis & Noruegis, sed à Suecis arguitur quòd passus sit Erricum expulsum, ex Gotlandia in in qua rerum potiebatur Sueciam lattoeiniis infestare, *Krantzius, Ioannes Magnus, Pontanus.*

Anno Christi M C C C C X L. Dux Austriæ Fridericus III. dictus aut IV. si Fridericus Pulcher æmulus Bauari Imperatotibus annumeretur, filius Ernesti Patruelis Alberti annos natus 26. Francofordiæ eligitur Rex Romanorum, vit admodum pius, quare & Palæstinam lustrarat, & pacis amantissimus, vnde dictus *Pacificus*, electus Francofordiæ 30. Martij, vt vult *Nauclerus*, & *Acta Basileens. Concilij*, 2. Februarij, atque in eius posteritate deinceps firmatum Imperium. Hungaria & Bohæmia morte Alberti turbatæ. Et Hungaria cùm vocatus esset ab Hungaris in Regnum Wladislaüs Rex Poloniæ, adnitente Elizabethâ, quæ fœminam parere reformidabat: sed cùm posteà pepetisset filium Ladislaum, eum 4° ab ortu die cotonandum curauit, coronâ fatali; sicut à fautoribus suis coronatur Wladislaüs coronâ ex imagine Sancti Stephani Regis detractâ. Ortis autem bellis Regina confugit cum filio, & Corona ad Fridericum eíque vtrumque commisit, *Bonfinius, Thurosius.* Bohæmiam sibi oblatam recusauit Albertus Bauariæ Dux: recusauit & Fridericus Cæsar, selegítque duos regni moderatores, vnum Hæteticum, & alterum Catholicum, per quos Bohæmia regeretur donec Ladislaüs adolesceret, *Æneas Syluius, Bonfinius, Dubrauius.*

Basileenses Sessione XL. 26. Februarij indulsêre Felici, vt ante coronationem Cardinales crearet. At *Florentiæ* Sessione XXVIII. quæ aliis est VIII. 23. Martij Felix V. eiúsque sequaces anathemate vt Hæretici, & Schismatici perculsi, quod Decretum proponit *Monstreletus. Basileenses* autem Sessione XLI. 23. Iulij hoc Decretum damnant. Felix autem qui Basileam 23. Iunij peruenerat, sequenti die Festo S. Ioannis coronatus est. Sessione XLII. 4. Augusti Annatæ quæ damnatæ erant in Eugenio, in gratiam Fe-

licis reponuntur. Carolus VII. auditis vtriusque partis Legaris adhærer Eugenio in Conuentu Bituricensi, *Oliuarius Marchius, & Poggius*. Itaque conuentum est, ex *Gobellino* scribenre, id Eugenium imperrasse oblatis 30. millibus aureorum, quæ Felix dare recusasset, *lib. 7. Commentariorum*, cæteri Principes inrer vtrumque distracti, plures tamen Eugenio fauerunt.* Felicem quidam arguunt, quòd pecuniæ suæ parcior fuisset, quam si effundere voluisser, fortè supplanrasser Eugenium, *Æneas Syluius, S. Antoninus, Naucle-rus*. Alphonsus Rex Aragonum sterit medius inter Basileenses & Eugenium, minùs res Ecclesiæ curans, quàm suas, & regnum Neapolitanum, quod totum penè possidebat Renatus Andegauensis, *Surita*. Academiæ autem plurimæ fauerunr Basileensibus vr Parisiensis, Viennensis, Coloniensis, Erfordiensis, Cracouiensis, *Acta Concilij Basileensis in Regia Parisiensi Bibliotheca*. Ioannes Imperator Constantinopolim redux in Græciam curat eligi Patriarcham die Lunæ 1. Febr. Metrophanem Cizycenum Merropolitam, loco Bessarionis, qui hanc dignirarem recusauit, *Phranzes*. Reuersi in Græciam Marcus Ephesius, & Scholarius omnia rurbarunt, in Schismate obstinari; sed Marcus etiam à suis Græcis confutatus, Bessarione, Iosepho Methonensi, Gregorio Hieromacho magno Proro-Syncello, certè à Bartholomæo de Florenria Episcopo Coronensi, eximio Theologo, & linguæ Græcæ periro ira confutatus est, vt ex mœrore expirarit, *Chalcondyles, S. Antoninus*. Cardinalis Vitellicus Patriarcha Alexandrinus copiarum Pontificiarum ductor, conspirans cum Nicolao Picinino, vt Florentiâ occuparâ inuaderet Ponrificatum, interceptus à præfecto Arcis Sancti Angeli, & vulneratus dum se defendere parat, paulò post ex vulneris dolore, vel indito huic veneno mortuus est; cui suffectus Ludouicus Mediarota, alirer Scarampus dictus, qui Picininum deuicit die Festo SS. Petri, & Pauli, ideò factus Cardinalis, qui primus Cardinalium canes, & equos aluit. Picininus ab hoc tempore nihil se dignum egit, sed inglorius obiir Mediolani ferè septuagenarius, *S. Antoninus, Blondus, Poggius, Corius, Volateranus, Æneas Syluius. Hoc anno vario euentu inter Francos, Anglósque certatum, illis tamen ferè semper præualentibus, quidam*

etiam nobiles Societatem grassatorum conflarunt sex millium equitum omnia diripientes, ideò dicti Excoriatores *&* Armañiaci, *qui expilatâ Galliâ, quasi fautores Eugenij in Germaniam transierunt; sed à Germanis fortiter expulsi sunt. Conspiratio item in Carolum VII. inita à coniuratis qui in partes suas etiam Ludouicum traxerunt* (quæ Pragueria *dicta est*) *sed cùm Rex in eos copias duxisset, rogante Philippo Burgundo, quem ad suas partes trahere conati erant, obtinuerunt veniam, eâ petitâ, vno cæso Borbonio notho coniurationis authore, atque promotore,* Monstreletus, Chaterius, Belleforestius, Paulus Æmilius, & cæteri Franci Scriptores. *Philippus Burgundus cognomento* Bonus, *vt dissidia tolleret Aurelianensium, & Burgundionum Carolum Aurelianensem captum in pugna Azincurtiana, & in Anglia detentum iam annos 25. redemit 400. millibus Aureorum, eique dedit vxorem Mariam Cleuensem suam neptem; & ambo alterutrius Ordinem susceperunt Velleris Aurei à Burgundo instituti, & Histricis à Ludouico Aurelianensi,* Iidem Franciæ Scriptores. *Ægidius Retius Franciæ Mareschallus Magiæ conuictus Namnetis à iudice damnatus viuus exustus est. Accusatus est 160. Mulieres prægnantes vel infantes exenterasse,* Monstreletus, Belleforestius, Argentræus. Rex Angliæ appetitus est Magicis insidiis, Magus captus viuus exustus est: Maga vxor Procuratoris Regni, & Regis Patrui Eleonora publicè actâ Pœnitentiâ in Insulam Monam relegata est, *Harpsfeldius.* Rex quoque Castellæ coniurationibus exagitatus est propter Aluarum de Luna, quæ turbæ & anno sequenti durarunt, quo Rex Medinæ obsessus, & captus est, & post quatuor annos sopitæ. victis Aragonij fratribus Rege Nauarræ, & Henrico S. Iacobi Magistro, quorum hic ex vulnere obiit, *Mariana libris 21. & 22.* Obiit hoc anno S. Francisca annos nata 56. vidua Romana, planè mirabilis, in Sanctarum numerum relata à Paulo V. anno 1608. *Bulla Canonizationis à Paulo V.* Concilium Frisingense in Bauaria, *Appendix Conciliorum.* Quidam hoc anno Typographiam inuentam volunt, & characteres excusos, quidam Argentorati, quidam Moguntiæ, quidam Harlemi: certè eius inuentio ex Sinis hausta videtur ex parte, de cuius inuentione vide hîc *Spondanum numero* XLIII. *Pancyrolum, & alios.*

Anno Christi MCCCCXLI. Sessione XXIX. Flo-

rentiæ 4. Februarij recepti Iacobitæ, missi à Ioanne eorum Patriarcha, cuius Epistola lecta est in Concilio data Cayri in Ægypto 12. Septembris, anni Græcorum 1940. æræ Martyrum, seu Diocletiani 1157. Lectæ quoque litteræ Philothei Patriarchæ Alexandrini ad Eugenium, quibus encomium Romani Pontificis continetur, *Acta Concilij Florentini.* Basileæ autem Sessione XLIII. primo Iulij Constitutio edita de celebrando festo Visitationis B. Virginis 2. eiusdem mensis: sed de hoc festo iam Constitutio Bonifacij IX. prodierat, concepta ab eius antecessore Vrbano VI. sed non suscepta à fautoribus alterius partis. Neque tamen tum appositum Felicis nomen, licèt id exoptaret; sed hunc boni ipsi Patres vt idolum, & laruam Pontificis habebant: quare cùm ab iis petiisset Ecclesiam vnam, Monasterium vnum, & vnum aliud Beneficium in Sabaudia, hæc non nisi difficulter impetrauit, *Acta Concilij Basileensis.* Moguntiæ Conuentus celebratus mense Maio aliter *Dieta* dicta, cui etiam interfuerunt Oratores Regis Francorum, quos Fridericus Cæsar inuitarat. In eo Cardinalis Arelatensis non est admissus vt Legatus à latere, vnà cum Thoma de Curcellis, qui columen dicebatur Basileensis factionis. Admissi item Legati Eugenij, multáque vltrò, citróque dicta; tandem decretum aliud Concilium quod neque Basileæ, nec Florentiæ celebraretur, quod vtrique parti significatum, & dies dicta huius Concilij inchoandi Augusti Kalendæ anni sequentis, *Acta huius Dietæ, seu Conuentus Moguntini apud Clamengium, & Goldastum.* Ludouicus Gibbosus Dux Bauariæ Patrem suum in oppido Nouemburgo ad Danubium, obsedit, cepit, dedítque in prædam Marchioni Brandeburgensi, qui hunc vendidit magno pretio, alteri Duci Bauariæ eius æmulo; sed hic patricida breuì sine liberis obiit, *Trithemius in Chronico Sponheimensi.* Hoc item anno apud Slusas Flandriæ vrbem impositum est vectigal Conchis quæ dicuntur Musculi, quibus pauperrimi hìc victitare solent, statim illi defecerunt: cùm vectigal sublatum esset illicò redierunt, *Meyerus libro 16.*

Anno Christi MCCCCXLII. Sessione XXX. Concilij Florentini, aliter X. nunciatum venite Legatos à *Za-*

ra-Iacob, magno Rege Æthiopiæ, quem aliqui perperam vocant *Presbyterum-Ioannem*, seu *Preste-Iannem*, seu *Pretiosum Ioannem*, (de quo nomine vide Geographos) certè hic *Zara-Iacob*, erat Rex Abyssinorum: Hoc nuncio accepto Eugenius Concilium Florentiâ transtulit Romam in Basilicam Lateranensem, vt locus esset illustrior. Basileenses tamen dixerunt id fecisse vt Concilium indictum in Conuentu Moguntino eluderet, & vt ostenderet Papam esse supra Concilium, *Acta vtriusque Concilij*. Fridericus coronatur Cæsar Aquisgrani à Theodorico Arch. Coloniensi 17. Iunij, cui celebritati cùm interesse vellet Cardinalis Arelatensis eiectus est à Ioan. Heinsbergio Episcopo Leodiensi Eugenij fautore, *Acta Conciliorum*, *Trithemius*, *Cuspinianus*, *Annales Treuirorum*, *& Sueuorum*. Sessione XLIV. 9. Augusti Basileenses redintegrarunt omnes qui propter Concilium bonis Ecclesiasticis priuati essent. Tum autem celebrabatur Conuentus Francofordiensis, cui Cæsar interfuit, & quem tantisper deseruit, dum Coronam acciperet. In eo apparuerunt Legati Basileensium Cardinalis Arelatensis, & Panormitanus, & Segouiensis Cardinales Felicis, Eugeniani autem Nicolaus de Cusa, Ioannes Cauaialus, & Iacobus Ferrariensis, qui inter se acerrimè disputarunt. Fridericus rediit Francofurtium ineunte Augusto, vbi partibus auditis statutum est aliud Concilium in Germania celebrandum, fecítque Cæsar quæ innuerent se stare potius ab Eugenio, quàm Felice. Idem Fridericus iter faciens ad Basileam 14. Septembris, inuitatus à Patribus vrbem ingredi, constanter recusauit, nisi priùs assentirentur celebrationi alterius Concilij, quod & fecêre 6. Octobris. Inde ingressus est Basileam Cæsar XI. Nouembris, inuisítque Felicem non tamen eum affatus prætexens, se sic magis idoneum fore ad pacem conciliandam: Felix quoque quasi valetudinis gratiâ Lausanam petiit. Sollicitatus Eugenius à Cæsare de nouo Concilio, respondit se Romæ ea de re consultaturum. Basileensibus interim Franciscus Sfortia se suáque omnia obtulit, iratus Eugenio à quo fuerat excommunicatus, ob terras Ecclesiæ, quas retinebat. Quem aggressus est quoque armis Eugenius, incitatus à Philippo Mediolanensi, cuius etiam armis Sfortia ex Piceno deiectus

est, *Corius, Poggius, S. Antoninus.* Alphonsus Rex Aragonum Neapolitanum regnum recuperauit, ingressus Neapolim 2. Iunij, fame vehementer pressam, intromissis militibus per aquæ-ductum à Fabro cæmentario quem fames exire ex vrbe coëgerat, & per eundem locum, per quem Belisarius eam Gothis eripuerat. Renatus Andegauensis partes omnes boni Ducis & militis obiit, coactus se in arcem recipere, vnde desperans se posse vrbem recuperare, naues conscendit, quæ ad Arcem stabant in ancoris. Duæ erant ingentes Onerariæ Genuensium, quæ die sequenti ab vrbe capta commeatum attulerunt., quæ si maturè aduenissent dubiam fecissent victoriam. Iis nauibus Renatus relatus est Pisas, inde Florentiam, exinde in Galliam. Alphonsus pacato Regno triumphans veterum Romanorum more Neapolim est ingressus, *Æneas Syluius, Mariana, Collenutius, Summontius, Fazellus, & alij.* Eugenius mittit in Hungariam Iulianum Cardinalem Cæsarium ad pacem componendam inter Polonos, & Hungaros. Missus eôdem est Alexander Cardinalis Tridentinus Patruelis Wladislaï Regis Polonorum. Hungari Eugenio, Poloni ob Academiam Cracouiensem fauerunt Felici. Elizabetha Hungariæ Regina tum obiit, vnde partes Ladislaï pueri labare cœperunt, multi Polonorum metu, aut vi se dediderunt. Amurathes obsidens Belgradam septem mensibus obsidionem soluere turpiter coactus est. Ioannes Huniades, Ianeus à Turcis dictus. Vayuoda, seu Palatinus Transiluaniæ, eosdem Turcos tribus grauibus cladibus affecit, vnâ ad Belgradam, secundâ & tertiâ in Transiluania, *Callimachus, Thurosius, Cromerus, Chalcondyles.* Fratricelli aliquot viui combusti; Alphonsus Mella Minorita eius sectæ author fugit Granatam ad Mauros cum multis puellis, quæ se Mauris prostituerunt, ipse calamis confixus per ludum ab eisdem Mauris, *Mariana lib. 21.* Frigus intensissimum à 7. Decembris ad 7. Februarij sæuit in Longobardia, quando in Pado congellato Marchio Ferrariensis epulum multis dedit super glaciem: Nix quoque copiosissimè defluxit, *Bossius in Chronico.*

Anno Christi MCCCCXLIII. Eugenius 7. Martij exit Florentiâ, & 10. eiusdem mensis Senis magnâ pompâ recipitur, & ibidem sex mensibus hæsit. Hic obiit 9. Maij

Cardinalis S. Crucis Nicolaus Albergatus olim Carthusianus, vir planè magnus, quem inuisit sæpè noctu Eugenius, eiúsque funeri voluit interesse. Vixit annis 68. elatus morbo calculi qui in eo exenterato repertus bilibris, quem propter viri sanctitatem seruauit Papa, hodiéque visitur in Carthusia Florentiæ, in qua etiam sepultus est, *Carolus Sigonius, & Iacobus Zenus in eius vita, Poggius, & alij.* Alphonsus Aragonius agit cum Felice vt eius partes tueatur, & ab eo multa promissa extorquet, *Surita:* Sed tandem cum Eugenij Legatis fœdus init 12. Iunij, cùm ab eo sibi magis conuenientia extorsisset, *Acta Concilij Basileensis, & Surita.* Percussit & tum fœdus cum Senensibus, cum Duce Mediolanensi Philippo, & cum Nicolao Picinino, totáque eius familia, *Æneas Sylvius:* ob hanc causam reuocauit idem Alphonsus 20. Iunij litteris suis suos omnes subditos ex Concilio Basileensi, hortatus est & tres Cardinales Felicis, Panormitanum, Dertusensem & Vicensem, qui Basileâ exierunt 4. Augusti, *Acta Concilij Basileensis.* Nouus indicitur Conuentus à Principibus ad tollendum Schisma, *Acta Concilij Basileensis, & Æneas Sylvius.* Sessio XLV. Basileensis & Vltima, indicit nouum Concilium Lugduni, quod Basileense continuatum diceretur. Felix Basileam adire recusat, & se Lausanæ, aut Geneuæ continet. Ægrè obtinet à Concilio vt 5. Cardinales creet, sed duos tantùm publicauit. In eadem Sessione propositiones aliquot Minoritarum damnatæ sunt. Sic terminatum hoc Basileense Concilium, vbi tamen hæserunt aliqui ad annum 1448. *Acta Concilij Basileensis ex Regia Parisiensi Bibliotheca.* Alphonsus Tostatus Madrigalensis, posteà Episcopus Abulensis, interfuit Concilio Basileensi, & cum Ioan. Capreolo contulit. Eius propositiones aliquot impugnatæ à Ioanne de Turre-cremata Dominicano Cardinali, & notatæ ab Eugenio, quas tutatus est *Defensorio suo,* quod tamen subiecit Ecclesiæ, atque Pontificis censuræ, *Tomo vltimo operum Tostati.* Eugenius IV. Romam venit 28. Sept. à qua abfuerat annis decem, ibidémque receptus perhonorificè, Lateranum Concilium denunciauit. Conatus est tum eripere ex manibus Francisci Sfortiæ Picenum per Alphonsum Aragonium, & Picininum Ducis Mediolanensis co-

piarum Præfectum, *Platina, S. Antoninus, & alij.* Expeditio hoc anno suscepta in Turcos promorore Iuliano Cardinale, ad quam inuitati Fridericus, & Liuonienses, & Prussienses equites ire recusarunt prætexentes tumultus prætetitos, Poloni & Valachi multos equites & pedites suffecerunt: multi quoque Galli, & Hispani accurrerunt, exercitui præerant Wladislaüs, & Io. Huniades, Sophia primo impetu capta, cum multis oppidis; sed mox adfuêre Turcæ, quos ad Morauiam castra locantes, iussu Wladislaï Huniades aggressus noctu cùm 10. millibus equitum, eorum 30. millia cæcidit, 4. millia cum 9. signis cepit, cæteris fugâ dilapsis (cùm tamen centum millia numerarentur) castrísque opulentissimis amissis, vix 500. ex Christianis ceciderunt. Iterùm ad Hæmum montem pugnatum, vbi missus ab Amurathe Carambeius Præfectus Asiæ cum nouis copiis victus, & captus est. Sed Christiani vltrà pergere noluerunt, quamquam vrgerent Iulianus, Huniades, & Wladislaüs; itaque reducti in Hungariam, vbi Budæ magnificè susceptus Wladislaüs, sed ille nudis pedibus in ædem B. Virginis, ex voto progressus est, *Callimachus, Bonfinius, Thurosius, Cromerus, Æneas Syluius, Leunclauius, & alij.* Ioannes Imperator Constantinopolitanus, & Demetrius eius frater, inter se armis disceptant, & hic iunior Constantinopolim obsidet, etiam Turcis in auxilium suum euocatis: mox tamen inter hos fratres pax inita, *Phranzes lib.* 2. Scanderbegus Turcis militans ad prælium Morauicense recessit cum suis, siue victus, seu sponte recedens, vt Huniadi victoriam relinqueret; ac Secretarium Bassæ Turcici captum coëgit litteras scribere ad Epirotas, & Croienses, per quas & Præfecturam, & ipsam vrbem Croiam occupauit, receptâ deinceps Christianitate, sícque paternum etiam recepit regnum: hunc litteris suauissimis Amurathes reuocare conatus est, sed ille vicissim ad Christi fidem illum vocauit, Turcis factus ipse terribilis, *Martinus Barlettus Scodrensis Presbyter in Scanderbegi vita.* Leonardus Brunus Patriâ Aretinus hoc anno obiit Florentiæ anno vitæ 74. olim Innocentij VII. Breuium magister, deinde Florentinorum Scriba, vir perfectissimæ Latinitatis, *Æneas Syluius, Bergomensis, Trithemius, Iouius,* & qui ei successit *Poggius.*
Anno

Anno Christi MCCCCXLIV. Proponitur à Scaligero, Capello, Dionysio Petauio fragmentum Anonymi loquentis de quatuor punctis anni rempestatum secundum annum Persicum 814. qui comparari debet cum anno Græcorum 6953. Nam 25. Nouembris annus 6952. cum Indictione 7. terminatus erat: hoc porro tempore 10. Nouembris pugna commissa est inter Christianos & Turcos, illis fatalis, quæ sic se habuit. Cùm anno superiori Turci magnis cladibus affecti essent, excitatus est Wladislaüs ab Occidentalibus Principibus ad Saracenos ex Europa penitus eiiciendos, oblatâ etiam classe, quæ eos ex Asia traiicere prohiberet, Imperatore etiam Constantinopolitano suas offerente vires, & Principe Caramaniæ promittente, se Turcos in Asia vexaturum. Magnus igitur apparatus belli confectus est, parata Classis, cui præerat Cardinalis Condulmerius nepos Eugenij ex fratre, quæ portus & littora per quæ traiiciendum erat occuparet: quibus territus Amurathes pacem adeò honestis conditionibus obtulit, vt non omnino reiicienda videretur à Wladislao, & Huniade, quæ & facta est mense Iulio in decennium (multùm reclamante Iuliano) tactis Euangelio, atque Alcorano, non adhibitâ tamen SS. Eucharistiâ, quod Turcæ exoptabant, quia Gregorius Sanoceus Polonus, sese huic facto constanter opposuit. Verùm paulò post allatæ sunt litteræ à Cardinale Classis Præfecto, Amurathem cum copiis omnibus suis ex Europâ in Asiam traiecisse, vt Caramano resisteret, oblatam esse occasionem eiiciendi Turcos ex Europa, quod & litteræ Imperatoris Constantinopolitani confirmabant. Itaque adnitente Iuliano Cardinali eleganti Oratione iuxtà, ac firmâ, pax abrupta, Wladislaüs 21. Sept. Segedino mouet: traiicitur ad Orsanam Danubius, ac Bulgariam Rex ingreditur. Inuaditur Nicopolis, sed ab ea reiecti Christiani. Itaque versus Thraciam conuertitur iter; vbi discitur à Cardinale Francisco, Amurathem Hellespontum traiecisse. Et verò operâ Genuensium copias transmiserat grandi pretio persoluto. Turcarum ergo supra 60. millia, 10. millia Christianorum aggrediuntur, fœdere rupto animati, & Christum testem appellantes. Acriter vtrimque certatum, cecidit pugnans fortiter Wladislaüs, obtutus numero po-

tiùs quàm victus dum ad Amurathem penetrare nititur. Eius corpus Amurathes ibidem honorificè sepeliit. Victi reliqui, fugit Huniades, aliquandiu detentus à Dacula Waywoda, & cum muneribus dimissus: Iulianus Cardinalis vel cæsus in prælio, vel à nauiculario, vt eius auro potiretur: moderatè vsus victoriâ Amurathes, *Æneas Syluius, seu Gobelinus, Philippus Callimachus, Bonfinius, Cromerus, Leunclauius, & alij.* 12. Poloni adolescentes destinati ad libidinem Amurathis, in eius necem conspirarunt, detecti à quodam Bulgaro mutuis se vulneribus confoderunt, *Cromerus.* Sultanus Rhodum vrbem aggressus, virtute Equitum Rhodiorum depulsus est, *Bosius Tomo 2. lib. 6.* Conuentus Nurembergensis pro tollendo Schismate frustrà habitus est, vbi auditi Oratores Eugenij, & Felicis, *Æneas Syluius.* Factæ induciæ inter Francos, & Anglos, quando ad leuandam Franciam militibus vtrimque exauthoratis, eos Delphinus misit in Alsatiam, & Montem Pelgardi obsedit ac cepit, quòd eius Præfectus Francos versus Lingonas expilasset. Mox euocatus à Friderico in Basileenses, Argentinenses, & alios iugum Austriacum detrectantes, eos magnis damnis affecit; Heluetios ad Basileam atroci certamine deuicit, sed ægrè admodum: Itémque Basileenses in eum erumpere ausos magnâ clade repressit; tum destituitur Duce à Friderico dato, atque insuper ab Heluetiis & Germanis pressus in Galliam rediit. Dum pater eius Carolus VII. Metas obsideret, in gratiam Renati Regis Siculi, & Ducis Lotharingiæ; quæ obsidio 5. mensibus tenuit, soluta datis à ciuibus 200. *millibus aureorum in sumptus belli, & dimissis aliis centum millibus quæ ipsi debebat Renatus*, Monstreletus, & Trithemius. Sessio *Florentina* XXXI. 30. Sept. Romæ habita est, in quâ data fidei Professio Syris, & Abdalæ Archiepiscopo Edessæ, *Acta Concilij Florentini.* Obiit 20. Maij S. Bernardinus Senensis, reformator Ordinis S. Francisci, Aquilæ in Vestinis, siue in Apratio, vbi eius corpus integrum visitur, *Platina, Bulla Nicolai V. Surius, & alij.* Scripsit hoc anno Sultanus Ægypti ad Christophorum Daniæ Regem, eique filiam suam vxorem obtulit, *Isaacius Pontanus ex Ioanne Messenio.*

Anno Christi MCCCCXLV. Obit Nicolaus Tudes-

cus, dictus aliter Panormitanus, factus Cardinalis à Felice, & Legatus à latere Concilij Basileensis per Germaniam, sed qui ornamenta sua dimisit, iussus Basileâ recedere ab Alphonso, iuris sine dubio peritissimus, *Bellarminus, & alij.* Wladislaüs vel Ladislaüs filius Alberti, & Elizabethæ quinquennis Rex Hungariæ eligitur sub cura Huniadis, qui tamen neque Coronam Hungaricam extorquere precibus, aut armis potuit à Friderico III. *Thurosius, Bonfinius, Dubrauius, Æneas Syluius.* Poloni Regnum primò obtulerunt Friderico Marchioni Brandeburgensi: respondit ille viuere hæredem Casimirum Lithuaniæ Ducem, fratrem Wladislaï, qui non nisi post duos annos coronatus est, ac fermè perdidit regnum suis tergiuersationibus, *Michouius, Cromerus.* Missus à Friderico III. Æneas Syluius pro nouo Conuentu de Schismate in Germania celebrando, ab Eugenio electus est Secretarius, ita tamen vt simul esset à Secretis Friderico, *idem Æneas.* Quinto Augusti Maronitæ, & Chaldæi vniti sunt Romanæ Ecclesiæ, *Acta Concilij Florentini.* Rex Cypri, seu potiùs eius mater inimica Latini ritus recusauit Archiepiscopatum Nicosiæ Galesio Montilitio, & Legatum ab Eugenio missum detrusit in carcerem, sed Magister Rhodiorum monitus ab Pontifice hæc composuit, *Bosius in Historia Rhodiorum.* Bononia ciuitas tumultibus agitata duobus factionum Ducibus, Annibale Bentiuolio, & Io. Baptistâ Canetulo, hic illum proditoriè interemit, at percussorem populus discerpsit, & combussit, & eius fautores sæuissimè torsit, ac lacerauit, *S. Antoninus, Platina, Æneas Syluius, & alij.* Recuperauit hoc anno Picenum magna ex parte Eugenius armis Alphonsi Neapolitani, deuicto sæpè Francisco Sfortiâ, *iidem qui suprà.* Obiit hoc anno Patauij Antonius Corarius Cardinalis Episcopus Ostiensis Gregorij XII. nepos, vnus ex fundatoribus Congregationis *S. Georgij in Alga*, qui omnibus dimissis, vix sibi vnde victitaret reseruauit, *Ciacconius, & qui ad illum aliquid addidit.* Venit hoc anno Parisios missus à Rege Castellæ Orator, *Fernandus de Cordula* Hispanus annorum viginti Iuuenis, miles auratus & Doctor in Medicina, Theologia, vtroque iure & in omnibus artibus, qui nihil ignorasse dicitur, & qui omnes in sui admirationem rapuit, cum me-

moriter teneret totam Scripturam, omnes vtriusque Iuris libros, Aristotelem, Hippocratem, Galenum, omnésque præcipuos illorum interpretes; peritus linguæ Latinæ, Græcæ, Hebraicæ, Arabicæ, Chaldææ, Magus à nonnullis creditus, à quibusdam etiam Antichristus. Disputauit in omnibus Academiis Galliæ, & Italiæ omnium victor, victus à nemine. Scripserat in Almagestum Ptolemæi, & Apocalypsim, *Trithemius, Gesnerus; sed de eo tacent Hispani, quod est maius prodigium.*

Anno Christi MCCCCXLVI. Conueniunt Electores, & Germaniæ Principes Francofurtum, acturi de Schismate ob depositionem Theodorici Coloniensis, & Iacobi Treuirensis Archiepiscoporum, fautorum Basileensis Concilij. Decernunt ergo desciscere ab Eugenio, & amplecti eius depositionem factam Basileæ nisi eos restitueret, tolleret onera, & profiteretur authoritatem Conciliorum, vt decretum fuerat Constantiæ; rogarúntque Cæsarem, vt se sis adiungeret. Negauit Fridericus, sed Æneam Syluium misit ad Eugenium, qui ei suaderet vt acquiesceret Germanorum petitioni; quod & fecit; vnde facto nouo in eadem vrbe Francofordia Conuentu., *Neutralitas Germanica* sublata, & agnitus Eugenius, *Æneas Syluius, Cochlæus, Sanctus Antoninus.* Basileenses petunt aliud celebrari Concilium, ídque obtinuerunt, quare decretæ sex ciuitates Germaniæ, in quarum vna Maio mense anni insequentis id fieret, ex arbitrio Summi Pontificis, *Cochlæus.* S. Nicolaus Tolentinus refertur in numerum Sanctorum ab Eugenio, qui tum etiam edidit varias Constitutiones de Regularibus, *Bullæ Eugenij. Genuenses atrociter inter se dissident, atque insuper illudunt Regi Francorum, postquàm Ianus Fulgosius Genuam occupasset, etiam auxilio quorumdam Francorum: sed hi obtinuerunt* Finale *oppidum*, Ægidius, Monstreletus, Belleforestius, & alij. *Cum Carolus VII. Franciæ Rex audiuisset Comitem Armaniacum filiam suam Regi Angliæ dedisse vxorem (addunt aliqui satis imperitè, quod se Comitem Armaniacum* Dei Gratiâ *diceret) misit in eum cum copiis Ludouicum Delphinum, qui eum cepit cum vxore ac filiis, & diu carcere detinuit*, Ægidius, Belleforestius, Duchesnius, & alij. Hoc anno submotus ab administratione Regni Humfredus, Margaritâ

Henrici VI. vxore adnitente, accuſatus de multis criminibus in Comitiis Burienſibus, & damnatus, noctu ne fieret tumultus, ſtrangulatus eſt, cùm annis ferè 25. adminiſtraſſet regnum, *Polydorus Harpsfeldius.* Dominicâ Palmarum nocte mare ad Dordracum rupit aggeres, & pluſquam centum hominum millia extinxit, cum pecoribus, & iumentis. In Zutphania audita ſunt terribilia tonitrua; & ad Rhenum venti validiſſimi ſæuierunt, ac copioſiſſimæ niues defluxerunt, *Trithemius in Chronico Sponheinmenſi.*

Anno Chriſti MCCCCXLVII. Ex Francofordienſi Conuentu Legati Eugenium Pontificem conueniunt, quorum vnus erat Æneas Syluius, miſſus à Friderico Imperatore, & in hoc negotio egregiam nauauit operam. Sic à Germanis agnitus eſt Eugenius legitimus Papa, cùm poſtulatis omnibus Germanorum acquieuiſſet, *Cochlæus, Gobelinus in Vita Pij II. S. Antoninus, Conſtitutio Eugenij IV.* His peractis obiit Eugenius IV. 23. Februarij, annos natus 64. cùm in Petri Cathedra ſediſſet annis 15. menſibus XI. & diebus viginti, vir planè magnus, & multis virtutibus exornatus, *Æneas Syluius, Platina, Volaterranus, S. Antoninus, à quo Eccleſiæ Sacramentis munitus eſt, & alij.* Succeſſit ei Thomas Sarſanenſis 6. Martij, humili loco natus, dictus Nicolaus V. in gratiam Nicolai Albergati qui ei Pontificatum prænuntiarat, coronatus 19. Turbæ Romæ compreſſæ, quas Stephanus Porcarius Eques Rom. dicacitate ſuâ concitare conabatur, *Platina, Onuphrius, Ciacconius, S. Antoninus, Ianotius Manettus in vita Nicolai V.* Fridericus Imperator in Aſceburgico Conuentu eum legitimum Pontificem agnouit 21. Auguſti per edictum ſuum, *Cochleus. Colloquium quoque Indictum Lugduni iuſſu Regis Francorum, de conſenſu ipſius Felicis, & Filij eius Ludouici, in quo de ceſſione Felicis ageretur, ſcriptíque aliquot Articuli, quæ Nicolao V. Romæ proponerentur, quò & Legati miſſi ſunt,* Monſtreletus, &c. Actum quoque de pace Italiæ inter Florentinos, Alphonſum Aragonum, & Siciliæ Regem, & Philippum Mediolanenſem, quæ morte huius Philippi euanuit, *Platina.* Enimuerò tum obiit Philippus Dux Mediolanenſis annos natus 57. 8. Auguſti anni ſequentis, ſi mors eius viginti & vnum diem Solis Ecclipſim præceſſit; vel vt alij volunt 13. Auguſti huius anni;

vir vultu quidem deformis, sed animo magnus, *Æneas Syluius, S. Antoninus, Iouius, Corius, vita Sancti Bernardini Senensis.* Probabile est Philippum nullum instituisse hæredem, immò exoptasse quod aliàs Caligula ἐμοῦ θανόντος γαῖα μιχθήτω πυρί, multis ergo eius ditionem prensantibus, eam Sfortia eius gener inuasit, qui filiam eius notham Blancham duxerat, *Sicque exclusus hæres legitimus Carolus Aurelianensis filius Valentinæ demortuæ, filiæ Ioannis Galeatij*, Corius, & omnes Francicæ Historiæ Scriptores. Casimirus coronatus est Rex Poloniæ 26. Iunij Cracouiæ: sequenti die orta controuersia inter Episcopos, & Duces Mazouiorum; sed hi tandem illis cessere. Deliberatum hîc quoque fuit an à Polonis Felici, vel Nicolao V. pareretur, Nicolaus Pontifex est agnitus, *Michouius, Cromerus.* Laurentius Valla, ob loquacitatem suam impietati propiorem, iussu Inquisitorum Neapoli per Claustra Dominicanorum manibus reuinctis post terga egregiè vapulauit; eius errores *Poggius enarrat*, sicut & hanc Historiam. *Denique hoc anno obiit B. Coleta Sanctimonialis Franciscana multis miraculis, & dono Prophetiæ illustris, ex cuius demortuæ corpore odor suauissimus afflabatur, index eius castitatis.* Ioannes Nider, Molanus, Wadinghus, &c.

Anno Christi MCCCCXLVIII. *Concordata* Germanis hoc anno à Nicolao confirmata sunt, *Bulla Nicolai V.* Bohæmi quoque initio benignè susceperunt Ioannem Carvaialium Legatum Cardinalem, qui in publica disputatione cum Rockysana Hussitarum Principe cùm huic peroranti hæsisset aqua, & subinde repetiisset hæc verba, *Æternum Dei Verbum*, offusísque diuinitus tenebris vltrà progredi non potuisset, Cardinalis ab iisdem verbis exorsus mirabilem orationem habuit, quâ multi ad fidem Catholicam sunt conuersi, *Cochlæus, Cardinalis Papiensis in fine suorum Commentariorum.* Hussitæ Duce Podiebracio potiti sunt Pragâ, captus Regni Gubernator Maynardus, obiit aut tædio carceris, aut ex veneno; sic factus Regni Gubernator Podiebracius, Archiepiscopus Rochysana, Catholicis frustrà vrbem recuperare conantibus, *Cochlæus, Æneas Syluius.* Contigit & hoc anno Huniadis expeditio in Turcos quibuscum prælium commisit in planitie quæ ab Hunga-

ris *Rigomezouiæ*, à Rascianis *Cosoua* dicitur, hoc est, *Campus Merulæ*, die 17. Octobris certatum acriter die Iouis, & tribus diebus pugnatum, 1. die cum magna cæde Turcorum; altero maiori damno Christianorum; 3. deleti omninò Christiani, Zechelus Huniadis Sororis filius præfectus Valachorum, cum Episcopo Coronensi Legato Apostolico interfectus, fugit Huniades per auia triduo sine cibo, & captus, à duobus latronibus, altero cæso, altero fugiente cùm se expediisset, Senderouiam à Rusticulo deductus, à Georgio Despota detentus est, nec dimissus nisi dato Ladislao filio obside. Cùm tamen à suis Hungaris receptus esset, armis ipse filium suum recepit, & ostendit se in perniciem Turcarum diuinitus fuisse reseruatum, Amurathes 34. millia suorum perdidit, Christiani tantùm octo millia, *Thurosius*, *Bonfinius*, *Æneas Syluius*, *Michouius*, *Cromerus*, *Leunclauius in Huniadem parùm æquus*. Inter hæc Mustapha missus in Albaniam ab Amurathe à Scanderbego victoriam, & suorum 10. millia perdidit, cum 15. signis militaribus, capti cum illo duodecim proceres Turci, cum castris, & ingenti prædâ ditati Albani, *Marinus Barletius*. Tota Italia, & maximè Longobardia bellis ciuilibus exagitata est, quæ Nicolaus V. sedare frustrà conatus est. Sæuiit & ibidem pestis, quæ biennium tenuit, à viris Sanctis, & Ecclipsi Solis 29. Augusti die Iouis prænunciata, *Platina*, *& Ciacconius. Franci procurare conantur Ecclesiæ pacem, missis Legatis nomine Caroli VII. Ludouici Delphini Regis Primogeniti, & Renati Andegauensis Siciliæ Regis, qui benignè à Nicolao habiti, saltem pacem informarunt.* Monstreletus, & Belleforestius. Ludouicus Sabaudiæ Dux Felicis primogenitus pacem eandem vrgens cum Friderico Rege Romanorum, Bolomerium quendam Felici abdicationem dissuadentem, & aliorum criminum reum, lapide ad collum suspenso demersit in lacum Lemanum. Basileensis Conuentus reliquiæ Lausanam se transferunt, vel metu Delphini cum copiis accedentis, vel eiecti à ciuibus Basileensibus iussu Friderici, *Wanderbruchius*, *Æneas Syluius lib. 7.* Diuisa regna Septentrionis in duo, Suecis creatus Rex *Carolus Canuti*; Danis & Noruegis *Christianus seu Christiernus*; *Ioannes Magnus*, *Krantzius*, *Æneas Syluius*. Conditus Ordo Crescentis Lunæ,

cum hoc lemmate, Los en Croissant, *à Renato Rege Siciliæ, Duce Andegauensi, cui est assignatus Dux S. Mauritius; quidam tamen referunt ad annum 1464. cùm eius Ordinis Statuta condita sunt,* Sammarthanus, Menenius, Fauinus, & alij. Finit hoc anno Chronicon suum Matthæus Palmerius Florentinus, mille *Annorum* à Prospeto, quod continuauit Matthæus Palmerius Pisanus ad 1481. quæ opera sæpè malè confunduntur, *Volateranus, Bellarminus*, &c. Nicolaus Cusanus, à Villa Cusâ ad Mosellam in Diœcesi Treuitensi, factus est Cardinalis, *Trithemius, Meyerus.* Corci Henricus Korch Lanius precibus S. Barbaræ ex mediis flammis mirabiliter exceptus est, monstro similis ad recipienda Ecclesiæ Sacramenta, *Surius. 4. Decembri post vitam Sanctæ Barbaræ ex Theodori Pauli Sacerdotis relatione, qui ei Sacramenta ministrauit. Concilium Andegauense in Prouincia Turonensi celebratum est, cui præfuit Ioannes Bernardi Arch. Turonensis, cùm Ioannes de Bella-Valle huic præesset Ecclesiæ: hîc editi Canones septem & Decem ad disciplinam Ecclesiasticam pertinentes, & in vno* Chariuarium, *vulgò* le Chariuari, *in secundis, & tertiis nuptiis prohibitum*, Feuardentius, & ex eo Posseuinus. Ioannes Palæologus mortuus est 31. Octob. cùm regnasset annis circiter 30. ab obitu Patris 23. annis 3. mensibus, & diebus 10. vixissétque annis 57. decem mensibus, & diebus 15. Successit ei frater Constantinus Palæologus cognomento Dracoses, nunquam tamen hic coronatus fuit, cùm tamen aliqui id Spartæ factum esse velint 6. Ianuarij anni proximè sequentis, *Ducas Bulialdi pag. 132. Quæ tamen Odericus Ragnaldus in annum sequentem ex Georgio Phranze refert.*

Anno Christi MCCCCXLIX. Felicissimus iste annus extitit Felicis V. Pseudopontificis abdicatione, *Adnitente potissimùm Carolo VII. Rege Francorum*, vt testatur *Gobelinus in vita Pij II.* Quanquam Fridericus Cæsar aliíque Principes, huic quoque negotio adlaborarint, *Monstreletus.* Lausanenses autem Patres, ne nihil fecisse viderentur Decretum emiserunt 25. Aprilis, quo Felice eximiis laudibus exornato ei concesserunt omnia priuilegia, quæ posteà à Nicolao V. huic confirmata sunt Constitutione editâ 17. Iunij: videlicet vt esset Sabinensis Episcopus & S. R. E. Cardinalis, ptimum in Ecclesia post Pontificem teneret locum,

cum, Legatus esset & Vicarius perpetuus Sedis Apostolicæ in Ditionibus Ducis Sabaudiæ viciníſque locis, ei venienti Pontifex assurgeret, ille tantùm osculum oris redderet, seruaret ornamenta Papalia, præter delationem Corporis Christi, Annulum Piscatoris, & Crucem in calceis, Cardinalis quoque Felicis aliis Cardinalibus adscripti, omniáque firmata diplomatis; sic Amedæus secessit Ripaliam, Deo atque saluti suæ deinceps sapienter vacaturus; toti autem orbi & maximè Italis hic nuncius gratissimus accessit, *Vanderbruchius, Author Amedæi pacifici, Acta Concilij Basileensis.* Promulgatum hoc anno in sequentem Iubilæum, *Constitutione emissâ 19. Ianuarij.* Turbata est Hispania ob Aluarum de Luna Ioanni Regi quàm par esset visum chariorem: fauit etiam rebellibus Henricus Ioannis filius, *Mariana lib. 22.* Sfortia potitur Ducatu Mediolanensi, repugnantibus tamen Friderico Cæsare & Carolo Rege Francorum, Ianno & ipsis Mediolanensibus, qui fame domiti ei se dedere compulsi sunt, quanquam eis Veneti fauerent, *S. Antoninus, Æneas Syluius, Philelphus Epist. lib. 7. Simoneta, Corius. Angli 24°. Martij Fulgerias intercipiunt, vnde bellum inter Francos & illos renouatum, cùm Duci Britanniæ Francisco non fieret satis,* Monstreletus, Charterius, Æmilius, Gaguinus, &c. *Capta Arx Maulisonium, seu Maloleo* Mauleon, *in regiuncula Sola vel Seula, seu Sobola,* Pays de Soule, *Diœcesis Oloronensis, per Gastonem Comitem Fuxensem nomine Regis Caroli VII.* Monstreletus, Gaguinus. *Capta quoque Rothomagus, Duce Sommerseto eam reddere compulso, initio Nouembris; Rex eam ingressus est 10. die eiusdem mensis, omnia malè cesserunt Anglis, ex quo Ioannam Arquensem crudeliter combussêre,* Meyetus, & omnes Franci, Anglíque Scriptores. Nec caruêre etiam turbis ciuilibus: Londini grauis est excitata seditio, in quâ Adam Episcopus Glocestrensis custos Regiorum sigillorum cæsus; Dux Suffolcius aliorum criminum reus datus est in carcerem, vnde emissus Henrici Regis iussu, dum Galliam petit vt securè viueret, incidens in milites aliquot Sommerseti efferatos, ob rem malè gestam, ab iis capite truncatus est, tanquam causa omnium malorum, *Monstreletus, Belleforestius, Polydorus, & alij.* Iidem Angli Scotiam bis ingressi contra fœdus, bis turpiter victi, *Iidem Scri-*

ptores, & Hector Boëthius, atque Buchananus. In Scotia Ioannes Cameranus Glaſcuenſis Epiſcopus, crudelis & auarus cæleſti voce ter ad Dei Tribunal euocatus, ingenti gemitu edito, linguâque exectâ fœdiſſimè obiit, *Iidem Boëthius, & Buchananus.* In Polonia Wladiſlaüs Archiep. Gneſnenſis Regni Primas, recuſat primum locum dare Sbigneo Epiſcopo Cracouienſi, facto Cardinali ab Eugenio, Felice, atque etiam à Nicolao, quæ lis ægrè compoſita eſt, ſtatutúmque ne quis deinceps in Polonia dignitatem Cardinalatus acciperet, Rege ac Senatu inconſultis, *Cromerus lib. 22.* Bellum gerebat hoc tempore Albertus Marchio Brandeburgenſis aduerſus Nurembergenſes, dictus *Achilles Germaniæ*, de cuius fortitudine mira prædicat *Æneas Sylvius.* Vidit eum adhuc Campanus in Conuentu Ratisbonenſi anno 1471. aítque fuiſſe virum eloquentem, & vafrum ideóque non *Achillem* modò, ſed & *Vulpem Germaniæ* nominatum, cicatricibus toto corpore, etiam ad terrorem ſparſis, horrendum.

Anno Chriſti MCCCCL. Celebratum hoc anno Romæ Iubilæum incredibili populorum concurſu, quorum incolumitati accuratiſſimè prouidit Nicolaus: multi tamen ibidem perierunt, ac ſemel obtriti, vel ſubmerſi ad Pontem S. Angeli 200. vel vt alij habent 400. interierunt, *Æneas Sylvius, S. Antoninus.* Tum in Sanctorum numerum telatus S. Bernardinus Senenſis, 24. Maij, adnitente potiſſimùm Ioan. Capiſtrano, Vicario Ordinis Generali, qui tum adfuit cum tribus millibus, & octingentis eiuſdem Congregationis de Obſeruantiâ: adfuit inter cæteros B. Didacus Hiſpanus frater Laïcus, qui ex Inſulis Canariis, vbi præfectutam gerebat, aduenerat, multáque deinde egregia præſtitit, in Sanctorum numerum 1588. relatus à Sixto V. *Bulla Canonizationis vtriuſque.* Idem Ioan. Capiſtranus Congregationem ſuam auxit in Germania, *Gobelinus in vita Pij II.* Amurathes Croiam obſidet, ſed tantâ fortitudine eam Scanderbegus defendit, vt Turcum obſidionem ſoluere compulerit, vnde ex mœrore poſteà obiit, *Martinus Barletius in vita Scanderbegi lib. 7. Angli grandi clade affecti ſunt ad Forminiacum vicum inter Carentanum, & Baiocaſſes, per Comitem Claromontium primogenitum Ducis Borbonij, & Riche-*

montium Comitem Stabuli 15. Aprilis 4. millia cæsi, capti 1500. cum isto Duce Thoma Kyrielo, è Francis tantùm octo desiderati; quam ob causam habita Parisiis supplicatio 12. millium puerorum, ab anno 7. ad 11. facem manu præferentium per Guil. Charterium Vrbis Episcopum; inde Captæ Baiocæ, Cadomum, ac denique Cæsaroburgum Cherbourg, *ideóque à Carolo Rege indictæ in perpetuum 12. Augusti toto regno supplicationes.* Monstreletus, Charterius, Gaguinus, Nicol. Ægidius, & alij. *Contigit & hoc anno, exeunte Aprili, mors Ægidij, quem Frater Franciscus Dux Armoricæ Britanniæ dederat in vincula per calumnias Arturi de Monte-Albano, nobilis Britonis. Hunc enim absente Duce, idem Arturus, priùs per multa venena tentatum, per suos satellites mappâ strangulandum curauit. Sed hic monuerat Franciscanum confessarium suum, vt auditâ morte suâ Franciscum adiret, eúmque intra 40. diem ad Dei tribunal citaret, quod & contigit, Duce intra hoc tempus demortuo. Mortis huius authores posteà grauiter puniti, Arturus vt supplicium declinaret factus est Cælestinus, posteà à Ludouico XI. creatus Archiep. Burdegalensis, id petente eius fratre Ioanne de Monte-Albano Archithalasso,* Monstreletus, Belleforestius, Argentræus, *& paulò diuersè,* Æneas Syluius. *Franciscus ille Armoricus, si id excipias, optimus Princeps, in memoriam Aui sui Ioannis Ordinem instituit dictum* Spicæ, *siue Arminij* de l'Hermine, *quia Torquis contextus erat ex spicis frumenti ex quo pendebat mus Ponticus, seu Alpinus candidus cum Lemmate,* à ma vie, *quia hoc animal mauult mori, quàm fœdari,* Fauinus in Theatro Honoris, & Menenius de Ordinibus Militaribus. Obiit hoc anno Henricus Landshutensis Bauariæ Dux cognomento *Diues*, cui filius Ludouicus successit: hic à Patre durè habitus, & asperè & parcè, nunquam induci potuit, vt ad Albertum Austriæ Ducem Auunculum suum fugeret, ne parenti à quo vitam acceperat, mœrorem crearet, *Auentinus lib. 7. rerum Boicarum.* Huc etiam pertinet illustris concordia duorum Ducum Saxoniæ Friderici, & Guillelmi, inter quos cùm bellum esset ob paternam hæreditatem, quod eorum fouebant proceres, illi abominati dissentionis authores sese inuicem complexi deinceps concordissimè vixerunt, *Æneas Syluius in sua Europa.* Insula Castri Rubei munienda data est Regi Aragonum à Nicolao: sed opus impediuere. Equi-

tes Rhodij, & Arcis eo loco excitandæ consilium inierunt, *Diploma Nicolai lib.* 8. *&* *Bosius in Historia Hospitalariorum lib.* 6. Translatus est hoc anno Venetias, Gradensis Patriarchatus, cuius primus fuit Patriarcha B. Laurentius Iustinianus, *Bernardus Iustinianus in eius vita.* Obiit hoc anno Lud. Alemannus Arch. Arelatensis Cardinalis maximus, author Basileensis Schismatis, restitutus à Nicolao V. & post obitum miraculis clarus, quem Clemens VII. vt Beatum coli permisit, eiúsque ossa in honorificum locum transferri, *Æneas Syluius, Guill. Paradinus, Sadoletus, & alij.*

Anno Christi MCCCCLI. Amurathes II. Turcorum Princeps obiit die Mercurij 3. Febr. anno Græcorum 6959. primo die (quem *Muharram* vocant) anni 855. Hegiræ, cùm regnasset annis vno & triginta, obiit autem ex mœrore solutæ obsidionis Croianæ, vel ex Apoplexiâ, cùm se in conuiuio ingurgitasset vino. Mors eius occultata diebus 13. donec rediret ex Asia Mahometes, eius nominis Secundus qui Hadrianopoli 16. Febr. successit Patri, Iuuenis annorum vnius & viginti, tanto odio flagrans in Christianos, vt si quos offenderet in via, sibi oculos aquâ elueret; cæterùm bellicosissimus, & ad perniciem Christianorum natus atque factus; qui statim de more sustulit omnes fratres suos, & qui sibi negotium possent facessere; ex quibus tamen aliqui seruati dicuntur, sed qui omnes inter Christianos consenuerunt, *Marinus Barletius, Chalcondyles, Phranzes, Leunclauius, Ducas à Bulialdo editus.* Fridericus Ladislaum duodennem suis reddere negat, atque eum secum in Italiam ducere destinat; obsistêre huic itineri primum Hungari, immò Huniades Regni gubernator Austriam incursauit; sed tandem acquieuêre permoti Oratione Æneæ Syluij, qui Friderico egregiam in hoc negotio nauauit operam in Hungariâ, & in Bohæmiâ contra Hussitas, *Æneas Syluius, Cochlæus, & alij.* Ioannes Capistranus concionator insignis, quamuis senex & annorum 60. mittitur in Germaniam, vt Nuncius Apostolicus, vbi mira præstitit quotidie concionatus, ægrotos visitans, multósque sanans imposito Sancti Bernardini Senensis pileolo; multùm ab illustribus viris, & nondum satis laudatus. Perrexit & in Bohæmiam, vt cum Rochysana Archiep.

Pragensi disputaret, sed eius eloquentiam, & sapientiam suis artibus Hæreticus nequam elusit, *Cochlæus. Angli totâ Aquitaniâ depelluntur à Comite Dunensi, captâ Burdegalâ, ac demum Baionâ; sic Anglis nihil relictum præter Calisium; quando & lucida Crux, & candida in cælo apparuit*, Monstreletus, Charterius, Gaguinus, &c. Depugnant inter se Rex Nauarræ Ioannes Aragonius & Carolus Vianæ Princeps eius filius; hic captus, & carcere inclusus, vbi nihil gustare voluit, nisi quod à fratre cui se dediderat prægustaretur, *Mariana, lib. 22. Oihenartus in notitiâ Vasconiæ.* Missus est Constantinopolim Isidorus Cardinalis Ruthenus à Nicolao vt multas turbas componeret, qui demum Græcorum cladi implicitus est, *Æneas Syluius.*

Anno Christi MCCCCLII. Fridericus Cæsar Italiam ingreditur hoc anno ineunte, & secum deducit Ladislaum Hungariæ, atque Bohæmiæ Regem, vbique splendidè exceptus, & multis muneribus donatus. Venetiis cùm vasa crystallina recepisset, ea à morione suo frangenda curauit, ac sibi eorum loco reponi Aurea. Coronatus est Romæ vtrâque coronâ, Ferreâ, & Aureâ, cum vxore sua Eleonora Lusitana 19. Martij die Dominicâ: Inde Neapolim petrexit, vbi exceptus est magnificentissimè ab Alphonso; rediítque Romam, vnde repetiit suam Germaniam spretus ab Italis qui pluris faciunt Imperatorem fortem, quàm splendidum, *Cochlæus, Gobelinus, Dubrauius, Platina, Constitutio Nicolai V. Nauclerus, Collenutius, Manetus in vita Nicolai V. & alij.* Idem Fridericus in Germaniam redux, cùm reddere Ladislaum nollet magnis precibus petitum, victus est à suis, & obsessus intra Nouam Vrbem, eum restituere compulsus est. Sed cùm iunior esset, neque satis aptus ad duorum Regnorum administrationem, Hungaria Huniadi, Bohæmia Podiebracio, Austria Vlrico Ciliæ Comiti eius auunculo sunt demandatæ, vnde tamen aliquæ turbæ enatæ ob hunc Vlricum, quas dum sedare nititur Nicolaus Pontifex, non eâ tractatus est reuerentiâ quâ Papa debuit, *Æneas Syluius, Cochlæus, Dubrauius, Bonfinius. Aquitaniam ingressus Talbotus Anglus, Burdegalam dedentibus se ciuibus recepit, vicinasque ciuitates*, Monstreletus, Chatterius, Gaguinus, &c. *Cardinalis Estotauillæus 1. Iunij, Academiam Pari-*

siensem legibus optimis ordinat, Massonius in Nicolao V. *Idem de mandato Regis præfuit Conuentui Bituricensi initio eiusdem mensis, vbi disputatum de Pragmaticâ Sanctione, quæ à pluribus probata est, paucis repugnantibus*, Chronicon Ecclesiæ Burdegalensis. Mensis Ianuarij die 13. obiit Amedæus dictus olim Felix V. Geneuæ 67. annos natus, menses quatuor, diem vnum, clatior deposito Pontificatu, quàm gesto, sepultus est Ripaliæ, vnde eius ossa translata Taurinum, post obitum, miraculis clarus, *Bergomas, Pingonius, Monetus in Amedæo Pacifico. Carolus VII. arma mouit in Ludouicum Amedæo filium; Placata tamen Regis ira per Cardinalem Estotuillæum. Ludouicum hunc sua regebat vxor Cyprij Regis soror, audax fœmina, & virilis animi, atque consilij.* Wandetbruchius, & Æneas Syluius. Iudæi in Silesia exagitati, multi ex iis flammis exusti, quòd contumeliis S. Eucharistiam multis affecissent, *Annales Silesiæ.*

Anno Christi MCCCCLIII. Contigit infortunatissima Constantinopoleos iactura, quam vi occupauit Mahometes Secundus, cùm eius propugnationem Iustinianus Longus tam turpiter deseruisset, quam generosè inchoarat; cæsus Imperator Constantinus Dracoses, Helenæ filius. Vrbs crudeliter direpta, & more Turcico; quod contigit, non Feriâ tertiâ Pentecostes (in vltionem erroris Græcorum de Spiritu Sancto, vt quidam malè putauerunt) sed die Martis post Festum SS. Trinitatis anno Græcorum 6961. vigesimo die mensis Giumadi, anno Hegiræ Saracenorum 857. anno Iudæorum 5213. Indictione prima, post 1124. annos & duodeuiginti dies, ex quo Constantinus Magnus eam condidisset XI. Maij anno Christi 330. *Leonardus Chius, Franciscus Foscarus Dux Venetiarum, Ducas Bullialdi, Gennadius Scholarius, S. Antoninus, Æneas Syluius, Phranzes qui tum captus est, Chalcondyles, Monstreletus, Annales Turcici Theodori Zygomalæ, quos sequuntur Petauius, Spondanus & melioris notæ Chronologi, contra Onuphrium, Scaligerum & paucos alios.* Quadraginta hominum millia trucidati, sexaginta millia capti, ac venditi, tot inuenti thesauri vt prouerbium diu viguerit de Turcâ diuite, cum direptioni Constantinopoleos interfuisse. Isidorus Ruthenus Cardinalis Legatus Nicolai V. per varios casus euasit mutatâ veste cum milite

demortuo qui eum de vultu non malè referebat ac venditus, & vili pretio redemptus. Pera turpiter Turcis reddita à Genuensibus, qui nihilominùs spoliati pœnas suæ ignauiæ, atque auaritiæ dederunt. Exinde Mahometes vrbem exhaustam reparare conatus est, accitis vndequaque ciuibus: permisit & eligi Græcorum Patriarcham, quorum primus fuit Gregorius Scholarius, qui Gennadius dici voluit, scriptis suis pro fide Catholica illustris, cum eo etiam egit amicè Mahometes, & de rebus fidei disputantem familiariter audiit. Viuebat tamen adhuc Romæ Gregorius Patriarcha Orthodoxus, qui Constantinopolim iam ab anno 1440. deseruerat, obiítque tantùm 1459. cui successit Isidorus Ruthenus Cardinalis, quem excepit 1463. Cardinalis Bessarion, *Ij qui suprà Scriptores*. Intereà Scanderbegus egregiè retundebat Turcos, nec victor, nec victus quiescere solitus. Expertus est rebellem Mosem, quem tamen victum recepit in gratiam, ex recordatione pristinæ virtutis, cui prævaluit præsens iniuria, *Martinus Barletius in vita Scanderbegi. Delata est hoc anno in Sabaudiam sacra Sindon, quâ inuolutum est Christi demortui Corpus Aromatis conditum, quæ etiamnum eius anticæ, & posticæ partis seruat vestigia: primum in Sacello Ducis seruata, mox translata Taurinum vbi religiosè colitur*, Pingonius, Chiffletius, Gualterius, &c. *Pulsi sunt hoc demum anno è tota Gallia Angli, in quam Talbotus irruperat, & potitus erat Burdegalâ, & aliquot ciuitatibus vicinis; sed is demum victus, & cæsus est in prælio, ad Castillionem agri Petricoriensis, quare cusa Parisiis numismata, quæ essent magnæ huius victoriæ perpetua monimenta*, Monstreletus, Charterius, Gaguinus, Polydorus, Ægidius, &c. Inuitatus ad pacem Henricus Anglus, Carolo ad eam inclinante, respondit se pacem initurum cum Francis, quando eis agri tantùm eripuisset in Galliâ, quantùm perdiderat, *Philelphus Epistola 9.* In Italiâ quoque bellum feruebat, inter Venetos, & Sfortiam Ducem Mediolanensem, Alphonsum Neapolitanum Regem, atque Florentinos, *S. Antoninus, Fazellus.* Romæ coniuratio concitata in Nicolaum V. per Stephanum Porcarium exulem, Bononiâ euocatum, à quibusdam seditiosis Romanis, qui tandem inuentus pependit ex Arce S. Angeli terriculum seditiosorum, *Æneas Syluius*,

S. Antoninus, & alij. In Pannonia sæuiebat collectis copiis Axamit latro quem Huniades ægrè compescuit, *Æneas Syluius.* Ladislaus Pragæ coronam accepit, contemptis Podiebrachio, & Rochysanâ Archiepiscopo Hussitis, *Idem Æneas.* In Hispania Aluarus de Luna prope Dominus Castellæ Regis Ioannis, eius iussu captus caput publicè perdidit Vallisoleti 5. Iulij, *Mariana lib.22. c. 12. & 13. Iacobus Cuerius,* Iacques Cœur, *Biturix, Caroli VI. Gazæ præfectus accusatus de commercio armorum, & pecuniæ cum Sultano Ægyptio, fugit (vt vitaret supplicium) in Orientem, vbi egregiam aduersus Saracenos nauauit operam; quare* in eius Elogio dicitur, *Capitaneus generalis Ecclesiæ aduersus infideles, & obiisse 25. Nouemb.* 1456.

Anno Christi MCCCCLIV. celebratur Ratisponæ Conuentus de bello Turcis inferendo, sed hic inutilis fuit, *quoniam Philippus Burgundus imprudenter abalienatus fuit.* Alij quoque Christiani Principes res suas, quàm Christi curare maluerunt. Genuenses communi fœdere exclusi: Veneti inière cum Turcis pacem: Heluetij in Austriacos odium exercuêre, sícque pium opus discussum est, *Monstreletus, Oliuarius, Marchantius, Meyerus, Æneas Syluius.* Ioannes Castilliæ Rex obiit 20. Augusti cùm vixisset annis 50 ac duodequinquaginta regnasset. Successit ei filius Henricus annos natus triginta, *Liberalis* nuncupatus, licèt fœdissimis moribus, quam turpitudinem eius magnificentia detersit, *Mariana, Nebrissensis.* Prutheni malè habiti à Cruciferis, quibus nimiùm videbatur indulgere Nicolaus V. ad Casimirum Poloniæ Regem confugiunt, eíque se dedunt, vnde graue exortum est bellum, quod multos annos tenuit, *Æneas Syluius, Krantzius, Michouius, Cromerus.* Hoc anno Angli Franciæ penitus obliti sunt, nam Richardus Dux Eboracensis Regnum affectans, primùm Duces Sombressetum, & Glocestrensem suos & Regis propinquos dedit in custodiam, operâ plebis Londinensis. Sed vtrumque Rex soluendum curauit, & Sombressetum Regni Administrum dixit, quare sibi metuens Richardus abscessit; verùm cum copiis rediit, pugnâque commissâ Sombressetus cecidit, Rex in collo saucius, Londinum quasi in triumphum ductus, sícque Rosa Candida, seu Eboracensis, Rubræ siue Lanca-

strensi

strensi præualuit, *Monstreletus, Belleforestius, Polydorus.* Denique hoc anno in Comitiis Francofordiensibus decretum est aduersus Turcos & Mahometem bellum, operâ maximè Æneæ Syluij, & Ioannis Capistrani; qui vulgò habebatur vt Prophetes: Æneas autem orationem tam potentem habuit vt omnes accenderet, quod ipse sub Gobelini nomine expressit, laudum suarum minimè parcus, *Gobelinus lib.*1. *& Æneas Syluius epistolâ* 131.

Anno Christi MCCCCLV. Mortuus est 8. Ianuarij B. Laurentius Iustinianus, primus Venetiarum Patriarcha, dictus ab ipso Pontifice, & salutatus *Decus & Gloria Præsulum,* qui inuitus hanc dignitatem susceperat, & eâ se dignissimum reddiderat, animi sui demissione erga Ducem & Senatum; quinque tantùm annis huic Sedi præfuit instar Angeli, atque omnium egenus obiit, séque sepeliri iussit in suo Monasterio Canonicorum S. Georgij in Algâ, sed obstitêre Canonici Sedis Patriarchalis, quare corpus eius in Sacrario diebus septem atque septuaginta, dum lis dirimeretur, & incorruptum, & odorum remansit: sic ad illud visendum ex vicinis agris, atque etiam ex Illyrico & Epiro decursum est; sepultumque 17. Martij, multis deinceps miraculis claruit, *Palmerius in Chronico, & Vita eius operibus præfixa ab eius nepote Bernardo Iustiniano, & eius officium.* Athenas hoc anno expugnauit Mahometes: itemque classe Ægæi maris Insulas vastabat, & aliquas oras, exscensione factâ. Turcæ atque Tartari iunctis viribus Caffam Vrbem Tauricæ Chersonesi Christianis eripere moliuntur, *Zygomalas in Turco-Græcia.* Lusitani in Africa & Indiis multa loca, & Insulas occupant, quæ Lusitanici iuris fecit Nicolaus V. & confirmauit Callixtus III. *Historiæ Indicæ & Lusitanicæ Scriptores, & vtriusque Papæ Diplomata.* Florebant tum viri prædicti charissimi Nicolao, Georgius Trapezuntinus, Laurentius Valla, Petrus Candidus, December Georgius Castellanus, Demetrius, &c. *Æneas Syluius, Philelphus, & alij.* Obiit item Romæ Nicolaus V. 24. Martij, cùm Petri sedem tenuisset annis octo, ac diebus vndeuiginti, vir magnificus, vt literatorum amor, quos magnis muneribus excitauit, & fouit, *Æneas Syluius, Poggius, Philelphus, S. Antoninus, Platina, eius Epitaphium.* Cardinales quindecim eli-

gere voluerunt Bessarionem, sed restitit Alanus Coëtiuius Brito Cardinalis, negans eligendum Neophytum, & Græcum, eiúsque authoritas reliquorum voluntatem inflexit. Electus ergo Alphonsus Cardinalis ex Borgianâ familiâ octauo Aprilis, quem futurum Pontificem B. Vincentius Ferrerius præcinuerat, ideóque eum in Sanctorum numerum retulit: coronatus 20. eiusdem mensis, dictus est Calixtus III. *Gobelinus in vita Pij II. Platina, & alij.* Votum emisit de bello in Turcas promouendo Callistus, quod priuatus conceperat, ídque Principibus omnibus, Regnísque Christianis plurimùm voluptatis attulit, *Cochlæus, Æneas Syluius, Gobelinus, S. Antoninus.* Hoc tamen turbauit Alphonsus Aragonius, non satis cum eo concors, quia eum vt subditum, non Pontificem tractabat, *Æneas Syluius, Gobelinus, S. Antoninus. Idem Callistus hoc anno causam Ioannæ puellæ Aurelianensis retractari iussit, atque anno insequenti innocentem, & malè damnatam pronunciauit 7. Iulij*, Codex M. S. Victorinus, Bergomas, Delrio, Belleforestius, & alij Francicæ Historiæ Scriptores. *Carolus VII. Comitem Armaniaci totâ ditione suâ spoliauit, sibi contumacem atque Pontifici, ob constitutum illegitimè Præsulem in Ecclesiâ Auxitanâ, & illegitimas nuptias*, Æneas Syluius, Monstreletus, Belleforestius. *Concilium Suessionibus celebratum est à Ioanne Iuuenali de Vrsinis Arch. Rhemensi, mense Iulio, Indictione 3. anno 1. Pontificatus Callisti III. in Tomis Conciliorum.*

Anno Christi MCCCCLVI. Obsessa est à Mahumete II. 150. millibus armatorum Belgradum, seu Alba-Græca vrbs Seruiæ munitissima, & arx ab hac parte Christianitatis, sita ad Saui atque Danubij Confluentes. Legatus Ioan. Caruaialius Cardinalis in eius auxilium 40. millia Christianorum adduxit, quos potissimùm accenderat concionibus suis Capistranus, exemplo suo, & alacritate Ioannes Huniades Hungariæ Prorex, qui eandem aliàs fortiter aduersus Amurathem propugnarat. Et primùm certatum in fluuio tantâ cæde vtrinque, vt hic sanguine totus rubuerit. Irrupêre tandem in vrbem Christiani, quam nihilominus expugnare tali auctam præsidio conatus est 22. Iulij Mahumetes, sed fortiter repulsus, etiam plagam accepit in pectore; quæ cùm lethalis putaretur, raptim soluta ob-

ſidio, relictæ machinæ, quadraginta millia Turcarum cùm Baſſa Europæ, & pleriſque Proceribus Turcis periêre, nuſquam Turcæ maiorem accepêre cladem, & quandiu vixit Mahumetes, huic diei maledixit: Huius victoriæ gloriam omnem ſibi ſoli Huniades, & Capiſtranus arrogarunt, quæ tamen vtrique fuerat communis, *Turoſius, Bonfinius, Dubrauius, Chalcondyles, Æneas Syluius, Monſtreletus, & alij.* Ob eam victoriam anno ſequenti inſtitutum eſſe Feſtum Transfigurationis 6. Auguſti quidam volunt, & huius Officium ab ipſo Callixto compoſitum eſſe, verùm celebratum fuiſſe à Græcis & Latinis anteà certum eſt, *Baronius in notis in Martyrologium Rom. Suarez, Platina* & *S. Antoninus.* Ex nimio labore in hac propugnatione obiit Huniades 10. Sept. Zempleni, quem numquam deſeruit Capiſtranus, qui Villaci Sirmienſis Diœceſis obiit 23. Octobris, ab obitu Huniadis nunquam ridere viſus. Colitur vti Beatus in territorio Capiſtrani prope Aquilam in Aprutio, annuente Leone X. *Henricus Sedulius Franciſcanus in eius Vita, & alij.* Comes Capiſtrani fuit Iacobus Picens, & ipſe in vita & poſt obitum miraculis clarus, *Venantius Fabrianus eius Sodalis, in illius vitâ.* Alphonſus Neapoli circa Lucretiam inſaniebat dum contemneret Romanum Pontificem; quidam hanc Lucretiam caſtiſſimam fuiſſe aſſerunt, & antiquæ Lucretiæ Romanæ parem; alij nobile eius Scortum, *Mariana lib. 22. &c.* Creatus eſt hoc anno Cardinalis Æneas Syluius, vir maximi ingenij, atque ex tenuiſſimis initiis, & vltimâ paupertate tandem ad ſummam dignitatem, & primam elatus, *Æneas ipſe, & Cardinalis Papienſis in Epiſtolis. Ludouicus Delphinus tum procul à Patre viuebat, in Delphinatu, ditione ſuâ, nec reuocatus ad Carolum redire volebat; ad eum itaque miſſus eſt Mareſchalus Chabanenſis cum exercitu, quem ille veritus, fugit ad Ducem Burgundiæ, à quo eſt magnificè ſuſceptus. Cauſæ variæ diſſidij inter filium & Patrem proferuntur, quòd Ludouicus pulchram Agnetem Caroli delicias ſuſtuliſſet, quòd aliam coniugem priore mortuâ inconſulto Patre duxiſſet; quòd ei malignè à parente pecunia ſuppeditaretur; & aliæ parùm probabiles. Hoc certum, Carolum Agnetem illam deperîſſe, eius affines omnes ad dignitates promouiſſe, eam locupletaſſe; ſuſcepiſſe etiam ex ea filias non eſt improbabile, quod tamen ſemper Rex pernegauit; illa pien-*

tissimè mortua est. 60. aureorum millibus in pauperes effusis, quibus vitæ præterita culpas eluere conata est, Monstreletus, & alij Francicæ Historiæ Scriptores. *Ioannes Alenconij Dux Princeps Regij sanguinis, quòd Anglos in Franciam inuitaret, iussu Caroli datus in vincula hoc anno, post biennium Parium Franciæ iudicio addictus est neci, quæ tamen mutata est in perpetuum carcerem, quem posteà Ludouicus effregit. Dati quoque in custodiam Otho Catellanus Florentinus Regiæ Gazæ custos, & Guillelmus Gonfierius primus Regis cubicularius, quòd sibi gratiam Regis magicis artibus conciliasse dicerentur; quoniam in aulis Principum neque improbi, neque calumniatores vnquam defuerunt*, Monstreletus, Belleforestius, & alij.

Anno Christi MCCCCLVII. Ecclipsis Lunæ contigit 3. Decembris, quam *Georgius Purbachius eiúsque discipulus de Monte-Regali* accuratè obseruarunt. *Galli exscensione factâ Sanduicum in Anglia occupant*, Monstreletus, & alij. Ladislaüs Hungariæ Rex Ladislaum, dictum aliter Ludouicum, filium Huniadis annorum 24. formâ atque generositate præstantem, Budæ captum, quòd Vlricum Ciliæ Comitem curasset interimendum, tortoris manu cædi iussit; quando hic tanto commiserationis sensu commotus est, vt rei vix quarto ictu caput resecuerit, *Æneas Syluius, Thurosius, Bonfinius*. Idem Ladislaüs Bohæmiæ, & Hungariæ Rex reconciliatur Friderico operâ Callixti; verùm Pragæ, in quam vrbem venerat celebraturus nuptias cum Margarita filia Caroli VII. Franciæ Regis à Podiebraccio, & Rochysana Hussitis veneno necatur, 13. Nouembris, magno omnium dolore, quia par videbatur ad Turcos retundendos, *Æneas Syluius, Dubrauius, Cochlæus, Bonfinius, &c.* Mahometes copias suas immittit in Scanderbegum, sed eas hic egregiè retudit atque dissipauit, *Marinus Barletius, Æneas Syluius, Epistola Callisti*. Iidem Turcæ in Insula Lesbo oppidum obsidebant, cuius iam muri partem tormentis bellicis euerterant, & per eam factâ testudine conabantur irrumpere. Dum ergo propugnatores aut de fugâ, vel de deditione cogitant adfuit armata Virgo, quæ suos ciues hortata hostem ipsa submouit, & aliquot barbaros suâ manu cæcidit: cuius exemplo animati ciues luculentam de Turcis retulêre victo-

riam, *Æneas Syluius ex relatione Episcopi Caffensis (qui tum in Insula Lesbo agebat) coram Callisto Pontifice.* Cardinalis quoque Aquileiensis eosdem Turcos Ægæi maris Insulas depopulantes egregiè retudit, multas eorum naues demersit, Ægyptios, Cilicas, Rhodios exterruit non tantùm fortis Imperator, sed etiam iustus, vt pote qui duos Callisti nepotes Cyprum populatos dederit in vincula, quod factum coactus est probare Callistus, quantumuis suorum, quàm Pontificem deceret, amantior, *Idem Æneas Syluius.* Vsumcassanus quoque Persarum Rex Turcis non parùm negotij exhibuit à Callisto, & Venetis in eos excitatus: hoc enim anno multa eis oppida eripuit, illósque duobus prœliis attriuit, *Bizarrus in Historiâ Persicâ libris 9. & 10.* Vsumcassanus ille à Chalcondyle vocatur *Cassanes Longus*, quod *Vsum* linguâ Persicâ *Longum* sonet; à Phranze *Zuchasanes*, à Latinis Suncassan & Huscasan; denique à familia sua *Assembeius.* Huic cùm in sortitione prouinciarum obtigissent Cappadocia, & Armenia, etiam depulsis Tartaris occupauit Persidem, duxit vxorem filiam Dauidis Comneni Imperatoris Trapezuntini, & cum eo iunxit societatem, *Idem Bizarrus, Æneas Syluius, Platina, & alij.* Veneti hoc anno Franciscum Foscarum Venetiarum Ducem postquàm annis 35. sanctè, fortiter, prudenter, & cum summa laude administrasset, abdicarunt, non aliam ob causam quàm quòd annum vitæ nonagesimum decurreret, cùm tamen huic tum muneri aptissimus esset. Relicto ille Palatio, secessit in propriam domum mœrens, vbi paulò pòst obiit. Filius eius quasi aliquid molitus esset in Remp. acerbissimè tortus, ac nihil confessus relegatus est in Peloponnesum, vbi miser interiit. Gener eius qui Cretam administrabat reuocatus, grandi pecuniâ multatus, in exilium quoque depulsus est. Foscaro suffectus est Paschalis Maripetrus, vsus commodè pace quam Franciscus pepererat, *Æneas Syluius. Peregrinationes hoc anno à Francis susceptæ sunt ad S. Michaelem in periculo maris Diœcesis Abrincensis, tantâ frequentiâ, vt multi aliquid Diabolicum suspicarentur. Incedebant distincti in turmas, fœminæ seorsim à viris, vexillum deferentes in quo depicta erat imago Sancti Archangeli, patriâ voce Carmen inconditum occinentes; sed hic ardor breuì deferbuit,* Monstreletus & Magnum

Belgij Chronicon, *Auenione Concilium celebratum pro restituenda Ecclesiæ disciplina*, Historia Ecclesiastica Arelatensis. Hoc denique anno Rhodo Spina coronæ, quâ Christus patiens redimitus est, quotannis circa meridiem (aut, vt alij volunt, ad Auroram) florere solita in Parasceue, seruata in Sacello Magni Magistri, cùm ab aliquot annis florere desiisset tempus præueniens tribus horis, cœpit reflorescere coram ipso Magistro Iacobo Millio, & multis Equitibus, cuius rei memoria adhuc Melitæ recolitur, *Bosius in Historia Hospitalariorum.*

Anno Christi M C C C C L V I I I. Matthias Coruinus annorum 18. (Labbeus 13. scribit) detentus in Bohæmia captiuus, adnitente auunculo suo Zilagio, viro bellicoso, & prudente, Hungariæ Rex eligitur 24. Ian. cui & Podiebraccius filiam suam dedit vxorem, cum dote 60. millium aureorum, eúmque magnificè reduxit. Georgius seu Gyrziko Podiebraccius ab suis Hussitis electus est Rex Bohemiæ 3. Martij die Iouis post 3. Dominicam Quadragesimæ *Oculi*, cùm idem Regnum Fridericus Imperator, Carolus V II. Francus, & Casimirus Polonus frustrà prensassent, *Æneas Syluius, Bonfinius., Nauclerus, Cochlæus, Dubrauius.* Fato functus est hoc anno Alphonsus Magnus & multis virtutibus vitiísque concretus, in quo tamen vitia præualuêre; quæ tamen viri eruditi, quos impensiùs amauerat, suis laudibus obruêre. Reliquit Aragoniæ Regnum fratri suo Ioanni, qui Regnum Nauarræ rapuerat; regnum autem vtriusque Siciliæ filio suo notho Ferdinando, suscepto ex duplici adulterio, cui tamen turpissimi natales, ob fortitudinem eruditioni coniunctam, nihil nocuêre. Hunc accipere Regnum prohibuit Callistus, sed huius minæ contemptæ. Maius ei negotium fuit cum Carolo Vianæ Principi, Nauarrici regni hærede, qui tum agens Neapoli sibi hoc deberi Regnum putauit, vt pote filio legitimo fratris Alphonsi; sed is videns sibi deesse vires secessit in Siciliam expectaturus, an sibi fortuna, tempúsque fauerent. Euocatus est quoque à Neapolitanis Ioannes Rex tum Aragonum; verùm ille Aragoniam seruare maluit, ne instar Æsopici canis, dum dubium regnum prensat, pro certo, vtrumque perdat; sícque Legationem Neapolitanorum

contempſit. Hi ergo confugère ad Ioannem Andegauenſem Renati filium, qui tum præerat Genuenſibus, eò miſſus à Carolo VII. *Æneas Syluius, Nauclerus, S. Antoninus, Iouius, Collenutius, Fazellus, Surita, & alij.* Callixtus Pontifex, dum turbare Ferdinandum parat, exceſſit è viuis, ætatis anno 80. Sexto Auguſti, vbi tribus annis, tribus menſibus & 29. diebus in Petri Cathedra ſediſſet. Dum eius celebrarentur exequiæ obiit Dominicus Capranica Cardinalis, eligendus ſi ſuperuixiſſet in Ro. Pontificem, propter eximias eius virtutes, *S. Antoninus, Platina, Gobelinus, & alij.* Calliſto ſucceſſit Æneas Syluius patriâ Senenſis, ex nobili familia Piccolominea, ſed inope, electus 19. Auguſti, coronatus & dictus Pius II. 3°. Septembr. Hic ſtatim in bellum Turcicum incubuit, in quod eius Anteceſſor reliquerat centum & 45. millia nummorum aureorum, vt vult *Platina*, vt *S. Antoninus* centum atque 50. millia. Statim ergo ad omnes Chriſtianos Principes Litteras dedit, quibus eos ad hoc Sacrum bellum excitabat, *Gobelinus, Platina, S. Antoninus, Epiſtolæ Pij II. &c.* Idem Pius II. (ſic enim deinceps vocabitur Æneas Syluius) confirmauit Regnum Neapolitanum Ferdinando, miſſo Cardinale Vrſino qui eum coronaret, ſed non ſine eiuſdem Pontificis, eiúſque familiæ commodo, *Collenutius, Monſtreletus, & alij.* Pij II. res geſtas accuratè conſcripſit Gobelinus Vicarius Bononienſis libris 12. quos tamen quidam putant ab ipſo Pio conſcriptos, ſed à Gobelino dum eos exornare conatur, corruptos, *Platina & alij benè multi.* Mahometes II. Corinthum occupat, totámque Peloponneſum ſibi facit vectigalem, dum Demetrius, & Thomas Palæologi inter ſe decertant, ſícque Turcorum negotia promouent, *Chalcondyles, & Phranzes.* Gennadius item Patriarcha non ferens diſſidia exorta, Patriarchatum reliquit, & ſe conferens ad Monaſterium S. Io. Prodromi in Montem Monæci Macedoniæ prope Serras, hîc placidè ac ſanctè obiit, *Zygomalas Turco-græcia.* Suffectus eſt Gennadio Iſidorus Hieromonachus, quo ſtatim mortuo, ei ſucceſſit Ioſaphatas cognomento Cuſas, quem ob Clericorum rixas ſe in puteum conieciſſe tradit *Malaxus*, negat *Zygomalas Epiſtolâ ad Cruſium.*

Anno Christi MCCCCLIX. Pius II. Mantuam ad Conuentum, quem indixerat de bello Sacro, pergit, exítque Româ 18. Ianuarij. Senas in patriam suam venit, eámque Sedem Archiepiscopalem fecit 22. Aprilis, *Gobelinus lib 2. Platina in Pio II.* Inde Florentiam venit, magnificè susceptus à Cosma Mediceo, qui aliàs exul, posteà restitutus pulsis æmulis, mercimoniis ita res suas auxerat, vt propè Regibus ipsis ditior esset, *Gobelinus, Paulus Iouius lib. 7. & alij.* Dum Florentiæ ageret Pontifex obiit S. Antoninus huius vrbis Archiepiscopus 3. Maij septuagenarius, vir litteris magnus, sed adhuc sanctitate maior, & quem Nicolaus V. Pontifex, etiam viuum dignum iudicarat, qui inter Sanctos referretur. Ex publico tumulandus fuit, cùm apud eum nihil repertum esset præter turpem mulum quo vehebatur, & vilem supellectilem, quæ etiam pauperibus cessere, *Vincentius Maynardus in eius vita apud Surium, Franciscus Castellionensis apud Leandrum, Vgolinus Verrinus, Gobelinus, & alij.* Obiit & eodem anno Poggius, ferè octogenarius, Florentiæ in sua patria, Cancellarius Reip. vir doctissimus, sed intemperantissimus Censor, *Iouius, Bergomensis, & alij.* Florentiâ discedens Pius Bononiam venit, inde Ferrariam, magnificè susceptus ab Borsio Estensi Duce Mutinæ, cui tamen Ducatum Ferrariensem recusauit, quem posteà idem obtinuit à Paulo II. Mantuam denique ingressus est Pius 27. Maij, & 1°. Iunij inchoatus Conuentus, quo penè nihil actum, Principibus Christianis inter se diffidentibus, solis Germanis auxilia promittentibus, in quos dum pronior visus est Pius, à se alios videtur abalienasse, *Gobelinus, Platina, & Francici Historici.* Turbæ in Angliâ contantur inter Ducem Eboracensem, & Regem: Commissa est pugna ad Northamptonum, cuius incentor fuit Episcopus Interamnensis, licèt Legatus Apostolicus, Rex iterum captus, Regina filia Renati Andegauensis cum filio, & plerisque proceribus fugit, anno sequenti bellum feliciter reparatura, *Polydorus, Monstreletus, Gaguinus.* Idem Legatus Regi Scotiæ turpiter illusit, confectis quasi à Pontifice litteris, quibus prohibebatur Anglos bello vexare, à quibus magnis iniuriis affectus erat, *Hector Boëthius, & Buchananus, qui hunc Legatum non appellant, sed in genere Italum*

lum impostorem, quæ verba ei optimè conueniunt, *Spondanus*. Poloni petunt à Pio vt excommunicationes in Pruthenos aboleret, & cruciferos milites ex Prussia transferret in Insulam Tenedon, vbi Christianitati futuri essent vtiliores, vtrumque negauit Pontifex Polonis semper iratior, *Cromerus lib.* 24. Thomas & Demetrius fratres Palæologi, dum sibi inuicem eripere volunt Peloponnesum Mahometi auxiliatori tradiderunt. Huic Demetrius cum sua Sparta se dedidit; fugit Corcyram Thomas exutus ditione suâ, *Chalcondyles & Phranzes*. Iacobus Nothus Archiepisc. Nicosiensis contra Charlottam affectans Cyprium Regnum, fugit in Ægyptum; hic operâ Mahumeti II. Turcæ impetrat auxilium à Sultano Ægypti, cui impius iste Iacobus horrendo sacramento se deuouit, atque in Cyprum cum instructissima Saracenorum classe rediit, eam Insulam valdè turbaturus, *Stephanus Lusinianus in Historia Cypria*, *Æneas Syluius in Asias*, *Gobelinus*, *Nauclerus in Chronico*. *Ineunte Octobri*, *Ioannes Andegauensis*, *Renati filius*, *Genuensibus rebus ordinatis*, *cum valida Classe Neapolim inuehitur in cuius partes multi procerum transiêre. Annóque insequenti ad Sarmum fluuium eum ita profligauit*, *vt si suâ vsus esset victoriâ*, *bello finem imposuisset. Auersus autem ab obsidione Neapoleos*, *quâ se incluserat Ferdinandus*, *per Principem Tarentinum; sed dum alia oppida occupat*, *rem suam victus reparauit*, Corius, Nebiensis, Folieta, Mambrinus Continuator Collenutij, Gobellinus, & alij.

Anno Christi MCCCCLX. Tres Ecclipses contigère, prima Lunæ die Lunæ 3. Iulij: altera Solis die Veneris 18. eiusdem mensis. Tertia denique Lunæ die Sabbathi 27. Decembris. Pontifex exponit Conuentui Mantuano quid auxilij Principes in bellum Turcicum conferrent, immò & spem suam de aliis Principibus, suo tempore, aliud auxilium collaturis, & Cœtum dissoluit, redit Senas, vbi sex Cardinales creauit, inter quos Franciscum Picolomineum nepotem suum, qui posteà Pius III. fuit, inde Romam venit 7. Octobris, vt seditiones & tumultus sedaret, quos concitarat Tiburtius quidam, iussu Pontificis, cum præcipuis suis sociis suspendio necatus, *Gobelinus*, *Ciacconius*, *Platina*. Multi Princeps Orientis misère Legatos ad Ponti-

ficem qui pollicebantur distinere Mahumetem in Asiâ, dum eum Europæi inuaderent: Ille eos misit ad Principes Europæ maximè ad Regem Franciæ, & Ducem Burgundiæ, cùm sine Francis nullæ fieri possent in Orientem expeditiones; sed hæc facta sunt anno insequenti, *Epistolæ Pij II.* Data item Summo Pontifici Monobassia olim Epidaurus nunc Maluasia, cùm eam Thomas Palæologus Turcis prodere cogitaret, cùm tueri Demetrius non posset: Vrbs inexpugnabilis vt pote ad quam *vnus* tantùm *aditus*, vnde ei nomen; quæ diu à Pontifice & Venetis seruata, tandem deuenit, vt tota Græcia, in Turcorum manus, *Phranzes, Gobelinus.* Sigismundus Austriæ Dux Nicolaum Cusanum Cardinalem Episcopum Brixinonensem captum die Paschatis in custodia detinuit, ob controuersiam de Feudis & Iurisdictione, quare Sigismundus à Pio perculsus est anathemate, quem defendit Gregorius Heimburgius, appellauítque ad futurum Concilium, qui & à Pio excommunicatus fugit primùm ad Hussitas, inde ad Dicterum Moguntinum, scripsítque in Pium opus turpissimum, *Nauclerus, Gobelinus, Goldastus, Freherus.* Iacobus II. Scotorum Rex, dum Roxburgum Castrum obsidet, quod ipsi cœperant Angli, fractæ Bombardæ ictus fragmento, ad quam stabat interiit. Vxor tamen eius Maria, filia Ducis Gueldriæ, vrsit obsidionem, & Castrum ad deditionem compulit, ac diruit. Successit patri Iacobus III. septennis, quare de administratione Regni certatum inter Proceres; qui tandem sic conuenêre, vt educationis cura penes Mariam esset, sex viri eligerentur, qui administrarent Regnum; quos omnes in officio continuit Iacobus Kennethus seu Kennedius S. Andreæ Episcopus. Sed eo atque Reginâ demortuis Scotia de more turbata fuit, *Boëthius, Leslæus, Buchananus.* Rex Bohemiæ Georgius Podiebraccius contra fidem datam in Coronatione sua Pontifici & Imperatori, de promouenda fide Catholica, & Hussitis ad rectam viam reducendis, fauit Hussitis, & pacta sua neglexit, ostendítque ex Hæreticorum antesignanis rarò quemquam fieri bonum Catholicum, *Cochlæus lib. 2. Historiæ Hussiticæ. Franci depulsi sunt Genuâ per Prosperum Adornium, & Paulum Archiepiscopum de gente Adornia, per quos etiam victi auxilia-*

tores missi à Carolo VII. fautoribus Duce Mediolanensi, & ipso Pio Pontifice. Ita Fulgosij Principatum obtinuerunt, quos exauctorauit Paulus initio satis bonus, posteà in teterrimum Tyrannum mutatus, & factus ex pastore lupus, *Gobelinus, Franciscus Philelphus, Bizarrus, Folieta, Pignatellus, & alij.*

Anno Christi MCCCCLXI. Contigêre duæ Ecclipses Lunæ prima die Lunæ 22. Iunij, altera die Iouis 17. Decembris, quas obseruauit *Regiomontanus* maximus Astrologus. *Legati Principum Orientalium, de quibus diximus anno superiori, in Galliam peruenêre auxilia à Carolo VII. petituri, vbi tamen nihil obtinuêre: corrasêre tamen Mendicantes magnam pecuniæ summam. Detectus est tandem impostor & mendax Ludouicus Franciscanus qui eam Legationem adornarat,* Venetiis tamen à quibusdam Episcopis consecratus, & dandus in vincula iussu Pontificis, nisi monitus à Duce Veneto aufugisset; qui tamen posteà in Russiam, & Poloniam venit, de more mentiens, quia simia semper simia est, *Monstreletus, Meyerus, Cromerus, Itinerarium Contareni, Dietherus, &c. Obiit hoc anno Carolus VII. Franciæ Rex cognomento* Victor, *quòd ab Anglis se expediisset, eosque depulisset ex Gallia: mortuus est autem ex inedia dum cibos respuit, totis 7. diebus metu veneni, quod ei dandum rumor ἀδέσποτος vulgauerat, 7. die dum cibum capere conatur, monitus de vicina morte à medicis, agnoscit stomachum suum huic recipiendo imparem esse: sic excessit è viuis 22. Iulij apud Magdunum Biturigum ad Auarum fluuium seu Auram. Eius obitum portendere visus est Cometes pridie, aut postridie visus toto cælo supra vrbem decurrere. Vir sine dubio maximus, & omni laude maior, nisi mulierosior extitisset. Datum ei venenum per Ludouicum Filium scripsit* Meyerus, *sed quæ calumniatori denunciato fides? Vixit annis 59. cum sex mensibus, regnauit annis 39. cum nouem mensibus. Relictus fuisset insepultus metu Delphini, ad quem statim omnes famuli Regij concurrerunt, nisi auditâ heri sui morte accurisset Taneguidus Castellus nobilis Armoricus, primus Regis cubicularius, aut summus equorum Regiorum Magister, optimè quondam de Carolo, & toto regno meritus, sed tum Domum relegatus, qui suis sumptibus iisque maximis, corpus Lutetiam deferendum curauit, indéque Sandionysium, vbi Thomas de Curcellis ei Panegyricum*

dixit. Succeſſit Patri Ludouicus dictus XI. quem pater exhæredare decreuerat, & Regnum in eius fratrem Carolum transferre, ob duros, & aſperos mores, niſi eum prudentiſſimè Pius II. impediuſſet. Venit Rhemos Ludouicus magnificè deductus à Philippo Bono Burgundiæ Duce, vbi inauguratus eſt 15. Auguſti à Io. Iuuenali Achiepiſcopo. Poſt prandium Paribus Franciæ de more exhibitum, Philippus Bonus ad Ludouici Regis pedes accidens, per Chriſtum patientem obteſtatus eſt, vt obliuiſceretur iniuriarum, quas Delphinus accepiſſet, ignoſceret omnibus, qui patrem in eum accendere viſi eſſent, omnes miniſtros patris retineret; niſi conuictos criminis. Sed parum admonitionis memor, ſtatim Pariſios reuerſus, propter quæ ſibi multa pericula, ac Regno propemodum exitium peperit, Gobelinus, Monſtreletus, Chatterius, Maſſonus, Gaguinus, & alij. Pragmatica Sanctio facta à Carolo VII. ſtatim à Ludouico XI. abolita eſt, vel quòd à Patre ſancita eſſet; vel vt Pontifici Pio II. placeret; obſtitêre tamen Parlamentum Pariſienſe, & Academia, omnéſque fautores Concilij Baſileenſis, cuius illa fœtus erat, nec niſi tempore Franciſci primi per concordatum potuit exterminari. Author eius Sanctionis tollendæ Ioannes Atrebatenſis, Monachus Luxouienſis, petente Ludouico à Pio II. factus eſt Cardinalis, *Papienſis Epiſt.* 18. *Maſſonus, Bulla Pij II.* Ianuarij die 1. Margarita Angliæ Regina prælium committit cum Richardo, Duce Eboracenſi, qui in eo cecidit. Vicit & alio prælio Comitem Waruicenſem, atque mariti ſui carcerem effregit. Sed reparauit exercitum Eduardus Marchiæ Comes, filius Richardi non longè ab Eboraco, ad *Fariburgum*, vt vult *Monſtreletus*, ad *Touton*, vt *Polydorus*; Hîc 29. Martij Dominicâ Palmarum ampliùs decem horis pugnatum ait, ille tribus diebus continuis: *Monſtreletus* 30. millia præter captiuos cecidiſſe ſcribit, *Polydorus* 20. millia, 10. millia captiuorum abducta: *Buchananus*, & Scoti cecidiſſe aiunt 36. millia. Fugit in Scotiam Rex cum vxore, & filio paruulo Eduardo magnificè ſuſceptus à Regina atque Regni adminiſtratoribus; quare Scotis Baruicum reddidit, & filium ſuum paruulum ſorori Regis Scotiæ item paruulæ deſpondit. Eduardus ergo Victor Londinum petens 29. Iunij coronatur eius nominis IV. Maria reliquit Henricum virum in Scotia, venítque in Galliam, vbi copias ſcribit,

quibuſcum rediit in Scotiam, adiunctóque ſibi Scotorum exercitu, ſemel & iterùm excurrit in Angliam, ſemper victa cum ſuo Henrico, *Monſtreletus*, *Polydorus*, *Buchananus*. Caput S. Andreæ ſibi datum à Patrenſibus Thomas Palæologus ſecum detulit Anconam, vnde & Romam tranſlatum. Pontifex Thomam amicè ſuſcepit, eíque vnde viueret aſſignauit, cui & Cardinales aliquid aſpersêre, *Phranzes*, *Gobelinus*. Pius II. S. Catharinam popularem ſuam in Sanctarum Virginum album retulit, *Bulla eius Canonizationis*. Dietherus Iſemburgenſis, Archiepiſcopus Moguntinus damnatus à Pontifice, grauiter increpatur à Rodolpho internuncio, quòd ad futurum Concilium appellaſſet. Quamquam autem appellationem ſuam reſcidiſſet, quia non parebat Pontifici, ei ſubſtitutus eſt Adelphus Naſſouius, qui Dietherum armis expulit, captâ non ſine ciuium cæde Moguntiâ, ex qua fugit Dietherus cymbâ piſcatoriâ, bellúmque poſteà redintegrauit, *Gobelinus*, *&* *Serarius in Annalibus Moguntinis*. Mahometes II. Trapezuntino petitur Imperio captis vrbibus nobilibus Trapezunte *Trebizonde*, & Sinopi, abduxítque vltimum Imperatorem Comnenum in Græciam cum ſuis liberis, quos poſteà falſæ proditionis inſimulatos occidit, *Chalcondyles*, *Phranzes*, *Zygomalas*. Ioſaphatum quoque Patriarcham exauthorauit Turcus priùs ignominiosè tractatum reſciſſâ Barbâ, quòd facere poteſtatem noluiſſet Protoueſtiario Chriſtiano vxorem legitimam dimittendi, vt duceret viduam Principis Athenarum, quam deperibat. Ob eandem cauſam Manueli Eccleſiarchæ ſciſſæ ab vtraque parte nares, quod id ſceleris ſuadere Patriarchæ noluiſſet, clamanti dum ei barba attonderetur, ſe pro hac cauſa & pedes, & manus, & caput libenter oblaturum, idem *Zygomalas in Turco-græcia*. Tum quoque datum initium Tributo quod à Græcis dictum eſt *Peſceſium*, à Patriarchis deinceps perſolui ſolitum, cùm Trapezuntij, pro Simeone Trapezuntio Patriarcha viro alioqui bono, intrudendo obtuliſſent, quod cum accepit Turcus, & deinceps exegit quaſi perpetuum Græcæ inſaniæ monimentum, *Zygomalas*, *&* *Malaxus*. Scanderbegus pactis induciis cum Mahomete venit in auxilium Ferdinandi, agrúmque Tarentinum fauentem Andega-

uenſi Albano equitatu latè depopulatus eſt, exciratus à Pio II. Seruauit arcem Tranenſem, capto eius præfecto per dolum ad ſe accito; nec plura egit in Italia, reuocatus ad ſua ſeruanda, quæ eo abſente Turcorum excurſionibus parebant: cætera quæ de eo dicuntur fabuloſa ſunt, *Marinus Barletius in eius vita, Meliùs Gobelinus, & Pontanus.*

Anno Chriſti MCCCCLXII. Ecclipſis Lunæ contigit die Sabbathi 12. Iunij, & Solis die Dominicâ 21. Nouembris. *Ioannes Andegauenſis ingenti prælio ad Troiam Apuliæ ſuperatus eſt, menſe Auguſto, cùm Princeps Tarentinus, ac multi Proceres ad Ferdinandum defeciſſent. Defecit denique à Ioanne Piccininus ampliſſimis conditionibus, cuius defectio Ioannis vltimam deſperationem attulit, qui Regno deperdito ſecedere coactus eſt in Inſulam Ænariam, ſeu Iſchiam.* Sed Picininus iſte paulò pòſt præmium ſuæ proditionis retulit, bouis inſtar mactatus; neque melior conditio Tarentini fuit, *Pontanus, Gobelinus, Platina, Iouius.* Bohæmia turbata eſt propter *compacta*, quæ Pontifex improbabat; Rex Bohæmiæ dubius hæret, pluris tamen faciens Regnum quàm Religionem, medius inter Hæreticum & Catholicum, ſed Hæretico propior, *Cochlæus, Gobelinus, Papienſis, Dubrauius.* Fridericus obſidetur in Arce Viennæ, à fratre ſuo Alberto; verùm illi ſuppetias tulit Podiebraccius, & hunc ſoluere obſidionem coëgit. Hic poſteà omnia præſtitit vt Pio reconciliaretur, *Appendix Cochlæi, Epiſtolæ Pij II.* Idem Pius emiſit anathema in Sigiſmundum Auſtrium, eiúſque fautorem, ſcriptis Libellis, Heimburgium: Item in Malateſtam Ariminenſem, eiúſque fratres Ceſenæ Tyrannos: verùm poſteà Malateſta veniam obtinuit à Pontifice, & re proſperè geſtâ in Peloponneſo meliùs obiit quàm vixerat, *Gobelinus.* Turci Hungaros hoc anno leuibus præliis fatigant, ſemper in Valachia ſuperiores. Multa quoque Dalmatis intulêre incommoda circa Sauum agros depopulati. Quanquam autem Matthias eis pugnæ copiam offerret, eam tamen ſemper recuſarunt, graſſari contenti, *Gobelinus, Bonfinius.* Mahumetes ipſe ingenti apparatu Walachiam inuadit, cui initio fortiter reſtitit Waiuoda Bladus, aliter Wladiſlaüs, item & Dracula, ſeu Dracoles, auſus

etiam noctu Turcos inuadere, quos turbauit, non vicit; ſpoliatus eſt ergo ſuo Principatu eiúſque loco frater ſubſtitutus. Fugit in Hungariam Bladus ad Matthiam, vbi carceri mancipatus eſt, id rogantibus iis, quorum affines crudeliter ſuſtuliſſet, portentum ipſe crudelitatis, vel quod ageret cum Turcis, vt ipſis Valachiam proderet. Decennio carcere detentus eſt, emiſſúſque, in prælio cæſus, caput eius oblatum Mahometi cum voluptate ab eo ſuſceptum eſt, *Chalcondyles, Bonfinius, Gobelinus.* Fuit Blado frater pulcherrimus, quo abuti cùm tentaret Mahometes, eum gladio vulnerauit in femore, & effugit: & poſteà rediens, eidem ſe ſubſtrauit, factus ex forti adoleſcente turpis catamitus, *idem Chalcondyles.* Leſbos quoque tum à Turcis occupata, dedita Mitylene à Dominico Catelufio (Græci Kyriacon vocant) qui abductus Conſtantinopolim, & fidem eiurauit, vt carcerem vitaret, nihilominùs capite minutus, *Chalcondyles, Phranzes, Leunclauius.* Conſpirant Mahometes & Sultanus Ægyptius aduerſus Chriſtianos, hic vt Cyprum Iacobo Notho aſſereret, ille vt Rhodum Equitibus eriperet. Itaque hi petunt auxilia ab Occidente. Venit itaque Carola Cypri Regina opem petitura marito ſuo in arce Cerinenſi obſeſſo; quam & obtinuit, ſoluta obſidio, Paphum inſuper recepit, ſed poſteà vterque locus à Iacobo Tyranno occupatus eſt, *Iacobus Luſinianus in Hiſtoria Cypria.* Heraclea, vulgò *Gilbratar*, eſt erepta Mauris. *Natus eſt hoc anno Ludouicus poſteà XII. filius Ludouici Aurelianenſis*, Hiſtoriæ Gallicæ Scriptores. Magna quæſtio excitata eſt inter Minoritas, & Prædicatores de Sanguine Chriſti triduo in Paſſione ſeparato, vtrùm vnitus eſt Diuinitati. Negantem partem in concione dixerat Iacobus Marchianus Minorita S.Bernardini Socius: aientem Dominicani ſuſtinebant. Controuerſia acriter coram Pio & Cardinalibus agitata: & quanquam cum Prædicatoribus ſentiret Pius, nihil auſus ſtatuere, ne Minoritas, quorum operâ in bello Turcico indigebat, offenderet. Poſt duos tamen annos vtrique parti ſilentium iniunxit, vetuítque alterutram opinionem hæreſeos inſimulari, *Bulla Pij II. 1. Auguſti 1464. diebus ante Pij obitum 15. emiſſa*; quæ fortè promulgata non eſt, quo tantùm modo aliquot Theo-

logi possunt excusari. In Scotia Ancilla Hermaphrodita filiamfamilias quacum cubabat impraegnauit, ideò viua defossa, *Hector Boëthius.*

Anno Christi MCCCCLXIII. *Conueniunt ad Castrum Vrtubiam cis Vidassum, vel Vidassanem fluuium Henricus Rex Castellæ, & Franciæ Rex Ludouicus XI. de suis rebus acturi: & quamquam fluuius iste communis esset vtriusque Regni limes, Castellæ Rex ad Ludouicum accessit* ob Gallicam Maiestatem: *ex eo tamen colloquio nihil ambo retulêre præter commune odium, quod vtrimque dicaces, & irones Aulici accenderunt, & fouerunt,* Mariana, Surita, Philippus Comminius. *Ludouicus Comitatus Ruscinonensem, & Cerdaniæ sibi vindicat: pactus auxilium Aragonum Regi Ioanni aduersus Catalanos qui in eum rebellarant & Regem elegerant. Propterea quatuor vrbes ad Sommonam, Fanum S. Quintini, Peronam, Ambianum, Abbauillam, cum Comitatu Pontiuensi Duci Burgundiæ à Carolo VII. oppigneratas pretio quadringentorum millium Aureorum, corrasis ab Ecclesiasticis, & ditioribus sæcularibus pecuniis, idem Ludouicus redimit, fremente Carolo Comite Carolesij filio Philippi Ducis, qui inde concepit tantum odium in Ludouicum, vt non nisi illius morte cessauerit,* Monstreletus, & alij. *Committuntur inter se Ludouicus XI. & Pius II. quod hic aliquid sibi arrogare videretur, contra Regni Francici consuetudines, & maximè ob Armoricam quæ nunc* Minor Britannia *dicitur*, Gobelinus Spondanus, & Gallicæ Historiæ Scriptores. Bosniam occupat Mahometes, Regem huius ex deditione recipit, & contra fidem datam necat, aut sagittis ad palum religatum, aut viuo detractâ cute, *Gobelinus, Leunclauius, Chalcondyles.* Interim tamen Matthias cum suis Hungaris Iayzam Bosniæ vrbem præcipuam intercipit cum septem & viginti oppidis finitimis. Accurrit Mahometes ad eam recipiendam, sed vrbs tam fortiter à ciuibus defensa est, vt adueniente ad eius auxilium Matthiâ, Turcæ proiectis in aquam suis tormentis bellicis obsidionem soluere compulsi fuerint, *Bonfinius, & Appendix ad Leunclauium.* Ex Iayza S. Lucæ corpus delatum Venetias à Franciscanis, magnam controuersiam excitauit; cùm iam illud se habere Patauini gloriarentur. Bessarion constitutus Iudex à Venetis pronunciauit: Gregorius tamen XIII. in correctione Rom. Martyrologij à Patauinis

nis ſtare videtur, quòd Patauinum careret capite, Venetum haberet caput, cùm tamen conſtaret S. Lucæ caput à S. Gregorio Apocryſiario Conſtantinopoli Romam eſſe delatum, *Iacobus Cauarius in Hiſtoria Cœnobij Sanctæ Iuſtinæ*. Scanderbegus, preſſus à Turcis de improuiſo eum inuadentibus, pacem facere cum eis compulſus eſt, eam abrupturus cùm Pontifici alluberet, à quo & petiit refugium in terras Eccleſiæ, ſi à Turcis ditione ſuâ exueretur. Probauit pacem, vt pote neceſſariam Pius, ſpopondit refugium, atque auxilia, *Gobelinus*, longè aliud *Barletius*, ſed minùs verè. Incumbit in bellum Turcicum totis viribus Pius, cui ipſe intereſſe cogitabat cum Duce Burgundiæ, & Chriſtophoro Mauro Duce Venetiarum, quibus ſe grandes copiæ adiungebant, *Petrus Iuſtinianus, Gobelinus, Epiſtolæ Pij II.* Venetis illatæ clades ad Mitylenem & Corinthum, per Turcos, qui Iſthmum tantis ſumptibus & diligentiâ munitam occuparunt, ab illis flagitiosè deſertam, *Chalcondyles hîc terminans Hiſtoriam ſuam, Phranzes, Sabellicus.* Hoc demum anno finis impoſitus eſt bello Neapolitano, cùm obiiſſet impœnitens eius tuba Princeps Tarentinus, cuius opes immenſæ cùm deueniſſent in manus Ferdinandi: iis ille erectus Ioannem Andegauenſem expulit, Neapolitanis chariſſimum, ob egregios mores, & cui tantùm fortuna defuerat, *Pontanus lib. 5. Corius, Mambrinus, Collenutius, Gobelinus, ſeu Pij commentarij qui hîc deſinunt.* Obiêre hoc anno Iſidorus Rhutenus Cardinalis Patriarcha Conſtantinopolitanus, cui ſucceſſit Beſſarion; *Flauius Blondus Foroliuienſis, quem in Epitomen Pius II. contraxit:* B. Didacus Franciſcanus Compluti: denique B. Catharina Bononienſis Clariſſa, cuius corpus adhuc integrum, & flexibile viſitur Bononiæ, & quaſi non mortuum ſed dormiens, *Gobelinus: Panuinius in Chronico: Bulla Sixti V. Ioan. Antoninus Flaminius Forocornelienſis in vita B. Catharinæ.*

Anno Chriſti MCCCCLXIV. Ecclipſis Lunæ viſa eſt 21. Aprilis. Matthias Albæ Regali coronatus die Iouis in Cœna Domini, vt *Thuroſius*, die Paraſceues, vt *Bonfinius* 29. Martij, coronâ, quæ erat in poteſtate Friderici Imperatoris, & reddita fuerat Hungaris ſub duris conditionibus, nempe vt Matthias Fridericum vti patrem agnoſceret, ſi

Matthias ἄπαιδος obiret, ſuccederet ei Fridericus, aut vnus ex eius liberis: 60. aut 70. nummorum millia numerarentur, *Thuroſius, Nauclerus, appendix ad Bonfinium.* Dum Mathias idem Zoynichum vrbem Raſciæ obſider, vulgato falſo rumore aduenienris grandis exercitus cum Mahomete, panico rerrore ſuis correptis, tormenra ſua bellica & omnem belli apparatum perdidit, *Bonfinius. Ludouicus XI. Franciſcum Sfortiam Ducem Mediolanenſem agnouit (contra iura Ducis Aurelianenſis) & præterea Sauonam quam præſidio tenebat, tradidit ei, cum ſuis omnibus iuribus in ditionem Genuenſem*, Corius, Foliera, & alij. *Hoc anno conſpiratio aduerſus Lud. XI. dicta* Henoticon Boni Publici, *authoribus Ducibus Carolo Biturigum Regis fratre; Andegauenſi Duce Calabriæ, Franciſco Armoricæ, Comite Caroleſio, quem pater alienatum à ſe receperat in gratiam, eâ lege vt Ludouico negotium faceſſeret, & multis Proceribus, videlicet Ioanne Duce Borbonio, Ioanne Armaniaco, Ludouico Lucemburgio Comite Sancti Pauli, & aliis plurimis, malè affectis in regem, quia omnes ipſe parùm prouidè, & inconſultè efferarat. Omnibus teſſera fuit Ligula Sericea Zonæ annexa, quâ ſe coniuratores internoſcerent.* Monſtreletus, Comminius, Meyerus, Belcarius, & alij. Conſpirario quoque fuir in Hiſpania aduerſus Henricum Caſtellæ Regem, cuius author fuit eius frater Alphonſus; quæ cum Regis infamia ſedara eſt hoc anno, vr ſequenti acriùs recrudeſceret, *Mariana lib. 23. cap. 7.* Pius II. Anconam perit, corpore æger, ſed animo magis, quòd Philippus Burgundus votam expedirionem eiuraret. Ad eum accurrerunt vndequaque Chriſtiani excitati à Concionaroribus, quibus cùm ſtipendia, & alimenra deeſſenr, armis vendiris, cum indulgentiis duntaxat, quarum tantùm Pontifex diues erat, ad ſua mœrentes rediêre, *Cardinalis Papienſis, Krantzius in ſua Vandalia.* Pontifex obiir Anconæ 14. Auguſti, annos natus duodeſexaginta cum 9. menſibus, & diebus 27. vir planè magnus, accuſarus à viris magnis, & à magnis viris defenſus, *Papienſis, Volaterranus, Gretſerus, & alij.* Succeſſit ei Petrus Barbus Venetus, qui primò ſe *Formoſum*, deinde *Marcum*, denique Paulum II. dixit 38. Auguſti, cùm Romam conueniſſenr Cardinales. Hic Leges à Cardinalibus conſtiruras, cùm iuraſſet primò, poſteà eas reſcidit,

atque suum iuramentum retractauit, aliquot Cardinalium consilio, *Papiensis, Platina, & alij*: de Paulo tamen non est adhibenda fides Platinæ, cùm eius iussu inclusus carcere, & variis tormentis subditus meritò fuerit, *Appendix ad Papiensem.* Paulus hoc tempore rubros Biretos concessit Cardinalibus, cùm in Concilio Lugdunensi ab Innocentio IV. Pileos rubros accepissent, quibus hodie vtuntur in Equitationibus. Adduci non potuit Paulus II. vt Auenionem cum Aquila Marsorum permutaret, *ne refugium in aduersis casibus Pontifices perderent, quod ibidem semper inuenêre*, Papiensis Epist. 94. *Mortuus est Auenione 13. Decemb. anno ætatis 78. Petrus de Fuxo Cardinalis olim Franciscanus, cuius operâ maximè Schisma magnum extinctum erat*, Eius Epitaphium Tholosæ in æde Franciscanorum. *Ioannes de Baluë petente Rege ad purpuram euectus est, quâ posteà se indignissimum ostendit, & ingratissimis quibusque hominibus annumerandum*, Historiæ Francicæ Scriptores.

Anno Christi MCCCCLXV. Mahometes offert Ferdinando Regi Neapolitano multas egregias conditiones, si bellum alere in Italia vellet; quas hic misit ad Pontificem, eúmque copiis iuuit, quibus Rebelles Anguillarios Deiphobum, & Franciscum, patri nequitiâ geminos, & pares, sed industriâ longè inferiores, quos intra dies 12. oppressit, quod Eugenius, Nicolaus, Callistus, & Pius præstare nequaquam potuerant. Sed cùm ob id auxilium nimias gratias peteret Ferdinandus, & quas Pontifex dare sanctè non posset, inter eos odia enata sunt, quæ facilè sopiri non potuêre, *Platina in Paulo II. Carolus V. Dux Bituricensis Ludouici XI. Frater, ineunte Martio fugit in Armoricam, & se Caput* Henotici Boni publici *declarauit, quòd malè haberetur à fratre, cum Principibus, & Proceribus: atque infimæ sortis homines apud eum omnia possent. Aliquot tamen Principes, & Proceres Regi sapienter adhæsere. Rex tum agens Pictauij copias conficit, partem earum opponit Armoricæ Duci, cum alia in Carolesij Comitem progreditur, præmisso Cardinale de Baluë Parisios, qui hanc vrbem in officio contineret. Ad Montem Letericum* Montlehery, *veriùs fuga, quàm pugna fuit, quam imprudenter commisit Braſæus Normanniæ Seneschalus, in ea cæsus: ter captus Carolesius, ter à suis subductus est, receptâ leui in gutture plagâ.*

Rex vinci visus Corbolium secessit. Victoria tamen vtilior victo, quàm victori fuit. Hic enim tumorem animi ex ea collegit, ille maturitatem, monitus sapienter à Guillelmo Episcopo Parisiensi, vt amorem potiùs subditorum, quàm pecuniam quæreret. Tandem pax coaluit ad Confluentias, La Paix de Conflans, *maximè consilio Ducis Mediolanensis Sfortiæ, qui Ludouico suasit, vt eam quibusuis conditionibus admitteret, quod & præstitit: dedit enim fratri suo Carolo Normanniam pro Biturigibus, 4. vrbes Sommonæ, Carolesio, Comiti Sancti Pauli dignitatem Comitis Stabuli, admisitque 36. viros ex Clero, nobilitate, & plebe, qui cum eo regnum ordinarent: sic omnes ad sua recessêre, Carolus in Normanniam Franciscus in suam Armoricam, animis abalienatis. Carolesius difficili se implicuit bello cum Leodiensibus. Quâ occasione benè vsus Ludouicus, Carolo fratri eripuit Normanniam, ad Franciscum abire compulso. Leodienses multa in suum principem fecêre crudeliter, multa passi sunt, in suum Principem, Pontificem, adeóque Deum contumaces,* Monstreletus, Comminius, Gaguinus, Magnum Chronicon Belgicum. Suas quoque turbas Castella sensit, quas facilè sopiisset Henricus, si in eo fuisset fortitudinis mica, *Mariana.* Experta est etiam suos tumultus Aragonia, Catalanis improbantibus Sententiam Regum Franciæ & Castellæ. Itaque Petrum Lusitanum Equitum Magistrum, Regem Aragoniæ crearunt Barcinone; sed hic anno sequenti victus, & veneno extinctus est, eius loco electus Renatus Andegauensis, tantùm quia erat hostis Aragoniorum, *Mariana.* Henricus Rex Angliæ vel exilij tædio, vel à suis incitatus ex Scotia clàm irrepsit in Angliam. Verum agnitus Londinum perductus est, vbi Regis iussu à nemine salutatus est; ante turrim Londinensem ter circa Cippum ignominiosè traductus, eâdem demum Turri inclusus est, *Anglicæ Historiæ Scriptores.* Thomas Despota filios suos Andream & Manuelem cum Sophia filia euocat Anconam, obiit tamen antequàm eò appellerent anno ætatis 56. pueri liberaliter Romæ educati. Manuel fugit Constantinopolim receptus humaniter à Mahomete: Ibi duos filios genuit, quorum vnus iunior obiit, alter factus est Mahumetanus. Demetrius abductus eôdem à Mahomete, & variam fortunam expertus factus Monachus feliciter obiit 1470. *Zygomalas in Turco-græcia, & Appendix*

Sansouini. Scanderbegus hoc tempore defendebat Croiam aduersus Mahometem, quicum sollicitatus à Christianis pacem abruperat, sed victus ingenti clade multi Epirotarum cæsi. Creditur tum venisse Romam, & pecuniam accepisse, & auxilia; de eo tamen heroe multa conficta, *Leunclauius, Phranzes, & alij*. Contigit hoc anno B. Andreæ Chiensis Martyrium, qui dirissima passus caput perdidit, sepeliri passus à Turcis, ob eius incredibilem constantiam, eius corpus post aliquot annos vidit integrum, liberatus eius precibus à naufragio *Georgius Trapezuntius in eius vita*.

Anno Christi MCCCCLXVI. Georgius seu Giirgisko Podiebraccius percellitur Anathemate, & Zarassem oppidum obsidens Pontificem deludere conatur, sed eius fraudes detectæ. Itaque vti hæreticus, periurus, & sacrilegus præsentibus Cardinalibus damnatus est; *Cardinalis Papiensis, Michouius*. Rochysana Pragæ mutus est effectus subitâ paralysi percussus: vitam tamen turpissimam ad aliquot annos produxit, *Michouius*. Pax inita inter Cazimirum, & Cruciferos operâ Rudolphi Lauentini Episcopi, qui ideò factus est Cardinalis, *Michouius, Cromerus*. Obiit 8. Martij, annos natus 65. Franciscus Sfortia Dux Mediolanensis, vir egregius, sed in fine vitæ mulierosior, *Nauclerus, Corius, & alij*. Successit ei Galeatius filius tum agens in Gallia, qui dissimulato habitu, & non sine periculo Alpes traiecit; multùm dissimilis patri; vt pote qui matrem suam Blancam, fœminam sapientissimam recta monentem veneno sustulit, vt vulgò creditum est, *Appendix ad Papiensem*. Mortuus est hoc anno Kennethus Episc. Santandreanus, & Santandreanæ conditor Academiæ, cui successit Patricius Graamus frater eius vterinus, Primas Scotiæ dictus Romæ, Eboracensi Archiep. nequicquam reclamante, *Buchananus l. 12*.

Anno Christi MCCCCLXVII. Obiit hoc anno suo climaterico 27. Ianuarij, Lissi ad Drillum fluuium, Georgius Castriotus Scanderbegus, ibidémque sepultus, quem tanti fecerunt Turcæ, vt posteà captâ Lisso, eius ossa diripuerint, & thecis aureis, vel argenteis inclusa secum detulerint ad conciliandam sibi fortitudinem Filium reliquit Venetiis enutritum, qui nobilem posteà familiam in Apulia propagauit, in ea ditione, quam Patri eius do-

narat Alphonsus, nobilior paternâ virtute, quàm suâ: *Iouius, Sansouinus, & alij. Mortuus est etiam die Sabbati 15. Iunij Brugis, Philippus cognomento* Bonus, *annos natus duos supra 70. Successit ei filius Carolus Comes Carolesius, dictus Audax, annorum 34. qui Leodienses aggressus, quibus Ludouicus XI. fauebat, deuicit ad Centronem, eósque coëgit urbem sibi reddere, cuius mœnia, ac turres diruit, & recipere coëgit Episcopum suum, belli causam,* Comminius lib. 2. tum Burgundi Comes, *Intereà Ludouicus serebat odia inter vicinos Principes, vt is commissis inter se, ipse vnus quiesceret. Sic Burgundum, & Aremoricum diuellere nitebatur: Henrici partes debiliores fouebat, aduersus Eduardum praeualentem.* Monstreletus, Comminius. *Pontifex abolere nitebatur Pragmaticam Sanctionem in Gallia per duos Cardinales Io. Atrebatensem, & Ioan. Baluem, quibus obsistebant acriter Senatus Parisiensis, & Academia, hac per Rectorem suum, ille per Regium Procuratorem: qui non tantùm vim vi, sed & fraudes fraudibus repellebant. In his autem excellebat Balues iste, filius molitoris, seu veteramentarij Sutoris Virdunensis., qui primùm famulatus Iuuenali Vrsino, deinde Ioanni de Bella-Valle Episcopo, tandem ob callidissimos mores innotuit Regi, qui illiusmodi hominibus delectabatur; à quo primùm factus ei ab Eleemosinis, deinde Episcopus Ebroicensis, denique Cardinalis. Omnibus iste negotiis implicabatur, purpuratus Ardelio, & nonnunquam copias recognoscens, quare Comes Dammartinus scientissimus belli, à Rege petiit, vt Lexouiensem Episcopatum lustraret, & huius expleret vices, qui suas vsurpasset,* Comminius, & alij Francicæ Historiæ Scriptores. Podiebraccius exautoratus à Pontifice, perstitit in Solio, quia id eripere noluit Casimirus Polonus, Matthias Hungarus non potuit bellis Moldauico & Walachico implicitus, quando & pugnans aduersus Stephanum Moldauiæ Wayuodam vulneratus est, *Cromerus, Michouius, Bonfinius, Thurosius, Ranzanus.* Florentia turbata grauiter, quòd Lucas Pittus aduersaretur Petro, Cosmæ Medicæi filio, & vtraque pars externa quæsiuit auxilia. Sic pugnatum ad fluuium Ricardinam in agro Bononiensi, vt neutra pars victa, neutra victrix dici posset, vtraque ex clade ferociam, & odium contraheret, *Cardinalis Papiensis, Platina in Paulo II.* In Castella Henricus, regis larua potiùs, quàm rex

ignauiâ suâ perdebat omnia, sicut Regina impudicitiâ suâ, multorum virorum scortum: tandem Rex infelix cum paucis equitibus oberrans coactus est se committere Comiti Placentino, apud quem lautè habitus perierat, nisi periisset, *Mariana*. Obiit hoc anno 1° Augusti Laurentius Valla Canonicus S. Ioannis Lateranensis, Romæ, vir maioris doctrinæ, quàm pietatis; & purioris styli, quàm vitæ. Qui dum scripsit aduersus friuolam Donationem Constantini, scriptam ab inimico Sanctæ Sedis, bonam causam dicacitate suâ pænè malam effecit, vt aliàs ostendemus, *Iouius, Trithemius, Baronius Tom. 12. anno* 1191.

Anno Christi MCCCCLXVIII. Matthias Hungariæ Rex, cùm ei quies esset à Turcis, suadente Pontifice, inuadit Prodiebraccium Bohæmum sacris afflatum fulminibus. Sed cùm vtrimque Duces essent prudentissimi, & qui aleam præliorum declinarent, captæ tantùm ab vtraque parte aliquot vrbes; secuta pax infida, vt eius breuitas arguit, *Bonfinius, Cardinalis Papiensis, Cromerus, Michouius, Nauclerus. Ludouicus XI. turbare consuetus, Leodienses excitat aduersus Principem suum Burgundum: illi Episcopum suum, in vrbe Tungrensi capiunt, cæsis aliquot eius Canonicis, & famulis. Interim Rex vt Burgundum à Carolo fratre distraheret, & Aremorico, enixè petit vt Peronæ cum eo agere posset, cui petitioni ægrè acquieuit Burgundus, misitque ad eum securitatis litteras. Quibus acceptis Rex incomitatus Peronam petit, tam præcipiti consilio, vt etiam Legatos Leodium missos reuocare obliuisceretur. Quorum operâ cùm accepisset Carolus excitatos Leodienses, exprobrans Regi perfidiam, eum in eâdem turre detinet captiuum, quâ inclusus erat ab Heriberto Carolus Simplex. Itaque metu turpissimæ, ac diuturnæ captiuitatis Rex ad fœdissimas cum Burgundo conditiones descendit, quarum hæc vltimi dedecoris fuit, vt Rex Franciæ, quasi gregarius miles, ad Leodienses, quos excitarat in Principem suum, proficisceretur. Quod contigisse proditione Cardinalis de Baluës verisimilius videtur. Leodium igitur obsessum, vbi Rex grande periculum adiit, à Francimontis erumpentibus tantùm non cæsus. Vrbs demum capta 30. Octobris Dominicâ 21. post Pentecosten, in quam ferro, igne, libidine, submersione sæuitum, locus ita exæquatus, vt vbi Leodium fuisset, ignoraretur*, Gaguinus, Philippus Comminius, Pontanus,

Meyerus, & omnes Franciæ Scriptores. *Dum in Leodienses sæuiretur in Zelandia, Hollandia, Flandria, quæ erant ditionis Burgundicæ, aggeribus ruptis, magna calamitas contigit, aliquot haustis oppidis, & multis hominum millibus extinctis.* Historia scandalosa Ludouici XI. Meyerus, & alij. In Hispania Castellani tumultus perdurarunt: neque quietior Catalania, euocato Ioanne Lotharingo, Duce Calabriæ, filio Renati Andegauensis. Intereà Ioannes Arragonius Rex cæcus, à Iudæo albugine detractâ, recepit lumen; filius quoque eius Ferdinandus, natus annos 16. Siciliæ Rex renunciatus bello Catalanico præpositus est: neque tamen Ioannes despondit animos, & res promouisset suas, nisi intra biennium viuendi, turbandíque finem fecisset, *Mariana, & alij.* Romæ obiit Cardinalis de Turre-Cremata, *de Tourarse*, Hispanus, olim ex ordine Sancti Dominici, octuagenario maior, cuius opus Societas B. Virginis Annunciatæ, pro maritandis, aut Deo consecrandis Virginibus, in Ecclesia Dominicanorum supra Mineruam, *Leander, & aly.* Fridericus Imperator Romam venit, ex voto, ibíque septimam Lectionem in peruigilio Natiuitatis decantauit, & cum Pontifice de bello Turcico deliberauit, lautissimè ab eo exceptus, cum sexcentis comitibus suis, multis auctus gratiis, in suam Germaniam rediit, *Papiensis, Platina, Krantzius, sed in Imperatorem iniquior.*

Anno Christi MCCCCLXIX. *Ludouicus effecit artibus suis, vt Carolus eius frater pro Bria, & Campania, per quas hic Burgundo vicinior esset, Aquitaniam longè ampliorem, & ditiorem Prouinciam acciperet, sícque eius societas Franciæ periculosa abrumperetur. Id ingratissimum accidit Carolo Audaci, nec minùs Cardinali de Baluës, cuius immensa potentia dissentionibus inter Carolum Fratrem Regis, Burgundum, & Armoricum fouebatur. Conatus est ergo fratrem à fratre Rege disiungere, Burgundum ad Regnum inuadendum inuitare, vsus sceleris administro Guil. Haraucurtio Episcopo Virdunensi. Sed propè mirabiliter detecta vtriusque conspiratio, nuncio ad Clayam capto. Dati ergo in custodiam Cardinalis, & Episc. de quorum iudicio acriter Romæ, & in Francia disceptatum. Cardinalis in carcere annos* 11. *contriuit, Episcopus annis* 14. *inclusus caueâ ferreâ, author ipse ferrearum cauearum, & suo, vt Perillus ille, mulctatus supplicio,*

cio, Comminius, Papienſis, & omnes Franciæ Scriptores. *Instituit hoc anno Ludouicus Ordinem Sancti Michaëlis, Ambaciæ in pago Turonensi ineunte Augusto, 36. Equites erant, sub Rege Ordinis Magistro. Selectus autem S. Michaël quòd multa commoda attulisset Regno. Eum obtulit Duci Armoricæ; hic illum repudiauit, vnde belli materies, sed breuioris; vt causæ ratio exigebat.* Gaguinus, Franc. Modius in Pandectis triumphalibus, Fauinus in Theatro honoris, & alij. Iſabellam ſororem Henrici Caſtellæ Regis, & Regni huius iam hæredem deſignatam multi prenſabant proci. Hæc tamen inſcio fratre, nupſit Ferdinando Arragonum Regis filio, harum nuptiarum Archiepiſcopo Toletano promotore ac pronubo, quamuis iuraſſet ſæpè illa ſe, niſi ex voluntate fratris, iungendam nemini. Mentitus eſt Præſul iſte nequam ſe diſpenſationem obtinuiſſe à Pontifice de impedimentis propinquitatis, ſícque confectæ nuptiæ Valliſoleti 19. Octobris. Meritò iratus Henricus Iſabellam abdicat publicis Tabulis 26. eiuſdem menſis, & Ioannam filiam ſuam legitimam prolem agnoſcit ex vxore ſua, ídque vterque ſacramento firmauit. Hanc dat vxorem Carolo Aquitaniæ Duci, qui Iſabellam poſtularat: vnde bella timebantur, quæ Caroli mors ànte nuptias conſummatas abſtulit, *Mariana, Surita.* Pontifex Paulus II. Ariminum, & in ea vrbe Robertum Malateſtam obſidet, cui tulit auxilium ingratiſſimus Ferdinandus in Sanctam Sedem: Veneti fauebant Pontifici, eíque ſpondebant opem, & copias. Exercitus tamen Pontificius incuriâ Ducum cæſus, & obſidio ſoluta quæ tamen ſtatim innouari potuiſſet, niſi præfectus Venetus cunctationibus ſuis Pontificis conſilia eluſiſſet, *Cardinalis Papienſis Epiſt.* 276. Matthias Rex Hungariæ in Morauiam aduerſus Georgium ingreditur, & Olomutium accedens, receptus à Catholicis Rex Bohæmiæ, ac Morauiæ Marchio àcclamatur. Inde Wratiſlaniam petens Dux quoque Sileſiæ dicitur, cepit & Victorinum Georgij filium, vel obſidione in quodam oppido, & honeſtè habuit, vt ſcribunt *Bonfinius, & Michouius*, vel intercepit inſidiis, dum iter haberet ad ſororis ſuæ virum, & Budam perduxit incluſítque turri ſine tecto, cibis, & potu malignè ſuppeditatis vt habent, *Dubrauius, & Cromerus.* In his contro-

uersiis ab vtraque parte sollicitatus est Cazimirus, medius fuit, inclinans tamen in Bohæmos, qui eius filium Wladislaum Georgij successorem proclamassent. Obstitêre tamen constanter Episcopi, & cùm Legati Bohæmi Cracouiam intrassent, à sacris cessatum, donec illi abiissent, quod modestè Rex tulit: quare eum Pontifex suspectum habuit quasi de Religione cum Hussitis saltem conniueret; qua de re se purgare conatus est, *Michouius, & Cromerus.* Vtrum aliquas acceperit Matthias in Morauia clades ab Henrico fratre Victorini; item & vtrùm à Stephano Palatino Valadiæ bis victus fuerit, de quibus agunt *Cromerus, Dubrauius, Nauclerus,* dubium est. Certius quod habet *Michouius* de Stephano Walachiæ Præfecto seu Vayuoda, hunc scilicèt incurrentes Tartaros in ditionem deleuisse, & cepisse Ducis filium, seu Imperatoris Tartarorum *Mamachi*, qui Tartaris trans Volgam præerat, inquit *Michouius*, sed *Cromerus* Maniacum vocat Ducem Tartarorum Zauolgensium. Hic cùm minaci centum virorum Legatione, & verbis audacibus filium suum repetiisset, coram Legatis eum in partes secari iussit, & ipsos Legatos palis suffigi, vno tantùm reseruato truncis naso & auribus, qui nuncium huius carnificinæ ad Maniacum referret, *Michouius, & Cromerus.* Mahometes II. auditâ vrbis Æni expugnatione, direptione, & excidio per Nicolaum Canalium Ducem Classis Venetæ, votum emisit immane, quod leges apud *Papiensem*, euocauítque omnem militiam suam ad vndecimum Martij anni insequentis, *Vide Epistolam* 380. *eiusdem Cardinalis Papiensis.*

Anno Christi MCCCCLXX. Comes Waruicensis Ricardus, qui potissimùm promouerat ad Regnum Eduardum, Henricum deiecerat variis de causis alienatus ab Eduardo, factâ coniuratione cum fratre suo Archiepiscopo Eboracensi, & aliis Proceribus, adeóque cum Duce Clarentiæ, fratre Eduardi, arma in Regem inducit, eius fugat exercitum, & Henricum retractum ex Turri Londinensi, restituit Solio, mense Octobri. Eduardus fugit in Flandriam ad Burgundiæ Ducem; eius acta omnia in Anglia rescissa, mulctati qui ab eius partibus steterant, *Philippus Comminius, Historia Ludouici XI. Polydorus. Ludoui-*

cus XI. Regni sui Status conuocat Turonis, sed eos tantùm aduocat, quos sibi, & suis sensibus addictos norat. Hîc auditæ aliquot accusationes in Burgundum; decretúmque vt hic sese Parlamento sisteret, sibi obiecta crimina dilueret; quod ei significatum est ab Accenso Gandaui, quem comprehensum paulò post dimisit. Id autem factum ex secretâ conspiratione Caroli fratris Ducis Armoricæ, & Comitis Stabuli, qui decreuerant inter se committere Regem, & Burgundum, vt hunc adigerent dare filiam suam in matrimonium Carolo Duci Aquitaniæ. Itaque Ambianum & Fanum S. Quintini Regi se dedidêre: pressus armis Franciscus Burgundus, supplex à Rege impetrauit inducias, ingenti mœrore Comitis Stabuli, qui tantùm turbare volebat. Philippus Comminius lib. 3. Mense Maio obiit Carolus Sueciæ Rex, qui successorem Stenonem Stureum ex sorore nepotem reliquit hæredem, prudenter admonitum, ne Coronam & regium nomen assumeret; quod & sapienter hic præstitit magnis & infimis carus. Eum inuasit sui Principatus initio Christiernus Sueciæ Rex, sed atroci prælio victus in suam Sueciam redire compulsus est, iactitans se victum potiùs magicis artibus proconsulis Holmiensis Doctoris Rytrigy, quàm armis, & virtute, *Ioannes Magnus, Krantzius in Suecicis, & Danicis.* Germania hoc anno turbata fuit ob rixas inter Fridericum III. Imperatorem, Casimirum Polonum, & Matthiam Hungarum, Podiebraccio, atque Bohæmiæ salutares. Hic inuitatus à Casimiro se Paulo II. submisisset, nisi impediisset Rochysana, linguâ suâ impeditâ nihilosceciùs potens, *Dubrauius, Bonfinius, Cromerus.* Mahometes II. paratis ingenti classe, & pedestri exercitu Eubœam inuadit, priùs Lemno, Imbróque vastatis. Oppugnata grauiter Chalcis, fortiter propugnata, 30. diebus, indicatis Turcæ à Thoma quodam Liburno debilioribus murorum locis. Si pontem quo iungitur Insula continenti abrumpere voluisset Canalius præfectus Venetæ classi, seruata erat vrbs, & Mahometes recedebat; sed ille veritus periculum, vrbem in suis oculis capi passus est, ideò coniectus in vincula à Mocenico, qui ei successit, perpetuo exilio damnatus. Erizius vrbis propugnator qui se saluo capite dediderat per latera sectus est, cum Mahometis Sarcasmo, asserentis eius capiti, non lateribus se parciturum promisis-

ſe. Erizij filia pulcherrima negans Sultani libidini acquieſcere iugulata virgo & Martyr euolauit in cælum, *Author de Negreponti expugnatione, post Chalcondylem Clauſeri, Petrus Iuſtinianus, Boſius, Sabellicus, Palmerius, Phranzes, & alij.* Iubilæum ad 25. annum contractum eſt à Paulo, inchoandum anno 1475. *Conſtitutio 7. Pauli II. in Bullario.* Adolphus filius Arnoldi Ducis Gueldriæ, in cuſtodiam datus eſt à Carolo Burgundo, quòd eius ſententiæ nollet acquieſcere, dare ſcilicèt patri oppidulum cum annuâ penſione. Dum ergo mutato habitu fugit, datus eſt in vincula, in quibus improbè detinuerat patrem, & in iis hæſit vſque ad obitum Caroli: tum liberatus à Gandauenſibus bello contra Tornacenſes, illorum copiis præfectus; quando & cæſus eſt, diriori morte mulctandus, *Philippus Comminius, Author tamen Magni Chronici* ſcribit Burgundum per fraudem hæc egiſſe in Adolphum, vt Gueldriâ potiretur.

Anno Chriſti MCCCCLXXI. Ecclipſis Lunæ obſeruata eſt 2. Iunij. Obiit die 22. Martij ex hydrope Georgius, ſeu Giroysko Podiebraccius Rex Bohæmorum, incertus cui Principatum relinqueret, an Polono cuius iam filius Rex acclamatus erat Bohæmiæ; an Hungaro qui filium eius Victorinum retinebat in vinculis. Præceſſit eum diebus 15. ad Dei tribunal Rochyſana. Statim in Comitiis Bohæmicis Rex renunciatus Wladiſlaüs, Caſimiri Regis Polonorum primogenitus, ſeu Ladiſlaüs annos natus 15. filius Caſimiri, & ſororis vltimi eorum Regis, coronatus Pragæ 21. Auguſti ab Epiſcopis Catholicis. Hic magnis inſtructus copiis venerat in Bohæmiam, ſibi veritus à Matthiâ Hungaro; qui neglecto bello Turcico Bohæmiam depopulatus eſt: quamobrem & ob alias cauſas Hungari in eum coniurarunt, petito in Regem altero filio Caſimiri, qui cum magnis copiis accurrit. Sed cùm Hungari rebelles imparati eſſent, eos Matthias facilè retudit, Poloni recedere coacti ſunt, *Cochlæus, Michouius, Cromerus, Bonfinius.* Die Paſchatis Borſius Eſtenſis Marchio Dux Mutinæ, magnificè à Paulo ſuſceptus eſt Romæ: inſuper accepit Ducatum Ferrariæ; quo tamen vix quatuor menſibus potitus eſt moriens 21. Auguſti, & reliquit hæreditatem Her-

culi fratri, *Papienſis, Pingonius, Ciacconius, Trithemius.* Paulus II. 25. Auguſti in viuis eſſe deſiit ex apoplexia (apage enim Pleſſæi Mornæi, & Hæreticorum commentum, à Dæmone in actu Venereo fuiſſe ſtrangulatum) Pontifex inter bonum, & malum medius, ſed bono propior, aliiſque melior quàm ſibi ob rigidam morum cenſuram. Vixit annos 53. menſes quinque, dies tres: Sedit annos 6. menſes 10. dies 26. In eius vita *Bartholomæus Platina* deſiit, cui de Paulo ſcribenti, non eſt adhibenda fides, cum ab eo ſe malè fuiſſe mulctatum conqueratur, poſteà eius ſucceſſori gratiſſimus, factúſque Bibliothecæ Vaticanæ præfectus, *Papienſis, Platina, Gretſerus, & alij.* Datus eſt ei ſucceſſor 9. Auguſti Franciſcus Ruuereus, coronatus 25. eiuſdem menſis, dictúſque Sixtus IV. anno ætatis 57. vtrùm autem fuerit origine nobilis ex familia illuſtri Roborea, & hæc ſibi ob nominis cognationem hunc aſciuerit; an ex patre Ligure nauiculario, vel piſcatore, non facilè ſtatui poteſt: hoc tamen extremum probabilius. Hoc certum, fuiſſe Minoritam, & ſui ordinis Generalem, acceptiſſimum Beſſarioni, ob virtutem, & eruditionem. Huic autem Beſſarioni oblatus fuerat Pontificatus, quem reſpuit: quia certis conditionibus offerebatur, quas acceptauit Ruuereus: ſed ſtatim irritas eas eſſe declarauit, neque ſe vllis adſtringi legibus, niſi diuinis, *Papienſis, Fulgoſus, Maſſonus, & alij.* Exinde Sixtus duos nepotes ſuos Cardinales creauit, Petrum Riarium ſororis ſuæ filium, item Franciſcanum Profeſſorem, poſteà vſque ad profuſionem largum, & ſic voluptatibus addictum, vt anno vitæ 28. obierit, cuius infamia in auunculum, cui nimis carus erat, redundauit: ornauit & purpurâ alterum nepotem Iulianum fratris ſui filium, annos natum 27. altero paulò meliorem, *Papienſis, Victorellus Appendice ad Ciacconium, & alij.* Eduardus cum copiis Burgundi iunctus fratri ſuo Duci Clarenriæ Londinum ingreditur vndecimo Aprilis, & Henricum capit, includítque turri Londinenſi à ſuis omnibus deſertum. In eius auxilium accurrit Varuicenſis: ſed in prælio victus & cæſus eſt. Paulò pòſt adfuit Margareta cum filio Eduardo & copiis Gallicis, ventis, quo minùs citiùs veniret, retardata; iam de fortuna deſperans. Sed excitata à Duce Somerſe-

tensi iterùm aleam prælij tentauit, in quo cæsus Somersetensis, eiúsque filius; hæc capta, & pretio redempta non ita multò pòst in Gallia ex mœrore contabuit. Ferunt tamen aliqui Eduardum hunc à Ducibus Clarentiæ, & Glocestriæ Eduardi Tyranni fratribus crudeliter esse trucidatum. Certè Henricus Rex in Turri Londinensi mox gladio cæsus à Duce Glocestriæ, vir piissimus, & post obitum miraculis multis clarus, mortuis etiam suscitatis, *Philippus Comminius lib. 3. Polydorus lib. 24. Harpsfeldius in Historia Eccles. Anglicana.* In Castella Præsules aduersus Henricum rebellarunt, & à Pontifice inuitati ad concordiam, eius monitus, mináśque spreuère. Aragonij feliciores extitère, receptâ Gerundâ, & hostibus fusis. Sed omnium felicissimi fuère Lusitani, quorum rex Alphonsus in Africam traiiciens cum exercitu 30. millium, mense Augusto, breui occupauit Arzilliam, & Tingem, Vrbes permunitas, & imposito his præsidio, cum scientissimis præfectis, ad sua regressus est incolumis. Obiit 12. Martij Dionysius Rikel Carthusianus, dictus *Extaticus*, qui sic scripsit, vt nunquam orasse; sic orauit, vt nunquam scripsisse videatur; laudatus impensè ab Eugenio IV. cuius liber de 4 nouissimis cautè est legendus, *Bellarminus de script. Ecclesiast. & vita eius.* Eodem fine, & æquè sancto quieuit Thomas à Kempis 25. Iulij, anno ætatis 92. ex Ordine Sancti Augustini, sic dictus à vico agri Coloniensis, vir sanctissimus, cuius pietatem ostendit libellus de imitatione Christi, quem alij quidam Plagiarij, sibi arrogare voluerunt, *Rosueydus in eius vita.* Eòdem pertinet Amedei Lusitani Minoritæ Apocalypsis, de cuius scripto nihil audeo pronunciare, *Bzouius, Wadingus, & alij.* Mense Decembri, & sequenti Ianuario per dies fermè octoginta horribilis Cometes apparuit, ignei coloris in principio Libræ, *Trithemius, Papiensis, Krantzius, Cromerus: Michouius ait duplicem esse à se visum, in fine Autumni huius anni, diuersum ab eo qui apparuit Ianuario anni insequentis.*

Anno Christi MCCCCLXXII. *15. aut 18. Nouembris Bessarion Cardinalis annos natus 77. Legatus Pontificius, delusus variis ludificationibus Ludouici, relinquit Gallias,* & Rauennæ ex mœrore moritur, vir vndequaque doctus, ideò minùs

Regi gratas, qui litteras oderat atque litteratos. Ei charissimi extitêre Georgius Trapezuntinus, Ioan. Argyropylus *Græci;* Franciscus Philelphus, Flauius Blondus, Leonardus Aretinus, Poggius *Florentini;* Laurentius Valla, Antonius Campanus, Bartholomæus Platina *Itali*; cuius & domestici fuêre Theodorus Gaza, Gemistus Pletho, Andronicus Thessalonicensis, Domitius Calderinus, Nicolaus Perottus, Valerius Viterbiensis, omnes digni quos Iouius elogiis celebraret. Reliquit Bibliothecam suam Reip. Venetæ, 30. aureorum millibus comparatam, quare ei magnæ à Senatu, & Duce habitæ sunt gratiæ, *Papiensis, Platina, Petrus Iustinianus, &c. Contigit hoc anno Burdegalæ obitus Caroli Aquitaniæ Ducis 12. May, ex veneno quod ei propinauit eius Eleemosynarius Abbas S. Ioannis Angeriaci, ex suasione Ludouici Regis. Hic porrò Abbas pertractus est in Castrum Nannetense, vbi de cælo tactus interiit multatus à Deo, cùm eius salutem homines curarent. Quare Ludouicus recepit Aquitaniam, neque promissas Burgundo vrbes duas reddidit; insuper Armoricum Ducem muneribus, & pensionibus ad suas partes adiunxit; Vnde versus in furorem Carolus armatus Franciam est ingressus, & in aliquod oppida capta ad insaniam vsque deseuiit. Sed ab obsidione Bellouaci depulsus turpiter, ad sua rediit, Anglos deinceps in Franciam euocaturus, vbi omnia pacata esse ferebat impatientissimè. Ludouicus etiam tum ei eripuit Philippum Comminium hominem prudentissimum qui multis vrbibus fuerat à Carolo redimendus*, Meyerus, Belleforestius, Gaguinus, Comminius, & omnes Francici Scriptores. *Excessit ex viuis eodem anno Guillelmus Quadrigarius, seu Charterius Episcopus Parisiensis, tam iuuisus Ludouico, quàm populo charus: frater eius fuit Ioannes Monachus author Chronicorum, quæ vulgò nominantur Magna Chronica Dionysiana, & alius Alanus, qui Carolo VII. à secretis fuit*, Gallia Christiana de Episcopis Parisiensibus, *Ludouicus Rex suadentibus præsulibus edixit, vt quotidie ad salutandam B. Virginem ter pulsaretur in meridie; vnde & in quibusdam locis etiamnum hodie dicitur*, Le Pardon du Roy, *Fuit enim Rex iste pius in primis in Beatam Virginem (maleuoli dixêre superstitiosum) certè eius imaginem plumbeam assutam pileolo assiduè gerebat, atque identidem deosculabatur, petitâ veniâ si quem è Proceribus sublaturus esset*, Phi-

lippus Comminius, & omnes Historiæ Galliæ Scriptores. *Idem Ludouicus post ludificatum Bessarionem, Legationem ad Sixtum misit, quæ postularet, quæ Pontifici parum placerent, Concilium Lugduni celebrandum, & alia eiusdemmodi, quæ Sixtus sapienti responsione elusit*, Cardinalis Papiensis. Suscepit etiam Legationem in patriam suam Hispaniam Rodericus Borgia, Vicecancellarius Cardinalis, tantùm vt quantùm posset ex Castellâ, Lusitaniâ, Aragoniâ nummorum corraderet, quod egregiè præstitit. Quare vbi incurrisset in omnium odium, cum duabus triremibus prædâ sacrâ onustis Romam redibat, quando duas eius triremes fœda tempestas excepit; quarum vna cum 75. domesticis, totâque Hispanicâ prædâ fluctibus hausta est, altera quâ vehebatur ipse fracta atque conquassata ægrè terram vt reficeretur attigit, *Mariana, Appendix ad Papiensem, Surita, & alij.* Oliuarius Caraffa Cardinalis Neapolitanus dictus, in Turcos mouit cum classe Pontificia, Veneta, atque Siciliensi; Turcæ continuerunt se Bosphoro nec in Ægæum mare transire ausi sunt. Itaque Christiana classis Attaliam Pamphiliæ inuasit, cuius portu potita est, ab vrbe per Turcos fortiter repulsa. Smyrnam quoque Ioniæ, cuius muri pænè vetustate corruerant, occupauit, incolis omnibus abductis, multâque prædâ exportatâ ex opulenta ciuitate. Cuius in auxilium dum accurrit præfectus, qui tum aberat, deletus est. Cardinalis ouans rediit Romam, initio anni sequentis, classis tanta Turcos duntaxat exterruit; quæ si respondisset conatibus Vsumcassani, res Turcis pessimè cessisset, *Petrus Iustinianus, res eo bello gestæ post Chalcondylem, editionis Clauseri, Papiensis, & alij.* Enimuerò tum Vsumcassanus potissimùm excitatus à Venetis in Turcos irruit cum 50. millibus Equitum, cum auxiliis Caramani, & Czaris seu Principis Tartarorum, & Trapezuntem Vrbem, cum eius Imperio occupauit; item Neocæsaream vulgò *Tocat* cepit, & si recepisset à Venetis tormenta bellica ipsi promissa, rem Turcicam in extremum periculum adduxisset, *Michouius, Leunclauius, Callimachus, Iosephus Barbarus.* Sophia Thomæ Despotæ fratris Constantini Imp. filia data est vxor Ioanni Duci Moschouiæ, dote ei per Pontificem concessâ, vt maritum, & Russos ad veram fidem reduceret:

ret: sed contrà à Ioanne in contrarium abducta est, *Krantzius in Vandalia.* Denique mortuus est hoc anno Amedæus, nonus Sabaudiæ Princeps, Dux tertius, obnoxius morbo comitiali, quem propter corporis imbecillitatem subditi exauthorare voluerant; sed tumultibus hisce magnâ prudentiâ, & patientiâ sopitis, tantæ fuit venerationi vicinis Principibus, vt etiam eius sororem Carlotam vxorem Ludouicus duxerit, hic etiam duxerit Rolandam Ludouici sororem. Obiit ætatis anno 37. 30. Martij Vercellis, in pauperes valdè liberalis, post mortem miraculis clarus, *Petrus Franciscus Maletus in eius vita, Bellarminus, de officio Principis, Boterus, Pingonius*, qui duo eius obitum in annum 1477. differunt, *Vanderbruchius*, in annum superiorem reiicit.

Anno Christi MCCCCLXXIII. Ecclipsis Solis contigit 27. Aprilis. Iacobus Rex Cypri hoc anno viuere desiit, reliquítque vxorem de se grauidam, quam Mocenico, ac Reipublicæ Venetæ commendauit. Ab iis Carlotta quamuis hæres legitima deiecta est, cuius tamen causam tueri conatus est Archiepiscopus Cypri natione Catalanus, qui fretus Catalanis suis per totam Insulam sparsis, in auxilium euocauit Ferdinandum Neapolitanum Regem; vnde aliquot Veneti cæsi, quorum necem adueniens Mocenicus cum ingenti classe vltus est, quietamque tum reliquit Insulam, in qua tamen mox redintegrati sunt motus; sed Veneti tandem præualuerunt, & Catharinæ partes, quæ enixa est Iacobum biennio tantùm superstitem, *Coriolanus Cepio, Sabellicus, Iustinianus, Palmerius. Ioannes Comes Armaniacus obsessus in vrbe Lectorio, per Cardinalem Atrebatensem cum Regiis copiis, quòd in eam Petrum Borbonium Aquitaniæ præpositum à suis proditum intercepisset. Comes se tandem cum Vrbe dedere coactus est: sed neutri seruata fides, cæsus* Comes, *Vrbs fœdè direpta, magno Cardinalis dedecore. Quanquam Armaniaco aliquid einsœmodi expectandum esset à Deo, qui sororem suam germanam duxisset vxorem, adulterato Pontificis Diplomate, ideóque tantum crimen, etiam per crimen vindicandum fuit*, Gaguinus, Meyerus, Belleforestius, & alij. *Dux Burgundiæ Carolus, Regis optabat habere nomen, ideóque filiam suam Mariam, Maximiliano filio Im-*

ratoris vxorem obtulerat. Sed cùm Carolus, priùs inungi vellet in Regem, Fridericus priùs nuptias celebrari, hic paratis omnibus ad inaugurationem Regis, summo mane Treuiros fugit; in cuius odium Carolus Nuissium obsidere parat, contemptus ab omnibus, qui multâ pecuniâ tantùm dedecoris redemisset, Philippus Comminius, Author Magni Chronici Belgici. Hoc anno 27. Maij Sixtus IV. primùm confirmauit Regulam S. Francisci Paulani, atque Minimorum. Hic natus ex parentibus sterilibus & precibus S. Francisci Asissinatis impetratus, factus est Christianæ demissionis exemplar, ac sui sæculi Thaumaturgus. Fratres suos Minimos appellari voluit, vt sui nominis priùs, quàm humilitatis obliuiscerentur, *Sixti IV. Constitutio, huius Ordinis Historia, & alij.* Hoc tempore vsus Rosarij à S. Dominico propagatus, & tum negligi cœptus reparatus est per B. Alanum Rupensem Dominicanum, simúlque B. Virginis Psalterium, quam pietatem Sixtus IV. Indulgentiis concessis, & fouit & adauxit, *Historia Rosarij, Trithemius, Bulla Sixti Quarti.* Antonius Siculus adolescens sese deuouit pro Christianitate, & classem Turcicam, atque armamentarium Callipolitanum incendenda suscepit, potestate à Moecenico Naupliæ Peloponnesi acceptâ, vnde cum Lembo pomis onusto, eò perrexit; & armamentario quidem ignem iniecit, sed dum eosdem ignes in classem spargere parat, deprehensus fugere compulsus est, leuibus eius fluctibus haustus; itaque secessit in syluas, sed ex pomis fluitantibus detectus, quæsitus, & interceptus, fassus est Mahumeto facinus suum, cuius iussu sectus, plus doluit quòd classem non incendisset, quàm quòd tam immaniter scinderetur. Senatus Venetus eius fratri censum annuum assignauit, sorori ex ærario dotem, *Coriolanus Cepio, Sabellicus, Iustinianus.* Moecenicus in Caramania rem egit fortiter, tres vrbes Turcis eripuit, ac toto regno est potitus quod Principi suo reddidit; Lyciam insuper depopulatus, Turcis multum damni, plus terroris iniecit, *Historiæ Venetæ Scriptores.* Vsumcassanus Mahometis II. exercitum grandi prostrauit clade, etiam Basâ seu Belierbego Europæ cæso: repetito tamen certamine Turca præualuit, maximè ob bombardas, quibus Persæ carebant, quæ si à Venetis Vsumcassano

traditæ fuiſſent vti pepigerant, ex tota Aſia deiectus Mahometes Principibus Chriſtianis debellandus fuiſſet obiectus, *Appendix Leunclauij, Phranzes, Coriolanus Cepio, & alij.*

Anno Chriſti MCCCCLXXIV. Chriſtiernus Daniæ Rex Romam venit ad limina Apoſtolorum, magnificè ſuſceptus à Pontifice, vbi multa exhibuit ſigna pietatis, & Chriſtianæ demiſſionis. Rediens in Patriam diuertit *ad Carolum Burgundum, tum obſidentem Noueſium ſeu Nuſium in ditione Archiepiſcopi Colonienſis, quam tuebatur Hermannus frater Landgrauij Haſſiæ Canonicus Colonienſis, quem ducem & adminiſtratorem vrbis conſtituerant aduerſarij Archiepiſcopi Ruperti Bauari, cuius partes Carolus tuebatur. Et Chriſtiernus hanc controuerſiam componere voluit; ſed reſtitit Carolus ſpondens ſibi vrbis huius expugnationem, aut deditionem; durauit tamen obſidio 46. Hebdomadis, multis vtrimque cæſis in eruptionibus, & irruptionibus à 29. Iulij anni præſentis ad 28. Iunij anni ſequentis.* Author Magni Chronici Belgici Canonicus Regularis S. Auguſtini propè Noueſium, qui hîc opus ſuum claudit, Trithemius, Comminius, Meyerus, Appendix ad Papienſem: *Idem Carolus Burgundus Ludouicum Franciæ Regem tollere veneno conatus eſt per Harditum quemdam, qui captus, faſſuſque crimen, equis decuſſatis laceratus eſt.* Author Vitæ Ludouici, Gaguinus, Belleforeſtius. Idem Carolus deludit Ferdinandum Regem Neapolitanum ſpe affinitatis, quaſi huius filius Fridericus, filiam illius vnicam in matrimonium accepturus eſſet, *Appendix ad Papienſem, & idem Papienſis Epiſt.* 590. Obiit hoc anno Rex Caſtellæ Henricus Segobiæ apud ſororem ſuam, quæ hîc degebat, non ſine ſuſpicione veneni propinati, curâ Ferdinandi, qui huc quoque aduenerat: ex quo morbo cùm recreatus eſſet, x1. Decembris finem viuendi fecit priùs nominatâ Ioannâ Regni ſui hærede: Inde magna eſt orta diſſenſio dum multi Ioannæ, plures Iſabellæ Ferdinandi Aragonij vxori fauent; tandem præualuêre Iſabella, & Ferdinandus, initio tamen haud parùm concordes de iure, ſed poſteà coniunctiſſimi, *Mariana lib.* 24. *Rodericus Santius Epiſcopus Pallentinus, qui hîc ſuam claudit Hiſtoriam.* Mortuus eſt eodem anno Petrus Riarius Cardinalis S. Sixti, nepos Sixti IV. &

auunculi opprobrium, qui cùm fuiſſet Minorita, factus eſt Lucullus purpuratus, vt turpiùs S. Franciſci paupertatem contemneret. Non eſt veneno ſublatus, vt quidam putarunt, verùm ex crapula, & luxu quibus immerſus erat, *Papienſis Cardinalis, Ciacconius, Onuphrius, & alij.* Pax inita eſt inter Matthiam & Caſimirum, cuius filius Wladiſlaüs veneno tentatus eſt, & ſcommatis Huſſitarum, quæ tamen diſſimulare compulſus eſt, *Cromerus, Michouius, Dubrauius, Bonfinius.* Vſumcaſſanus Perſa plura promittebat Chriſtianis, quàm præſtare poterat; immò ſuo ſe regno continere compulſus eſt. Rebellauit enim in eum Vnghermanmetus, qui adiutus copiis Turcicis multùm negotij exhibuit patri. Sed tandem ab eo hic fraude interceptus morte mulctatus eſt. Inde hic Perſes arma vertit in Sacrochum nepotem Tamerlanis, in Ægypti Sultanum, Cappadocas, Armenos, Georgianos iam non Turcis modò, ſed toti Orienti metuendus, *Michouius, Papienſis, Angiolellus in Geſtis Vſumcaſſani, &c.* Mocenicus creatus eſt Dux Venetiarum, eiúſque loco Antonius Lauredanus Claſſi præficitur; Naupactum hic à Turcis ſeruauit, & Coccinum oppidum Lemni vbi Marulla puella, patre cæſo, eius armis induta, fortiter repulit Turcos, & ſuis animos reddidit, *Sabellicus, Iuſtinianus:* dubitat meritò *Spondanus* an non ſit hæc confundenda cum puella Leſbia cuius meminit *Æneas Syluius Aſiæ cap.* 74. Raphaël Patriarchatum Conſtantinopolitanum emit pecuniâ, plus pollicitus quàm poſſet dare, ſicque exauthoratus Simeon. Sed cùm Raphaël ſtare pactis non poſſet, vinctus cathenâ ferreâ circumductus eſt à Turca ſatellite ad ſtipem emendicandam, vnde ex mœrore dedecoris obiit, *Zygomalas in Turco-græcia.*

Anno Chriſti MCCCCLXXV. Iubilæum celebratum Romæ iuxta Sixti IV. Conſtitutionem, & reuocatum ad annum 25. multos Principes in vrbem Sanctam acciuit, inter cæteros Ferdinandum Neapolitanum Regem, Carlotam Reginam Cypri, Catharinam Reginam Boſniæ, & alios, *Victorellus de Iubilæo, Ciacconius, Onuphrius, & alij. Soluta eſt hoc anno Noueſiana obſidio* 28. *Iunij aduenienie in eius auxilium Friderico Imp. cum pleriſque Germaniæ Principibus, & tractatu inito de quo non conueniunt Scriptores,* Philippus Comminius,

Meyerus, Krantzius, & alij. *Interim idem Carolus Eduardum inuitarat vt transiret in Franciam, cum luculento exercitu quod & hic præstitit; sed cùm ei defuisset Carolus, nec copias adduxisset quas erat pollicitus, quòd in eum Ludouicus Renatum Lotharingam armasset, fœdus iniit nouennale cum Franco, acceptâque grandi pecuniâ, post mutuum congressum 29. Augusti ad Piquiniacum, ad sua rediit, frustrà reclamante Burgundo; qui demum pacem facere cum eodem Rege coactus est, prodito ei Comite Stabuli S. Pauli, cuius capite se indigere Ludouicus rescripserat. Et verò Parisiis eum conuictum proditionis, & rebellionis, capite publicè Rex mulctari iussit, 19. Decembris, qui pientissimè obiit, & vt solent viri fortes verè Christiani,* Philippus Comminius, Author Vitæ Ludouici, Meyerus, Gaguinus, Paulus Æmilius, Polydorus, & alij. *Ludouicus festum S. Caroli Magni 28. Ianuarij, in suo Regno celebrari iussit; non quòd hoc Festum tum primùm celebratum sit, sed restitutum, quia fuerat neglectum,* Author Vitæ Ludouici XI. & Spondanus in Epitome Baronij ad annum 814. num. v. *Carolus Burgundus Renatum Lotharingiæ Ducem inuadit, & Nanceium eius ditionis caput longiori obsidione in suam potestatem redigit,* Philippus Comminius, & alij. Turcorum centum viginti millia deleuit Stephanus Vaïuoda seu Palatinus Moldauiæ, & Walachiæ tantùm cum 30. suorum millibus, omnésque aut occidit, aut cepit, cum Bassis 4. eísque centum signa eripuit. In partem huius victoriæ venire Matthias voluit, quasi à Principe sibi subdito relatæ; quam tamen turbare voluerat, missis in Walachiam sex Hungarorum millibus, quos idem Stephanus ceciderat, & minori hac victoriâ maiori præluserat. Cepit tamen Matthias *Sabacs* Arcem ad Sauum fl. permunitam; sed huic Turcæ reposuerunt vicem, per atrocem Hungariæ depopulationem, *Michouius, Cromerus, Bonfinius, &c.* Turcæ cladem intulère Venetis ad Croiam in Albania, & maiorem ad Theodosiam vulgò *Caffa* in Taurica Chersoneso, adiuti à Tartaris, qui Regem suum Genuensium amicum obsederunt, & ceperunt cum duobus suis fratribus, & nobilibus aliquot Genuensibus, Duce expeditionis Achmete Bassâ Duce fortissimo, cuius iniuriæ, etiam cæso filio suo Mustaphâ, Mahometes satisfecit, *Folieta, Cromerus, Appendix Leunclauij, Spanduginus de Origine Turcarum.*

Renouatum hoc anno à Sixto IV. Festum Visitationis B. Virginis ad auxilium eius implorandum aduersus Turcas, *Bulla Sixti IV.* Denique Martyrium passus Tridenti Simeon puer à Iudæis in parasceue 23. Martij excarnificatus, multis miraculis clarus, *Ioannes Tiberinus apud Surium, Sabellicus, Chronicon Salisburgense, &c.*

Anno Christi MCCCCLXXVI. Sixtus IV. Indulgentias easdem largitus iis qui recitarent officium Conceptionis B. Virginis, ac Missæ interessent, quas Vrbanus IV. concesserat in Festo Corporis Christi: eas tamen haud admisère Dominicani, qui eiusdem Pontificis Constitutione 1483. fuère reprimendi, *In extrauagante Sixti IV. de reliq. & venerat. SS. cap. 1. & 2.* Contigit horrenda clades Romæ ex inundatione Tiberis fl. ob liquatas niues circa initium Ianuarij, & tanta, vt diluuium timeretur. Secuta ex illa eluuie ingens serpentum vis, ex quibus grauis orta pestilentia, quâ sublatus Ioannes de Regio-Monte, euocatus Romam à Sixto Pontifice, vt computum Dionysij emendaret. Qui cum Anaximandro Milesio, & Archimede Syracusano comparabatur, & suis scriptis viuet semper in hominum memoria. Discipulus fuit Georgij Burbachij Bauari sui temporis Philosophorum, & Astronomorum Principis, *Trithemius de viris illustribus, Palmerius in Chronico, & omnes Bibliothecarij. Carolus Burgundus bellum suscipit aduersus Heluetios leuissima de causa, ob aliquot pelles ab eis direptas, aut certè leuem in obsidione Nouesiana iniuriam. Expugnat ergo primo impetu Castrum Gransonium, quod hi eripuerant Carolo Duci Sabaudiæ, eius confœderato, & 500. huius Castri propugnatores suspendit ex patibulis; sed adfuerunt statim Heluetij pedites pauci eúmque fugarunt 2. Aprilis, atque iisdem funibus totidem Burgundos suspenderunt; direpta eius supellex pretiosa, & Procerum, quæ tamen victoribus parum profuit, vt pote, qui rudes aurum pro ære Argentum pro stanno vendiderint. Fugit Carolus Lausanam, vbi ex mœrore ægrotauit. Verùm recuperatâ valetudine, reparat exercitum, & Moratium oppidulum obsidet, vbi eum inuadunt magnis copiis Heluetij, quibus erat iunctus Renati Lotharingi equitatus, atque iterùm victus fugatúsque 20. Iunij duodeuiginti suorum millia, atque anteà partum decus perdidit. Quâ occasione benè vsus Renatus Nanceium re-*

cepit, & rebus omnibus ad tolerandam obsidionem communiit. Sed hanc Vrbem mox recuperare conatur Carolus, & praeceps in exitium ruit, ac nullis admonitionibus potuit ab insano consilio reuocari, Oliuarius, Marchianus, Pontus, Heuterus Belga in gestis Caroli, Philippus Comminius, Paulus Æmilius, & alij. Sub huius anni finem interfectus est in æde S. Stephani, eiúsque Sancti festo Galeatius Dux Mediolanensis, vir libidinosus & impius, anno ætatis 33. ab Hieronymo Olgiato, Ioanne Andreâ Lampugnano, & Carolo Vicecomite, aliísque coniuratis, & magno inter se sacramento deuinctis. Multati grauiter percussores, Olgiatus etiam inter tormenta carmen cecinit, quo sibi immortalitatem pollicebatur. Successit ei filius Ioannes puer sub matris tutela; Italiæ Principes spes quique suas *sic agitare* cœperunt, vt cum eo cecidisse pacem Italiæ Sixtus Pontifex verè cecinerit, *Bernardinus, Corius, Iosephus Ripamontius, & alij.* Stephanus Vaïuoda Tartaros ingenti clade repulit, eos ad Borysthenem vsque insecutus. Redière tamen mox cum Turcis ad quingenta millia, quibus cedere Stephanus compulsus est. Eorum tamen excursiones repressit Casimirus, aduentans cum magnis copiis, quibus territus Mahometes, & peste, & machinis amissis tempestate, victo similis recessit. Matthias partem huius victoriæ sibi quoque falsò arrogauit; sed mox à Turcis malè mulctatus, ostendit laudes suas vanas extitisse, *Michouius, Cromerus, Bonfinius, Papiensis.* Veneti quoque à Turcis magnam ad Sonticum fluuium accepêre cladem, in qua eorum Dux Hieronymus Nouellus cum multis nobilibus fortiter pugnans interiit; vulneratus quoque Turcorum Dux Marbegus, vel Asabegus: hac victoriâ elati Barbari totam regionem desolarunt, Alpibus superatis, ex quibus simul iunctos equos, atque complicatos, in subiectas valles immiserunt; atque eorum excursiones nisi cunctatione suâ repressisset Carolus Montonius Dux Venetus, actum erat de hac regione, omnibus de fuga cogitantibus, *Sabellicus, Iustinianus.*

Anno Christi MCCCCLXXVII. *Carolus Burgundus Nanceium cum paucis copiis obsidens, occurrit Renato atque exercitui Germanico, & Heluetico: Nicolaus Campobassus Apulus proditor cum parte equitatus, cui praerat, transiit ad Renatum,*

repulsúsque à Germanis proditionem eius detestantibus, pontem Mosellæ occupat, per quem victi fugere poterant. Die 5. Ianuarij commissa pugna, fusus exercitus Caroli, nullo negotio; ipse tribus vulneribus confossus: pauci euaserunt, Campobasso, eis fugam præcludente, fratres eius nothi cum omnibus Proceribus capti. Tribus diebus insepultus iacuit, ægrè cognito à suis cadauere: quare nonnulli eum superuixisse crediderunt, & per 7. annos errasse per Germaniam, obiit annos natus 44. cùm Burgundiæ præfuisset annis 9. cum mensibus ferè 7. vir animi magni atque ferociæ, per quæ se, ac sua perdidit: Campobassus exul & erro, omnibúsque odiosus, citò malè periit, Oliuarius Marchianus, qui huic prælio interfuit, Pontus Heuterus, Philippus Comminius, Paulus Æmilius, & omnes Historiæ Francicæ Scriptores. *Acceptâ Caroli clade, & nece, Ludouicus XI. Burgundiæ Ducatum inuasit, & 4. eius oppida ad Sommonam; & totam eius ditionem occupare potuisset, nisi agere de more callidè, non fortiter, maluisset. Atenim hoc egit imprudentissimè, quòd Mariam relictam Caroli Hæredem non seruarit vxorem Delphino suo, aut suorum Principum alicui, quæ imprudentia posteà Franciæ multas clades peperit*, Philippus Comminius, & omnes Franci Scriptores. *Maximilianus Austrius filius Friderici Imperatoris, Gandaui exeunte Iulio ducit Mariam filiam Burgundi, Ludouico nequicquam, per Gaguinum has nuptias impedire conante, ex quibus intra vertentem annum natus est Philippus Caroli V. Imp. Pater*, Gaguinus, Krantzius. Alphonsus Lusitaniæ Rex imprudenter pergit in Galliam ad petenda auxilia, contra Castellanos; sed eum toto anno delusit Ludouicus: fugit itaque, Hierosolymam inuisurus, scriptis duabus litteris, alterâ ad filium, vt statim se Regem inaugurandum curaret, alterâ ad Ludouicum, quæ causam fugæ continebat. Retractus tamen curâ Ludouici, & insuper instructus classe, ac copiis, remissus est in patriam. Ad eam die quintâ à filij inauguratione appulit. Hic statim occurrit patri, eíque regnum reddidit, quod annis aliquot prudenter administrauit, composito etiam negotio Castellano; quo regnum sine dubio consecutus esset, nisi ei Ludouicus tergiuersatione suâ defuisset, *Mariana, Garibaus, Comminius*. Turci Croiâ potiuntur in Epiro, quam toto anno obsederunt. Scodram ipse obsedit Mahometes, primò ab ea repulsus,

pulsus, mox eam lentâ, sed arctissimâ obsidione præcinxit, *Sabellicus, Iustinianus, Marinus Barletius Sacerdos Scodrensis.* Matthias Hungarus Viennam obsidet, & latè Austriam depopulatur; Fridericus sibi ab illo metuens pacem redimit pecuniâ, quam non numerauit, nisi alio bello tentatus, *Michouius, Cromerus, Bonfinius.* Obiit denique hoc anno Campanus Orator illustris & Poëta, ex matre rustica sub lauro natus, & à patre destinatus opilio, datus tamen famulus Sacerdoti, à quo litteras didicit, primò præfuit Scholæ Perusinæ, mox etiam factus est Episcopus, quem magnum fuisse virum eius opera produnt, *omnes Bibliothecarij, eiúsque vita.*

Anno Christi MCCCCLXXVIII. Ecclipsis Solis contigit 27. Aprilis. Huius anni initio Veneti turpissimam pacem sed suis rebus necessariam inierunt deditâ Scodrâ, Tænaro Laconiæ Promontorio, Lemno Insulâ, & tributo octo millium aureorum vt in Euxinum, & omnia Græciæ emporia nauigare tutò possent. Scodrenses omnes Vrbem reliquêre, benignè à Venetis excepti, *Marinus Barletius in huius vrbis expugnatione, Sabellicus, Iustinianus. Henricus Richemontius reliquus vnus ex sanguine Henrici VI. quem Eduardus necauerat, seruatus apud Franciscum Ducem Britanniæ, reperitur ab eodem Eduardo missâ ingenti pecuniâ, quasi iungendus matrimonio cum filia sua, ad tollendas reliquias factionis inter domos Lanclastrensem, & Eboracensem; his delusus Franciscus eum remisit ad Eduardum. At Henricus videns se ad necem trahi in febrim incidit, & Sammaclouij fugit in asylum, vnde à Francisco iam sapientiore reuocatus, in custodia detentus est, donec ad regnum reuocaretur.* Polydorus, Argentræus, & alij. Idem Eduardus fratrem Georgium Ducem Clarentiæ damnauit ad mortem infamem, scilicet vt suspenderetur, & semiuiuus exenteraretur: verùm mater vt commutaretur in mitiorem obtinuit, ad eius voluntatem: elegit vtique vt mergeretur in dolium vini Cretici, quod *Maluasiam* vocant *Polydorus, Gaguinus, vita Ludouici XI. Krantius, & alij.* Scotia magnis motibus agitata, ac propè concussa est, quòd Iacobus II. eius Rex Astrologiæ deditissimus per Andream quendam medicum dementatus Proceres eiecisset, vilibus ministris se commisisset, Ioannem

Muriæ Comitem interemisset, dedisset in vincula Alexandrum alterum fratrem. Cùm enim hic fugisset Alexander, Proceres Duce Arcimbaldo Duglasio hos viles ministros captos suspenderunt, Regem incluserunt custodiâ Edimburgi, ex qua retractus est per fratrem Alexandrum, cum Anglicis auxiliis. Is tamen Alexander iterùm fugere coactus est, ob nouos tumultus, in Galliam, vbi inhonorus obiit, *Buchananus, Leslæus, Appendix ad Boëthium Ferrerij.* Inita est hoc anno coniuratio aduersus Medicæos per Pazzos seu Pactios eorum æmulos, incentoribus, vti creditum est, Sixto IV. eiúsque nepote Hieronymo Riario. Die Dominicâ 26. Maij in Ecclesia S. Reparatæ dum Missa celebraretur, Iulianus Medicæus occiditur, cui natus est filius postumus posteà Clemens VII. Laurentius leuiter vulneratus in sacrarium fugit, portis eius æreis quas fecerat pater, vitam debuit. Franciscus Saluiatus Archiepiscopus Pisanus suspensus, magna pars Pazzorum sublata, eorum bona direpta, firmata Medicæorum potentia datis eis de publico custodibus, quæ sine dubio tum concidisset, quoniam ære alieno obruti erant; quibus populus sponte subuenit, *Angelus Politianus, Michaël Brutus, Volaterranus, Machiauellus, Onuphrius, Comminius, & alij.* Ludouicus XI. *Sixtum IV. terrere conatur reductâ* Pragmaticâ Sanctione, *abrogatione Annatarum, & petitione Concilij. Sixtus eum verbis delinire conatus est; sed Rex sibi verba dare facilè non patiebatur, neque is deludebatur, qui cæteros deludebat,* Gaguinus, Paulus Æmilius, Papiensis, &c. Rupertus Coloniensis Archiepiscopus ab Hermanno Lantgrauij fratre & Canonicis apud quos odio flagrabat, datus est in custodiam, & biennio detentus, in qua obiit, electúsque in eius locum Hermannus Nouesij propugnator, sed de vtriusque causa, nihil statui potest, cùm Ruperto Pontificem fauisse certissimum sit, *Krantzius, Trithemius, Bzouius.* Eodem tempore tenebatur à Magistro Teutonicorum Syluester Rigensis Archiepiscopus, anteà Cancellarius Ordinis. Atenim is potiùs Ecclesiæ suæ, quàm huius ordinis memor, pro illius iuribus restitit Equitibus, vnde magnæ turbæ exortæ, Rigâ aduersus Teutonicos rebellante, qui ita se gessêre, vt meliores milites, quàm Christiani esse viderentur, *Krantzius*

in Wandalia. Tum inquisitio inducta est in Castellam ob Mauros, & Iudæos, quæ demandata est Thomæ de Turrecremata Dominicano: per eam Hæresis ex Castella exclusa; iudicium improbis metuendum, & nonnunquam bonis sed rarissimè, *Mariana.* Catharina Regina Bosniæ Thomæ Regis vxor Romæ mortua est 25. Octobris, quæ regnum suum Pontifici legauit additâ clausulâ, vt filio redderetur, si pœnitens ex Turcis rediret, *Papiensis. In Gallia Ludouicus XI. metu mortis quam supra mortales omnes verebatur, multa diuersis Ecclesiis donaria contulit*, Vita Ludo. XI. Gaguinus. *Hermaphroditus Monachus Benedictinus Issorij in Aluernia vterum tulit*: Idem Gaguinus. In Perside anno ætatis 78. mortuus est Vsumcassanus, cui successit filius minor Iacupus, dictus *Chiorzeinal*, id est, *Monoculus*, qui eâdem quâ pater obiit die, fratrem natu maiorem interemit; is regnauit annis 7. sublatus veneno ab vxore impudica, cuius hæc partem haurire cum filiolo compulsa est. Reliqui Persidis Principes ignobiles, vsque ad Ismaëlem Sophi, *Angiolellus, Iosephus Barbarus, Bizarrus in rebus Persicis, Palmerius in Chronico, & alij.*

Anno Christi MCCCCLXXIX. Genua iugum Mediolanensium excussit electo Duce Io. Baptistâ Fulgosio, cum octouirorum consilio: quæ rebellio, tandem belli Italici per Francos seminarium fuit, *Philippus Comminius. Bellum atrox gestum est inter Maximilianum Austrium, & Ludouicum mense Augusto: ad Guinegatam vicum propè Teruanam pugnatum, victi primo impetu Flandri, posteà Galli intenti in prædam victoriam & Castra perdidére; cessit Maximiliano victoria sed Cadmæa. Captus mox in Arce Malanoio Remonetus Vasco, atque suspensus iussu Maximiliani, causa fuit cur quinquaginta ex Flandris suspenderentur coram vrbibus, Insulis, Duaco, Atrebatio & aliis, publico huic supplicio Præfecto cum 800. equitibus cataphractis, & sex millibus peditum præsidente.* 80. *item naues Flandricæ ex Prussia redeuntes captæ sunt à Columnio Normanno, magno damno Belgarum*, Comminius, Gaguinus. Obiit hoc anno Ioannes Rex Aragonum. 19. Ianuarij Barcinone, annos natus duo ferè supra octuaginta. Huius morte pax Hispaniæ data. Ioanna belli causa, se neglectam videns Conimbricæ facta est Clarissa, & in hoc proposito

diu ſanctè vixit. Succeſſit Patri Ferdinandus, *Mariana, Surita, Ioannes Baroſius.* Eleonora vidua Gaſtonis IX. Comitis Fuxenſis, Regnum Nauarræ obtinuit, à patre ſuo Ioanne Aragonum Rege poſſeſſum: Sed paulò pòſt obiit ſucceſſore relicto Franciſco Phæbo duodenni, nepote ſuo filio Gaſtonis Fuxenſis V. & Margaritæ filiæ Caroli VII. Regis Franciæ. Sed hic obiit ante patrem & matrem, *Mariana.* Vigebat tum Salmanticæ Petrus Oxomenſis Theologus, cuius libri ob errores, vna cum Cathedra combuſti ſunt. Iis maximè petebatur Summus Pontifex, & pœnitentiæ Sacramentum, *Mariana, Bulla Sixti conſtit.* 17. *& Bannez.* In Germania quoque Theologus Ruchardus de Weſalia ſuperiore delirauit in multis, ideò relegatus in Monaſterium Auguſtinianorum, vbi ex mœrore obiit, *Trithemius, Orthuinus in ſuo Faſciculo, & auctor Paralipomenon Vſpergenſis.* Mortuus eſt hoc anno Iacobus Amaniatus Piccolominæus, dictus Cardinalis Papienſis, vir cui multum debet Hiſtoria, *Iacobus Volaterranus in eius vita.* Fundatum videtur hoc anno Moſchouiticum Imperium, cùm Ioannes Baſilij filius Nouogardiam Ruſſiæ tum Metropolim occupaſſet, ex qua tantùm diuitiarum exportauit, & maximè ex ædibus Archiepiſcopi, vt finitimis deinceps metuendus eſſet, cùm ante hoc tempus vectigalis eſſet Tartarorum. Reliquerat tamen Nouogardienſibus tertiam bonorum partem, ſic factus Princeps diuitum ſubditorum, *Krantzius, Michouius, Cromerus, Alexander Gaguinus.* Turci centum millia armatorum immiſerant ſub 5. ducibus, ſed hi operâ Stephani Bathorij ab Hungaris adiuti deleti ſunt internecione, quam victoriam Matthiæ Stephanus acceptam retulit. Idem Matthias poſteà Fridericum inuaſit, pecuniam promiſſam repetens, vel Coronam delatam ad Imperatorem ab Archiep. Strigomenſi Bernardo: Certè Principibus belli gerendi nunquam prætextus deſunt, *Bonfinius.*

Anno Chriſti MCCCCLXXX. Mahometes potentiſſimum exercitum mittit in Inſulam Rhodum, vt eam ſpeculam Chriſtianitatis faceret ſuam: his copiis præerat Meſites ſeu Miſacus Vizirus, qui in Inſulam fecit exſcenſionem 23. Maij. Sed repulſus eſt fortitudine Petri Albuſ-

ſonij Aruerni equitum Magiſtri ; aut potiùs diuinis oſtentis, quibus territi Turci poſt cædem ſuorum octo millium, & 15. millium vulnera turpiter receſſerunt, *Bernardus Breidembachius, ſeu veriùs Guill. Caborſinus Vicecancellarius Ordinis teſtis αὐτόπτης, editus poſt Chalcondylem editionis Clauſeri, & Boſius Tom.* 2. Eodem tempore Mahometes vt diſtineret Chriſtianos miſerat aliam claſſem in Italiam Duce Geduce Achmete, quæ Hydruntum intra dies ſeptemdecim grandibus tormentis expugnatum occupauit, 13. Auguſti, 12. millia Chriſtianorum cæſi, vel abducti, Archiepiſcopus ſerrâ ligneâ ſectus, aut excoriatus, prægnantibus ventres aperti, ſenes equorum vngulis conculcati, mulieribus omnibus ereptus pudor 800. educti ex vrbe nudi, moniti eiurare fidem, ſeſe inuicem cohortantes trucidati in Valle, quæ deinceps *Vallis Martyrum* dicta eſt. Tantus Italos inuaſit terror, vt de reliquenda patria cogitarent ; Sixtus ipſe reſpectaret Galliam. Sed reſumptis animis, Principes excitauit ad communem hoſtem repellendum, ipſeque pacẽm Florentinis diu negatam dedit, 24. Triremes ad Ferdinandum miſit paratas ad auxilium Rhodienſe, *Hiſtoria huius obſidionis in litteris Albuſſonti ad Fridericum apud Freherum in rebus Germanicis, Krantzius, Bonfinius, Onuphrius, Folieta, Leander, &c.* Ii Turcæ mare Hadriacum depopulantes, dum ædem Lauretanam ſpoliare parant, timore correpti, faſſi ſunt ex æde viſa aliquid ſe agnouiſſe omni operâ humanâ maius, *Turſellinus in Hiſtoria Lauretana. Recreatus ex graui morbo Ludouicus XI. Cardinalem Baluëm totis annis vndecim captiuum emiſit ex carcere ſponte, quòd ſæpè rogatus à Pontifice non præſtiterat, accuſatus ſe eum non vt Epiſcopum, aut Cardinalem ſed vt miniſtrum domeſticum, atque proditorem detinuiſſe, quâ de re obtinere tamen voluit à Sixto abſolutionem,* Philippus Comminius. *Hoc tempore Ludouicus quoque pedites ſagittarios exauthorauit, vtpote raptores, & ad fugam quam ad pugnam paratiores, illorum loco Heluetios ſtipendiarios acciuit, & eorum ſex millia certo ſemper ſtipendio, eâ lege vt ipſe primus eorum ciuis eſſet, & fœderatorum primus, quod tamen anteà conceſſerant Duci Sabaudiæ, vnde id difficiliùs ab eis Rex extorſit,* Philippus Comminius, *Obiit hoc anno* 10. *Iulij Aquis Sextiis Dux Andegauenſis, annos natus* 73. *Rex olim Neapolitanus &*

Comes Prouinciæ, cognomento Bonus, *bellis Aragonicis implicitus, vir fortis, sed infelix, & tamen constantissimus, non tantùm Poëta, & Historicus, sed & Pictor bonus. Reliquit hæredem nepotem suum Carolum Ducem Calabriæ dictum, & Comitem Cenomanensem, filium Comitis item Cenomanensis.* Nostradamus, Sammarthanus, Belleforestius, & alij. Obiit item hoc anno Ioannes Daglofchus, seu Dlugloſſus, qui aliter Longinus dicitur, qui designatus erat Archiepisc Leopoliensis, quem Æneas Syluius laudat: imprimis charissimus fuit Sbigneo, ob quem malè habitus à Casimiro: qui demum huic reconciliatus, ei etiam liberos instituendos, & Legationes magni momenti commisit, *Michouius, Cromerus.* Magna excitata est controuersia de Annulo B. Virginis inter Perusinos apud quos seruabatur, & Clusinos quibus fuerat ereptus, & his Senenses fauebant. Sixtus Pontifex voluerat illum Romam deportari; sed Perusinis paratis potiùs mori quàm talem thesaurum amittere, cum assentiente Sixto, & eius successore Innocentio seruauère, *Ioannes Baptista Laurus Perusinus, de Inuentione huius Annuli.*

Anno Christi MCCCCLXXXI. Mahometes II. parans bellum suis auspiciis in Equites Rhodios, aut in Sultanum Ægypti, qui eius hostem Caramanum fouisset, eius Legatos offendisset, & vectigal exigeret à Turcis sepulchrum Mahumetis inuisentibus, obiit propè Nicomediam die 30. Maij, anno Ægiræ 886. die Iouis; mensis primi Rabiæ, cùm vixisset annis 53. regnasset vno & triginta, vir fortissimus, sed crudelissimus, & magna rei Christianæ pernicies, *Philippus Comminius, Spanduginus, Zygomalas, Bosius, Leunclauius, & alij.* Reliquit filios duos Baiazetem natu maiorem, & Zemem, seu Zizimum. Multi in iuniorem Zemem, vt fortiorem, & humaniorem inclinabant; sed tandem factio Baiazethis præualuit. Zemes autem occupauit Prussam; sed victus ab Achmete Bassa Hydruntis expugnatore ad Neapolim Natoliæ, fugit in Ægyptum, vnde peregrinatus est Mecam, *Spanduginus, Zygomalas in Annalibus Turcicis, Bosius, & alij.* Turcæ auditâ morte Mahometis, & absente Achmete qui Vrbem ceperat, accepto commeatu, relinquunt Vrbem, & abeunt in suam Græciam. Hoc metu soluti Itali redeunt ad ingenium suum,

hoc est ad bella ciuilia. Florentini iuncti Veneris Ferdinandum inuadunt. Hic acceptis Matthiæ Hungari equitatu & Turcis quibusdam Hydruntinis eos aggreditur. Sixtus primùm Venetis iunctus, mox ab iis desciuit, *Corius, Iustinianus, & alij.* Tum primùm vænalia reddita sunt Curiæ Romanæ officia, de quibus mulri tum questi sunt, quamuis tum ea distractio necessaria videretur, *Onuphrius in Sixto IV.* Sixrus rum Bibliothecam Vaticanam construxir, & magnificentissimè dotauit, præfecto huic Bartholomæo Platinâ, qui hoc anno dicitur è viuis abiisse, *Omnes Bibliothecarij.* Matthias Hungariæ Rex bellum gerit aduersus Fridericum Imperatorem, cuius Præfecti Hungariam incursarent. Init ergo fœdus cum Stephano Wayuoda Walachiæ, & ingreditur Austriam, cuius propugnaculum capit Hamburgum, quod bellum aliquot annos tenuit, *Matthias Palmerius, Bonfinius*, sed vterque partiarius Matthiæ: Palmerij autem Chronicon hoc anno desinit, seu continuatio Matthæi Palmerij inchoata 1449. Nicolaus Gingi Dux Macedoniæ, cum magna Turcorum strage ditionem recuperauit suam; sicut & Ioannes Cernouicius, quem nonnulli confundunt cum Ioanne Castrioto Scanderbegi filio; is omnia sua præter Sabiacum recepit, quem Ducem ipse Scanderbegus filium non inficiaretur suum, *Bonfinius.* Alphonsus Lusitaniæ Rex mortuus est 28. Augusti, Sintræ, in eodem cubiculo in quo natus erat; dictus est *Captiuorum Redemptor*, ob eius in redimendis captiuis liberalitatem, & primus omnium Regum Lusitanorum parauit Bibliothecam. Successit ei Ioannes II. cognomento *Magnus*, is in Guinea arcem S. Georgij de Metallis condidit, quæ posteà vrbs effecta est, *S. George de la Mine, Mariana, Vasconcellus, Barosus.* Obiit & eodem anno 22. Maij Christiernus Daniæ Rex, anno regni sui 33. cui successit Ioannes iam viuo patre Daniæ, & Sueciæ Rex electus, cui & Noruegia iure hæreditario obuenit, *Krantzius in Dania, & Saxonia.*

Anno Christi MCCCCLXXXII. Zemis redux ex peregrinatione Arabica, se adiunxit Caramano, magnísque copiis cum fratre conflixit, in eodem loco, quo Darium vicit Alexander ad Issum. Victus Zemis fugit Rhodum

exeunte Iulio, benignè receptus à Magistro Equitum Rhodiorum, qui eum misit in Galliam Burgonouum Aluerniæ (alij scribunt seruatum esse in arce Bocalanitâ cuiusdam propinqui Albussonij in Marchia) vbi lautè habitus, & diligenter seruatus est Baiazete sufficiente quotannis quadraginta, aut quadraginta quinque millia ducatorum, in eius victum, atque tutelam, *Leunclauius, Zygomalas Bosius. Baiazethes illustrem Legationem mittit ad Ludouicum XI. cum multis reliquiis, & grandi pecunia, quâ rogabat vt Zemus diligenter in Gallia seruaretur; at Rex Legatos ad se venire vetuit, quòd sibi nullum esse posset cum infideli commercium*, Philippus Comminius, Paulus Æmilius, & alij. *Idem Ludouicus euocat ex Calabria Sanctum Franciscum de Paula, quem flexis genibus ad Turonas excepit, & vndecumque reliquias ad se afferri iussit. Dabat & medico suo Cocterio singulis mensibus 10. aureorum millia, eúmque ac propinquos eius beneficiis obruebat, quamquam hic ei petulantissimè insultaret nonnunquam; sed quid agas? difficile est vitam sceptro alligatam deserere*, Comminius, Gaguinus, & omnes Gallicæ Historiæ Scriptores. Tum autem Ludouicus excitat Guill. Marchianum, siue Arembergium, quem Leodienses vocabant, *Aprum Syluæ Arduenæ*, vt in Ludouicum Borbonium Leodiensem insurgeret, qui olim ab eius ministerio exclusus capitale odium in illum gerebat; & verò eum cepit, & manu suâ occidit, ac filium suum eligi per vim Episcopum curauit. Sed legitimè electus est Ioannes Hornensis, cuius frater, Guillelmum hunc sacrilegum cepit, & Traiecti ad Mosam capite minuendum curauit, *Philippus Comminius, Chronicon Ludouici XI. &c. Ludouicus mortem sibi imminere intelligens, filium Ambaciam inuisit, vel ad se euocat, vel vtrumque præstat, eúmque salutaribus monitis instruit, ne domesticos, & ministros mutaret, vt populum tributis, & exactionibus leuaret, nulla tributa imponeret, nisi ex consensu trium ordinum, quod olim religiosè seruabatur, & consuetudo illa à capto Ioanne primo ad Pictauium abolita fuerat, eiúsque tantùm species, & vmbra seruata, verùm ab ipso fuerat abolita etiam ista species, & alia eiusdemmodi. Statuerat & idem Ludouicus litium radices abolere, vnam consuetudinem, mensuram vnam, & vnum pondus per vniuersum regnum inducere, sed hæc perficere non potuit. Veredarios tamen*

equos

equos vbique diſpoſuit, legibúſque certis ſtabiliuit, cæteriſque nationibus ad idem peragendum præluxit. Rex ſanè bonus, & celebratiſſimus futurus, ſi viros litteratos amaſſet, quos ſemper ſpreuit, & filium ſuum hæc tantùm Latina verba ſcire voluit, Neſcit regnare qui neſcit diſſimulare, *quod ipſe accuratè nouerat, atque præſtiterat. Obiit hoc anno Maria Burgunda, ex equo in venatione collapſa, relictis Philippo & Mariâ liberis, quorum tutela vix Maximiliano commiſſa, ſed ciuitatum arbitrio. Seruabantur à Gandauenſibus, quos ſibi Ludouicus muneribus addixerat, ſicque Maria trimula deſignata ſponſa Carolo poſteà VIII. (inuito Maximiliano) cum dote Comitatuum Atrebatenſis, & Burgundiæ, & aliquot vrbibus. Quare bellum ſuſcipiendum fuit Maximiliano aduerſus Gandauenſes*, Philippus Comminius, Krantzius, Beuterus, Oliuarius Marchianus. *Sæuit hoc anno tetra peſtis, poſt ingentem famem, quæ anno ſuperiori Franciam affixerat: hac lue afflati ſe in fluuios & puteos præcipitabant, cum magnis vlulatibus; quod malum non tantùm inopes, ſed & viros primarios infecit*, Chronicon Lud. XI. Belcarius, &c. Suſceptum eſt denique hoc anno bellum Granatenſe aduerſus Mauros, quod decennio tenuit, ſed magnis vtrimque cladibus, ideò edita à Sixto *Bulla Cruciata*, per quam data peccatorum venia, his qui arma ſumerent, aut certam pecuniam ad hoc bellum conferrent, *Mariana.*

Anno Chriſti MCCCCLXXXIII. Mortuus eſt 9. Aprilis Eduardus Angliæ Rex, ex mœrore, vel ex nimio potu ſuauiſſimi vini morbo contracto, anno vitæ circiter 50. regni 23. reliquit filios duos Eduardum Principem Valliæ, qui coronatus dictus eſt Eduardus V. & Richardum Ducem Eboracenſem impuberes, quos fratri ſuo Richardo commendauit: at hic duos illos Iuuenes ſuſtulit, cauſatus eos eſſe nothos, aut eorum patrem, aut tam patrem quàm filios, Réxque creatus aut potiùs Tyrannus dictus eſt Richardus III. Ludouicus eius Legatos audire, aut litteras legere noluit, eius execratus parricidia, *Polydorus, Io. Maior, Philippus Comminius. Eduardum ſecutus eſt Ludouicus XI. Pleſſiaci ad Turonas inter manus S. Franciſci de Paula, die Sabbathi penultimâ Auguſti, optimè affectus in B. Virginem, cuius die ſacro obiit, ideóque voluit in æde eius Cleriaci ſepeliri; vixit annis vno & ſexaginta, cum diebus 55. (quamquam de an-*

nis vitæ eius dubitetur) sícque omnium Regum Galliæ maximè longæuus fuit ; quidam tamen Lud. V I I. Philippi Augusti patrem excipiunt, cui nonnulli annos 70. tribuunt, alij vulgò 60. Hæc de illo iactantur, fuisse bonum dominum, amicum diffidentem, inimicum crudelem, malum maritum, malum patrem, malum fratrem, malum filium. Dicitur ex Ephebis Reges Franciæ sustulisse, Gallicè Les mettre hors de Page, *allusione tamen à nonnullis factâ ad paginas ὑπομνημάτων Parlamenti, ex quibus auferri iusserit folia, quibus tres Caroli præcedentes Reges posse conuocare regni Status, ad imponenda populis vectigalia profitebantur. Successit ei Carolus VIII. filius annorum 13. & 2. mensium, sed pusillâ staturâ, & membris exilibus, cuius cura demandata fuerat Petro Belliioci Domino, Regis genero, eiúsque vxori Annæ fœminæ Sapientissimæ, quare resistentibus Principibus Regij sanguinis, Maiori fratre Petro Ioanne Borbonio & Lud. Duce Aurelianensi, Regi sanguine proximiori, inauguratio in annum sequentem dilata fuit*, Tillius in Carolo V I I. Sammarthanus, Paulus Æmilius, Belleforestius, & omnes Historiæ Francicæ Scriptores. Obiit & hoc anno Philippus Phœbus, qui coronatus fuerat Rex Nauarræ Pompeiopoli, anno superiori mense Nouembri, hic autem redux in Beneharniam mortuus est 3. Ianuarij, vel 3. Februarij, annos natus 15. magnæ expectationis adolescens. Successit ei Catharina adolescentula, quæ cùm multos procos haberet, ac præsertim Ioannem Infantulum filium Ferdinandi, is repulsus est, & data est Ioanni Albreto nobili ditissimo in Gallia : Quare Ferdinandus non destitit donec per fas, & nefas eâ ditione potiretur, *Mariana, Belleforestius, & alij.* Sixtus I V. in gratiam pacis Italicæ, Templum Pacis construxit in media Vrbe sicuti vouerat, ibidémque reposuit imaginem confossam ab impio aleatore, & sanguinis copiam emittentem, *Gabriel Pennotus in Historia Clericorum Regul.* Baptista Fulgosus aliter Campo-Fulgosus Dux Genuensis exautoratus est, ob asperitatem morum, & arrogantiam; ea dignitas in eius Patruum Paulum Cardinalem, & Archiepiscopum translata, Baptista vt dolorem leuaret suum, se totum litteris trádidit, scripsítque libros 9. memorabilium imitatus Valerium Maximum, quos Latinos fecit Gilinus Mediolanensis. Scripsit idem in patruum suum

Paulum, ſed tam aculeatè, vt non inueniat fidem, *Nebienſis Bizarrus, Folieta, ipſe Fulgoſus lib. 9. cap. 6.* Magnæ turbæ in Bohæmia concitatæ maximè per filios Georgij, quas fouebat Matthias Hungariæ Rex, nec eis retundendis par erat Wladiſlaüs, cuius lenitate Pragenſes abutebantur, ab iis *Porcus Polonus* dictus, *Dubrauius, Krantzius.* Componere conatus eſt Sixtus IV. controuerſias duas inter Dominicanos, & Franciſcanos vnam de Conceptione B. Virginis, alteram de Stigmatis S. Catharinæ, Franciſcani enim volebant ſtigmata ita propria eſſe S. Fanciſco, vt hæc in nullo alio Sancto ferre poſſent; ad quorum peruicaciam retundendam fuit etiam aliàs Pontificibus laborandum, *Bulla Sixti, Lopezius Epiſcop. Monopolitanus parte 3. Hiſt. S. Dominici, Bzouius, &c.* Natus eſt denique hoc anno Iſlebij in Saxonia Martinus Lutherus, ex tenuibus parentibus, non ex incubo, vt quidam fabulati ſunt; qui cùm diceretur *Lotter aut Lauther*, id eſt, *Scurra*, nomen ſuum mutauit, *eius vitæ omnes Scriptores.*

Anno Chriſti MCCCCLXXXIV. Sixtus IV. ex mœrore, accedente inſuper podagræ Morbo extinctus eſt 13. Auguſti die Veneris, annos natus 70. cum 22. diebus, vbi ſediſſet annis 13. & diebus 5. Eius opus eſt pons Tiberis reparatus dictus iam *Sixti*, cùm anteà *Antonini* diceretur, à Pio conditus, *Ciacconius, Onuphrius.* Succeſſit ei Ioannes Baptiſta Cybo electus 29. Auguſti die Dominicâ dictúſque Innocentius VIII. coronatus item die Dominicâ 12. Septembris. *Onuphrius in eius vita. Carolus VIII. 30. Maij die Dominicâ ſacro oleo Rhemis inunctus eſt, magno Principum, Procerúmque conuentu. Aliqui miniſtri Ludouici XI ob ſcelera multati; eius etiam immodicæ quædam donationes reſciſſæ*, Paulus Æmilius, & omnes Hiſtoriæ Gallicæ Scriptores. Cardinalis de Baluë Legatus venit in Galliam, *eò miſſus adnitentibus Cardinalibus aliis, vt priſtinam dilueret ignominiam, ægrè receptus eſt primùm, deinde certis conditionibus admiſſus, & à Regiis miniſtris exagitatus*, iidem qui ſuprà Scriptores. Diſſidium inter Mauros Granatenſes oritur exauthorato Boabdile, & Muleyo Alboaceni fratre in vtriuſque locum ſubſtituto, quòd eos iam labantes impulit, *Mariana, Gariuæus.* Obiit 4. Martij Vilnæ in Lithuania S. Caſimirus alter filio-

rum Casimiri Regis Poloniæ, ætatis anno 24. cum mensibus 5. lentâ tabe consumptus, multis post obitum miraculis claruit, relatus in Sanctorum numerum 1521. à Leone X. *Eius vita scripta à Canonico Vilnensi, itémque alia à Zacharia Ferrerio, & Romanum Martyrologium.* Iacobus Canus Lusitanus Ioannis Regis sui nomine detexit in Æthiopia Regnum Congo, vnde quatuor præcipuæ indolis homines in Lusitaniam aduexit, qui ad Christianam fidem erudirentur, per quos posteà in hoc regnum est inducta fides, *Barrosius, Maffeius, & alij Rerum Indicarum Scriptores.*

Anno Christi MCCCCLXXXV. Ecclipsis Solis contigit die Mercurij 16. Martij horâ circiter post meridiem quartâ. Hoc anno Leopoldus Princeps Austrius, dictus *Pius Marchio,* mortuus 1136. & multis miraculis clarus, rogante Friderico Imperatore, in Sanctorum numerum relatus est ab Innocentio VIII. die Epiphaniæ, eiúsque dies festus in 15. Nou. est translatus, *Bulla Innocentij, Onuphrius, Bellarminus, & alij.* Matthias Rex Hungariæ Viennam Austriæ 1. die Iunij fame ad deditionem compellit, cùm intereà Fridericus Imperator oblitus negotiorum suorum, Maximilianum in Flandriam conueniret, aut, vt quidam scribunt, per Germaniam circumcursaret, scribens in omnibus stabulis, *rerum irreparabilium summa felicitas est oblitio*, ita *Krantzius, Bonfinius addictior Matthiæ quàm Historicum deceret*, Henricus Comes Richemondiæ filius Eduardi, Catharinæ Fancæ filij ex Ouino occulto marito diu detentus in Armorica, & adeò reformidatus ab Eduardo IV. & Richardo Tyranno, inuitatus ab Elizabetha Eduardi relicta vxore, primò adiutus auxiliis Ducis Armoricæ, quæ ob tempestatem nihil profuerunt, deinde maioribus copiis auctus Caroli VIII. appellit in Angliam, prælióque commisso ad pagum Bosuortum, prope Leicestriam 22. Augusti, interemit Ricardum fugere nolentem, & regnum cum vita abiicere cupientem. Henricus Londinum pergens, duxit, sicuti promiserat, filiam Eduardi IV. Elizabetham, & coronatus est vltimo die Octobris, dictus Henricus huius nominis VII. sic Eboracensis & Lanclastrensis familiæ conciliatæ, *Rosa candida, & rubra* coaluêre. Regnauit Richardus annos duos totidémque menses. Henricus ne turbaretur, Eduardum

Comitis Waruicensis filium turri Londinensi inclusit: primus custodes corporis adhibuit, quibus Reges Angliæ iampridem indigebant, *Polydorus, Harpsfeldius, & alij.* Hoc anno nouum morbi genus inuasit Angliam, dictum *Sudor Anglicus*, quia sudorem qui ferre poterant & quietem, sanabantur, alij sine dubio efferebantur, *Polydorus.* Genuæ Bartholomæa vxor Io. Antonij Bucca-nigræ vno partu septemdecim liberos omnes viuos edidit, *Bizarrus, Nebiensis.*

Anno Christi MCCCCLXXXVI. Maximilianus Austriæ Dux, atque Burgundiæ ex vxore, filius Friderici Imperatoris eligitur Cæsar, seu Rex Romanorum, die Iouis 16. Februarij, & Coronam accipit Aquisgrani 9. Aprilis, Dominicâ 2. post Pascha, *Krantzius, Nauclerus, Michouius.* In eodem Conuentu Francofordiensi, firmatum est *fœdus Sueuicum* dictum, aliter *fœdus Clypei Georgianæ societatis*, quòd qui in hoc fœdus transierant, gestare solebant clypeum, cum imagine Sancti Georgij, *Idem Nauclerus. Maximilianus Cæsar, & Carolus VIII. sibi inuicem litteras scribunt acerbitatis, & minarum plenas, quibus tamen plus maleuolentiæ, quàm potentiæ testabantur*, Belleforestius. Bellum atrox exortum inter Baiazethem Turcam, & Cairbeium Sultanum Ægypti, natione Circassium, olim seruum, & ob res præclarè gestas à Mammalucis ad thronum euectum. Bis inter se decertarunt in Cilicia, bis victi Turcæ, & tertiùm profligati essent, nisi eorum ductor prudentissimus prælium detrectasset, *Leunclauius, Bizarrus in Persicis, Iouius in Elogiis.* Obiit hoc anno Romæ Georgius Trapezuntius nonagenarius, qui Græcorum ferè primus Græca in Latinum sermonem vendibilem transtulit, Platonem deprimere conatus est ipse Peripateticus, sed eum Bessarion vindicare conatus est *Paulus Iouius in Elogiis.* Huc quoque referre possis obitum Theodori Gazæ Thessalonicensis; hic cùm lucubrationes suas accuratè descriptas in membranis obtulisset Sixto IV. atque ob eas 200. tantùm ducatos accepisset, eos omnes abiecit in Tiberim, & qui anteà eximiè laudarat Sixtum, in eum stylum exercuit. Obiit in Brutiis, quo se valdè senex contulerat, in sacerdotio, quod à Bessarione Cardinali receperat, *Paulus Iouius in Elogiis, & Volaterranus.*

Anno Christi MCCCCLXXXVII. Ecclipsis Lu-

næ obseruata est die Iouis 8. Februarij. In Flandria Maximilianus exigebat pecuniam ad fouendas Ducis Aurelianensis partes aduersus Carolum, quare magnæ hìc auditæ sunt querelæ, *Krantzius in Saxonia. Tum enim incitatus à Duce Armorico, & Maximiliano Dux Aurelianensis, indignatus Annam sororem omnia posse apud Carolum, bellum huic indixit quod* Insanum *est appellatum*, La Folle guerre: *Inuitati quoque ad hoc bellum Reges Hispaniæ, & alij Principes, qui si non auxiliis, saltem consiliis rebelles adiuuerunt*, Historia Caroli VIII. & Ludouici XII. Guaguinus, Argentræus, Belleforestius, Mariana. *Dati sunt in custodiam sub initium huius anni aliqui Episcopi, & Proceres Galliæ, ob consilia habita cum Duce Aurelianensi, qui tum in Britannia versabatur, quæ per litteras interceptas fuerant patefacta; inter quos Pompadorius & Georgius de Ambasia Episcopi, & Philippus Comminius Dominus Argentanij*, Ialinus in vita Caroli VIII. idem Comminius. Carolus iniit fœdus cum Matthia Hungaro, quòd hostis capitalis eius esset; Matthias magnificentissimam in Galliam misit Legationem, cuius caput erat Ioannes Vardinensis Episcopus, & eâ petebatur Zemis, ad turbandos Turcos, & soror Ducis Mediolanensis vxor Ioanni Coruino filio Notho Matthiæ, qui legitimis carebat hæredibus, *Bonfinius.* Innocentius VIII. 40. Augusti damnat libellum continentem nongentas quæstiones Ioannis Pici Miradulæ, & concordiæ Comitis, quas excellentissimi ingenij Iuuenis 24. annorum Romæ sustinendas proposuerat, ferè de rebus omnibus; cæterùm ille ex multis damnatis vt hæreticis & scandalosis, tredecim duntaxat defendendas suscepit longiori Apologiâ, *Vita eiusdem Pici præfixa eius operibus, cum hac Apologia.* Obiit hoc anno Nicolaus Heluetius Eremita in finibus Lucernensium, qui per annos 20. cibi gustauit nihil, probatus ab Episcopo Constantiensi, cùm iussus ab eo edere vix tres panis micas potuit deglutire, corpore arido & exsucco, sed semper hilari vultu, sepultus cum opinione sanctitatis, *Trithemius in Chronico Sponheimensi; Krantzius, & Nauclerus, sed hi eius obitum anno* 1480. *collocant.* Bartholomæus Diazus nobilis Lusitanus flectit & superat Promontorium Austrinum Africæ, quod à veteribus *Ceruix Africæ* dicebatur, à recentioribus *Procellosum*, Gallicè, *Le Cap Tem-*

peste, ob horrendas, & incredibiles ad illud tempestates; sed audito hoc nuncio, Rex id dici voluit Bonæ spei, *Le Cap de Bonne Esperance*, quòd spes affulgeret, hoc superato Indias adiri posse, vt posteà factum est, *Barrosius, Mariana, Maffeius, & alij*. Obiit hoc anno Romæ Carlotta Regina Cypri, ibi victitans ex pensione Summi Pontificis. Hæc coram Pontifice, & Cardinalibus renunciauit regno Cyprio, in fauorem Amedæi Ducis Sabaudiæ fratris Ludouici olim coniugis: quæ donatio posteà diligenter excussa coram Clemente VII. & Carolo V. Imperatore legitima iudicata est, Venetis tamen reclamantibus: sed tandem Solinus hanc litem inter Sabaudum, & Venetos diremit, *Historia Cypria.*

Anno Christi MCCCCLXXXVIII. Maximilianus componere volens seditiones Gandaui, & Brugis, excitatas, dum à Brugensibus sibi minùs diffidit, ad eos accedens, ibi datus est in custodiam 1. die Februarij: multi ex eius fautoribus necati. Innocentius demandauit Archiep. Colonensi, vt eos feriret Anathemate, sed Galli reclamarunt, quòd supremum haberent in Flandros dominium, & Maximilianus iniustè subditos vexasset, qui ad summum Dominum confugerant. Fridericus quoque Principes Germanos sollicitauit ad eum eripiendum armis ex manibus subditorum; demum post 3. menses cùm Gandauenses eum tradere Regi Franciæ decreuissent, Brugenses eius precibus, & lacrymis moti eum dimiserunt, iurantem omnium iniuriarum obliuionem. Recessit ergo cum patre in suam Germaniam, reliquítque in Belgio Albertum Ducem Saxoniæ, cui filium suum Philippum Mechliniæ nutriendum, atque instituendum reliquit, *Chronicon Brabantinum, Beuterus, Oliuarius Marchianus, Chronicon Caroli VIII. & alij.* Tum Austria aucta est nomine Archiducatus, à Friderico, atque agitata consilia nuptiarum inter Austriacos, & Hispanos, *Mariana, Krantzius.* Tum quoque Rex Ferdinandus obtinuit ab Innocentio VIII. vt mortuo Garsiâ Padilliâ Calatrauæ Magistro, huius militiæ opes administraret, quod exemplum sensim ad alios Ordines transiit maiori aulicorum prouentu, quàm Christianitatis, *Idem Mariana. Ludouicus Trimolius annos natus viginti sex præposi-*

tus copiis Caroli VIII. Duces Aurelianensem, & Armoricæ cum eorum auxiliis aggressus est 28. Iulij ad S. Albinum de Cormerio inter Rhedonas, & Fulgerias. Hoc prælio deletus omnis Armoricus peditatus, Equitatus omnis fugâ se subduxit, captus Dux Aurelianensis cum Principe Arausicano, Dux sagittariorum Anglorum occisus, cum magna parte Germanorum, quos Maximilianus miserat, captus Galla Hispanorum ductor, plena victoria Carolo cessit. Aurelianensis mutato sæpè carcere Lusiniani detentus, tandem turri Bituricensi est inclusus, vbi hæsit triennio, precibus tantùm crebris Ioannæ coniugis suæ liberatus. Historia Caroli VIII. & Ludouici XII. Paulus Æmilius, Belcarius, Polydorus, & alij. *Pax Armorico Duci concessa, eâ lege vt filias suas Annam & Isabellam nulli genero daret absque Regis Caroli consensu. Dux iste obiit 7. Sept. in cuius obitu claudit Historiam suam* Paulus Æmilius Canonicus Parisiensis, *quem Lud. XII. ex Italia secum adduxit, & quem Lipsius cum Antiquis Historicis comparauit. Mortuo Francisco Armoricæ Duce, multi filiam eius Annam prensabant, aut sperabant, Maximilianus, cui iam desponsata erat, Dux Aurelianensis, licèt vxorem haberet Ioannam, sed quam deformem per vim duxerat; Dux Alebreti, cui quondam saltem fictè à patre promissa fuerat, & Carolus VIII. qui iam vxorem habebat Margaritam filiam Maximiliani, sed impuberem. Hic ergo vti Dominus præualuit; & Britones persuaserunt Annæ, quæ magis in Aurelianensem inclinabat, vt nuptiis Regis assentiretur, quæ posteà sunt celebratæ magno Armoricæ commodo*, Comminius, Argentræus, Gaguinus, & alij. Genuenses pertæsi dominationis Pauli Fulgosi, Archiepiscopi sui, non pastoris sed Tyranni, dedunt se Ludouico Sforciæ, cognomento Mauro, aut Moro à fusco colore, patruo Ioannis Galeatij, qui tum Ducatum Mediolanensium administrabat, nepote suo ita hebete, vt ad omnia negotia ineptus videretur. Sforcia præfecit Vrbi Augustinum Adorninum Vicarium, sub quo Genua quieuit. Fugit Paulus Romam oblitus semper professionis suæ, & ad arma potiùs tractanda, quàm pedum natus & factus, *Folieta, & alij.* Iacobus III. Scotiæ Rex totum se voluptatibus, & vilibus homuncionibus tradit, per quos Fiscus dilapidatur; itaque in eum rebellant Proceres. Auxilia hic à Regibus Franciæ, & Angliæ, item & à Pontifice petiit: sed cum

cùm hæc tardiùs aduenissent, ipse commisso prælio victus, atque fugiens in moletrinam, captus & cæsus est vndecimo Iulij; atque in proximo conuentu decretum est iure cæsum videri. Successit ei filius Iacobus IV. annorum sexdecim, sed quàm ferret ætas longè prudentior, qui sic regnum & domum ordinauit suam, vt ex sæculo ferreo, aureum in Scotiam inuexerit, *Leslæus lib. 7. & 8. Buchananus lib. 12. & 13.*

Anno Christi MCCCCLXXXIX. *Zemem Romano Pontifici Carolus VIII. tradidit*, terriculum semper Baiazeti obiiciendum. Hunc recepit amicè Innocentius, præferentem in vultu ferociam, atque ægrè vt eius oscularetur pedes persuasus est. Detentus est in Vaticano sub honesta custodia, eíque de more quotannis Baiazethes frater 40. Ducatorum millia suffecit ad victum, *Historia Rhodiaca, & Matthæus Bosius Canonicus Regularis Epist.* 30. *testis* αὐτόπτης. Creatus est Cardinalis Petrus Albussonius Magister Equitum Rhodiorum, item Pontificis Legatus à latere creatus in Asia, vir ætatis suæ celebratissimus cui Pontifex, eiúsque Ordini multa concessit, Ordinibus aliquot Equitum, Rhodiensi attributis, *Bosius lib.* 11. Ferdinandus Neapolitanus à Pontifice feritur Anathemate, denunciatur excidisse Regno, bellúmque sacrum in eum indicitur, cui præficitur Carolus Franciæ Rex; sed Orator Ferdinandi Antonius Episcopus Alexandrinus ad futurum Concilium prouocauit, *Vita Innocentij VIII. Bellum graue tum parabatur inter Carolum VIII. & Maximilianum, cum Armoricis, quibus etiam Angli auxiliabantur, licèt Henrico Rege repugnante: verùm per Nuncios Pontificios, & Comitem Nassouium pax agitari cœpit mense Iulio, & fœdus initum, quo Anna Britanna, & Ordines Belgici inclusi sunt; interim cessatum ab armis, rebelles vtrimque in gratiam recepti, Carolus restituere promisit vrbes Armoricas vbi primum Anna Anglos dimisisset. Quibus conditionibus cum repugnarent Britones, bellum in eos continuatum est*, Ialinus in Historia Caroli VIII. *Soluti sunt vinculis tum quidam Episcopi & Proceres inclusi anno* 1487. *sed Comminius, per sententiam Senatus Parisiensis damnatus, eiúsque bonorum quarta pars fisco addicta, ipse annis* 10. *degeret in vna è domibus suis, quam Rex præscriberet. Quorum causa fuit Dux Aurelianensis, cui erat ad-*

dictior; cuius etiam causâ octo mensibus inclusus in vna ex caueis Ludouici XI. quæ tamen ipse refundit in inuidos, & Regis teneram ætatem, Ialinius in Vita Caroli VIII. & Philippus Comminius lib. 6. cap. 12. Tartari in Podoliam, & Russiam irruunt à Baiazethe immissi; At in eos progressus Ioannes Albertus iussu Patris Casimiri Regis, internecione eos deleuit, ducibus cæsis, *Cromerus lib.* 29. Matthias res suas componere nititur, & filio suo Ioanni Coruino notho Bohemiæ regnum relinquere, ideò Vrbes Silesiæ aut pecuniâ, aut armis sibi vindicat, Regulis amicè delinitis, aut vi coactis. Petiit & ab eo Baiazethes Turcus pacem, vt Sultano Ægyptiaco par esset. Denique post longas altercationes fœdus initum est inter ipsum Matthiam, Fridericum Imperatorem, & Maximilianum Cæsarem, *Bonfinius*. Veneti iuris sui faciunt Insulam Cyprum, cedente iis ius Catharinâ Cypriâ, quæ secessit in Marchiam Taruisanam, accepítque Asulum oppidum, in quo vti Regina vixit, cum nothis filiis Iacobi. Insula deinceps per Vicarios administrata, Sabaudiæ Duce quolibet quinquennio repugnante, *Iustinianus Historiæ Venetæ lib.* 10. Io. Baptista Mantuanus vulgò Hispaniolus Carmelita, viso miraculo in æde Lauretana B. Virginis, huius Historiam scribere est aggressus, quod accuratiùs præstitit Horatius Turselinus, quorum opera prostant. Bemoinus Princeps in regione Guinea bello pulsus à fratribus, recurrit ad Lusitaniæ Regem, vbi magnificè susceptus, remissus est in patriam cum 20. nauibus bellicis Duce Petro Vasæo de Acunna, sed hic fictâ in miserum Principem proditione, eum pugione confodit, *Barrosius, Maffeius, & alij.*

Anno Christi MCCCCXC. Paratur bellum in Turcos, & ad id inuitati Principes, *Paratúrque Zemes iam redditus Pontifici à Carolo VIII. & decimæ imperantur Clero, quarum tertia pars Principibus cederet, altera bello, tertia Pontifici, vnde ingentes querelæ Cleri Gallicani, sed quæ nihil profuerunt*, Vita Innocentij VIII. Historiæ Gallicæ Scriptores. Sultanus Ægyptius interminatur se interempturum omnes Christianos in Syria, & Ægypto, nisi quies in Europa daretur Saracenis. Territus est his minis Ferdinandus Neapolitanus, Hispanus contempsit, & ad Granatam obsidendam se

comparauit, Mauris inter se dissidentibus, *Mariana lib. 25. cap. 15.* Matthias Coruinus Hungariæ Rex Viennæ ex apoplexia, quæ eum inuasit Dominicâ Palmarum 4°. Aprilis, obiit 6. eiusdem mensis, anno vitæ 49. regni 32. cùm duobus mensibus, veneno sublatum fuisse per Beatricem vxorem quidam scripserunt, quod probabile non est. Vir planè magnus extitit, amans litterarum, & litteratorum, ideóque ab iis impensè, & meritò collaudatus, *Vita Innocentij VIII. Bonfinius, Wernerus Rolenuink Carthusianus in Fasciculo temporum, qui in Matthia opus suum claudit, Sambucus, Ioannes Linturius in Appendice Fasciculi, & alij.* Cùm multi eius Regna prensarent, cæteris 15. Iulij antepositus Wladislaüs Bohæmiæ Rex, maximè operâ Beatricis quæ eius nuptias sperabat: sed iis obstitêre Hungari propter eius sterilitatem: quare hæc eum ad tribunal Pontificis deduxit, vbi lite cecidit, secessítque in Ænariam Insulam, vt ibi mœrorem suum concoqueret, *Bonfinius, Ranzanus, Cromerus, Dubrauius.* Coronato Wladislao 21. Septembris, Ioannes Varadinensis Episcopus Princeps consiliariorum Matthiæ, factus est Minorita, dictus ab Hungaris Bohæmísque vtriusque gentis Pater, *Bonfinius, Dubrauius.* Ioanna soror Regis Lusitaniæ Ioannis Dominicana, olim ob pulchritudinem à multis Principibus expetita, sed sponsum Christum cæteris præferens obiit 14. Maij, anno ætatis duodequadragesimo, *Antonius Vasconcellus Soc. Iesu, in Acephalæosi Regum Lusitaniæ.* Pertinet denique ad hunc annum fabula quæ præfertur ab vno *Volaterrano Georg. lib. 7.* Innocentium permisisse Noruegis Missam celebrare in zytho, & absque vino, quòd vinum eò importatum acescat, quæ quàm inepta sit nemo non videt.

Anno Christi MCCCCXCI. Ecclipsis Solis contigit die Dominicâ 8. Maij. *Ludouicus Dux Aurelianensis inclusus Turri Bituricensi soluitur, rogante vxore suâ Ioannâ sanctissimâ fœminâ, sorore Caroli VIII. cui frater maritum concessit. Idem Rex Carolus remisit ad Maximilianum patrem Margaretam eius filiam sibi olim desponsatam, vt duceret Annam Armoricæ Dominam, sic hæc ditio addita est sceptro Gallico, celebratúmque matrimonium in Castro Langesio pagi Turonensis,* Philippus Comminius, Argentræus, Belleforestius, & alij. Margareta au-

tem primùm data est vxor Ioanni filio Ferdinandi & Isabellæ, quo extincto nupsit Philiberto II. Sabaudiæ Duci, à quo relicta vidua ditiones Caroli V. Imperatoris administrauit in Belgio, *Pontanus, Mariana, & alij*. Rex Angliæ vlturus iniuriam Maximiliani, cum magnis copiis transit in Galliam, & Bononiam oppugnat: sed cùm ei nihil auxilij daret Maximilianus, & fecisset Anglis suis satis, qui bellum Gallicum pænè seditiosè extorserant, acceptâ pecuniâ olim Francisco Armorico creditâ rediit in suam Britanniam, fœdere inito cum Franciæ Rege, quod & facere paulò pòst coactus est Maximilianus, *Comminius, & Historiæ Francicæ, Anglicæque Scriptores*. Pertinent ad hunc annum initia fabulæ de fictitio Principe Richardo Duce Eboracensi filio minore Eduardi IV. quem ostentauit Margarita Angla, vt Henricum turbaret. Huic nebuloni verum nomen fuit Petrus Varbechus patriâ Tornacensis, quem hæc mulier nequam instruxerat, neque malè formam cæsi Principis iste referebat. Certè cùm venisset Lutetiam magnificè susceptus est à Carolo, qui eo vti volebat, vt vindictam de Henrico sumeret. Sed pace factâ, ne læderetur clam aufugit, aut saltem fugere permissus est. Iuit ergo in Flandriam, inde in Angliam, ex qua in Scotiam, & Hiberniam transiit, vnde in patibulum ascendit, commune receptaculum & sepulchrum istiusmodi nebulonum, *Polydorus, Leslæus, Buchananus*. Ferdinandus Rex Hispaniarum obsidere cœpit 23. Aprilis Granatam, vrbem mille & triginta turribus præcinctam, & domorum sexaginta millia continentem; hæc tandem ad deditionem compulsa est 25. Nouembris, cùm obsessi nihil intentatum reliquissent, sæpè erupissent, ac fortissimè depugnassent. Honestæ eis conditiones datæ, quas respuit quidam Maurus, vociferans moriendum esse potiùs, cui hominum 20. millia adiuncta sunt. Quare Rex Boabdiles se arce continuit, donec hîc æstus deferuesceret; quo sopito, se vrbémque dedidit, *Mariana lib. 25*. Regnum Congo hoc anno assertum est Christo, multis Proceribus, adeóque ipso Rege baptizato, qui Ioannes dictus est. Sed intepuit eius feruor cùm actum de relinquendis pluribus vxoribus, & auguriis, & nisi Alphonsus eius filius Apostoli vices obiisset actum hîc

erat de Christianitate. Tandem Rex obiit, cuius locum occupare conatus est Pansus minor Alphonsi frater auitis superstitionibus addictissimus: verùm is victus mirabiliter à paucis, in pertinacia sua obiit; Regnauit ergo Alphonsus,& propagauit fidem annis 50. *Eduardus Lopesius, Ioannes Barrosus, Maphæus, & alij.*

Anno Christi MCCCCXCII. Secundo Ianuarij reddita est Ferdinando Hispaniæ Regi Granara, post octo mensium obsidionem, à Boabdile Rege Maurorum, quam die sexta eiusdem mensis subiit cum Isabella idem Ferdinandus, quem tum dictum *Catholicum* quidam volunt, nomenclatione à Recaredo repetitâ, post sublatum ex Hispania Arianismum, quod nomen Regibus, Hispaniæ Alexander VI. Pontifex Hispanus voluit esse hæreditarium, *Petrus Martyr, Anglerius in Epistolis, Mariana, & alij.* Tum iidem Reges Iudæos omnes abire è sua ditione iusserunt intra quaruor menses; atque exiisse feruntur 124. vel 170. millia familiarum; quidam ramen facti Christiani, multi fictè, pauci ex animo, *Mariana, Orosius, Nauclerus.* Primo die Februarij inuentus est Romæ Titulus S. Crucis in quo scriptum litteris Latinis,Græcis & Hebraïcis IESVS NAZARENVS REX IVDÆOR. his verbis incisis & rubro colore tinctis, *Lælius Petronius, Paulus de Magistris, & Stephanus Infixura apud Bosium & Gretserum.* Vltimo Maij die Ascensionis Oraror Turcorum ingressus est Romam cum ferro Lanceæ Christi (cui ramen deerat cuspis, iam asseruata apud Francos, & redempta à S. Ludouico.) inuenta olim Antiochiæ anno 1098. & causa magnæ victoriæ, cuius meminit Guill. Tyrius, & alij, Bosius, Victorellus in Additionibus ad Ciaconium. Pax demùm coaluit inter Pontificem, & Ferdinandum Neapolitanum, hunc ille censuris exsoluit, eíque concessir Regnum, repugnante tamen per Oratorem suum Renato Duce Lorharingiæ, cui tum duntaxat verba data sunt, *Surita, Wasemburgius, Roserius*, & alij. *Carolus VIII. restituit Ferdinando Hispano Comitatus Ruscinonensem, & Cerdanensem, oppigneratos Ludouico XI. pro centum millibus aureorum, adnitentibus Franciscanis duobus, Oliuario Mallardo Regi Carolo à confessionibus, & Ioanne Mauleone eidem à concionibus, quos donis, promissisque Ferdinandus subor-*

narat, & Ludouico de Ambaciâ præceptore Regis, quem corruptum auro Hispanico quidam scripserunt; denique S. Francisco Paulano, & Annæ Regis Regnique moderatrice, quos sola pietas impellere videbatur. Ab iis impulsus Rex iuuenis, & religiosus, ac timens animæ Patris, atque suæ, repugnantibus Proceribus, duos illos Comitatus reddidit Ferdinando, eâ tantùm lege, vt Gallicam amicitiam coleret, nec Ferdinando Neapolitano, quem parabat inuadere, ferret auxilium, Ferronius in Carolo VIII. Belcarius, Belleforestius, & alij. Ferdinandus Hispanus Barcinone tantùm non cæditur 7. Decembris, ab amente Sicario, qui somniarat se futurum Regem, si Regem cæderet, at inter exquisita tormenta didicit, somnium suum à Deo non fuisse, *Petrus Martyr Anglerius, Mariana, Surita.* Ad hunc annum pertinent initia Hieronymi Sauonarolæ Dominicani, per quem clades imminentes Italiæ sunt prænunciatæ. Is maximus concionator extitit, & in odium multorum incurrit, quòd crimina carperet, quæ tunc & multa, & atrocia regnabant, *Ioan. Picus Mirandulanus in eius vitâ.* Mortuus est hoc anno Florentiæ mense Aprili, annos natus 44. Laurentius Medices, Princeps Florentinus, in manibus Sauoranolæ, vir de litteris, & litteraris optimè meritus, & cuius obitus toti Italiæ luctuosissimus accidit, in qua prudentiâ suâ poterat omnia conseruare: successit patri Petrus filius annos natus vnum, & viginti, *Angelus Politianus, Guicciardinus, Petrus Martyr Anglerius, & alij.* Obiit & Innocentius VIII. 25. Iunij ætatis anno 60. Sedis 7. cum 10. mensibus & diebus 27. Successit ei Rodericus Borgia 10. Augusti, dictus Alexander VI. coronatus magnificentissimè die Dominicâ 26. eiusdem mensis; vir magni ingenij, & magnorum vitiorum, vt pote qui Cardinalis ex Vanocia Romana puella, quam vxoris loco & cultu habuit, filiam Lucretiam, & quatuor filios suscepit, Petrum Ludouicum, cui emit Ducatum Gandiæ, & cui demortuo suffecit tertium Ioannem, auum B. Francisci Borgiæ, cuius pater quoque Petrus dictus fuit; secundum, Cæsarem Valentinum primò Archiepiscopum, posteà Ducem, omnium bipedum impurissimum, & Godefridum factum Principem Squillacij; quos omnes ad magnam fortunam extulit multùm à Scriptoribus æui sui, & nondum satis

vituperatus, *Vita Innocentij VIII. Petrus Anglerius, Surita, Corius, Mariana, Onuphrius.* Excessit etiam è viuis Casimirus III. Poloniæ Rex mense Iunio in Lithuaniâ, ætatis suæ 64. Regni 45. qui totâ vitâ suâ vinum aut siceram, ne quidem olfacere potuit. Suffectus ei Ioannes Albertus, de consensu Wladislaï primogeniti iam Regis Bohæmiæ, & Hungariæ: reliqui duo Alexander, & Sigismundus posteà in Polonia regnarunt, *Michouius, Cromerus.* Hoc anno cœpit explorari Nouus Orbis per Christophorum Columbum, natum ex vico Albizolo prope Sauonam, qui suâ industriâ, vel monitus ab aliquo Gallo, aut Hispano (multi enim hanc sibi gloriam arrogant) regiones versus Occidentem detegendas suscepit; irrisus ab Anglis, Gallis, Hispanis, atque Lusitanis primùm vti delirus; demum captâ Granatâ, à Ferdinando tres naues accepit, quibus soluens Gadibus, Augusto mense huius anni, mense Octobri peruenit ad ea littora, quæ posteà Floridæ dicta sunt, detexítque Hispaniolam Insulam, ex qua aurum retulit, cum decem incolis, appulítque in Hispaniam mense Martio anni sequentis, cum prius in Nouo Orbe 30. socios, munitos arce ligneâ reliquisset, *Petrus Anglerius, Hieronymus Benzonius, Collectio Nauigationum in Indias.*

Anno Christi MCCCCXCIII. *Carolus VIII. expeditionem meditatur in Italiam, excitatus ab exulibus Neapolitanis, quorum Princeps erat Antonius San-Seuerinas, Princeps Salernitanus, qui ante biennium euitarat carnificinam Procerum Neapolitanorum per Ferdinandum factam. Accessit & Ludouicus Maurus, qui sibi à Ferdinando, eiúsque filio Alphonso metuebat, quòd Principatum retineret debitum nepotibus suis, de quo grauiter eius filia Isabella illorum mater querebatur. Hæc autem Neapolitana expeditio imprudentissimè à Carolo suscepta est, & à Gallis omnibus improbata, præterquam, à Stephano Versio, & Guillelmo Brissoneto Regio quæstore, símulque Episcopo Maclouiensi, rei bellicæ penitus, & tantorum negotiorum, ignaris,* Comminius, Guicciardinus, & omnes Historiæ Francicæ Scriptores. Ludouicus Maurus nepotem suum exuere Principatu Mediolanensi nititur, atque à Maximiliano, huius Ducatus traditionem possessionis emit (quæ vulgò *inuestitura* dicitur) simul impius, in nepotem, fratrem, & pa-

trem, quos iniustè Principatum tenuisse fatebatur; minon tamen ementis dedecore, quàm vendentis, qui pluris pecuniam quàm honorem faciebat, *Philippus Comminius, Corius, Guicciardinus.* Moritur 7. Septembris Fridericus III. siue IV. cognomento *Pacificus*, Imperator Lintzij, die Lunæ 19. Augusti (quanquam de die non satis conueniat inter Scriptores) ætatis anno 78. regni 53. cum mensibus quatuor. Patri succedit Cæsar Maximilianus, annos natus 25. qui dum funus curaret patris, grandem accepit cladem à Turcis, *Nauclerus, Bonfinius, Michouius.* Columbus nauigationes suas versus Occidentem repetit, ac multas Insulas, atque continentem detegit. Incolis Iamaïcæ prædicit Ecclipsim Lunæ, quæ contigit 22. Octobris; quare ab iis recepit cibaria, quibus valdè indigebat. Accepit etiam tum Ferdinandus amplam donationem terrarum in Occidentem ab Alexandro Pontifice 4. Maij, qui Pontifex & Lineam definiuit in Bulla sua, *Barrosius, Lopezius, Bulla Alexandri VI.* Baiazethes tantùm non interficitur à Deruisio Torlace; quare hos Torlacas proscripsit, & exterminare conatus est, *Leunclauius lib. 16.* Hermolaus Barbarus obiit 20. Maij, annos natus 39. *Crinitus, Iouius, Erasmus.*

Anno Christi MCCCCXCIV. Visa est Ecclipsis Solis 10. Octobris. Ferdinandus Rex Neapolitanus filius nothus Magni Alphonsi obiit 25. Ianuarij annos natus vnum atque septuaginta, initio bonus, posteà crudelis. Successit ei filius Alphonsus II. qui cùm se submisisset Alexandro Papæ, eum ad suas partes attraxit, cùm tamen anteà hic Carolo faueret, *Guicciardinus, & alij. Carolus VIII. aggreditur Neapolitanam expeditionem, & ineunte Iulio Lugdunum venit, annos natus 24. inde Galliam ordinat, & ingreditur Gratianopolim 23. Augusti, hicque relinquit vxorem Annam, Petrum Borbonium, & Thalassiarchum Grauellum: Indéque discedens 29. per viam Annibalis Taurinum venit 5. Septembris à pecunia sic imparatus, vt mundum muliebrem Ducissæ Sabaudiæ, & Marchionissæ Montis Ferrati oppignerare trapezitis coactus fuerit*, Guicciardinus, Comminius. Intereà Alphonsus mittit fratrem suum Fridericum cum ingenti classe Genuam, vt hanc vrbem eriperet Sfortiæ: sed cum hæc tardiùs aduenisset, & infeliciter cum Gallica conflixisset, ille rediit

inglorius,

inglorius, *Folieta, Nebiensis. Carolo VIII. ducenti* nobiles destinati sunt Prætoriani: mille sexcentos equites Cataphractos sub signis tantùm habuit; Heluetiorum peditum sex millia, totidémque Francorum, cum æreis tormentis, vecturâ facilioribus. Sic instructus Astam ingreditur 9. Septembris, vbi toto mense ex variolis, seu pustulis ægrotauit. Inde Ticinum ingressus est 14. Octobris; Placentiam 18. Octobris cum Ludouico *Mauro subiit;* vbi nuncium hîc accepit de morte Ioannis Galeatij, quare statim Mediolanum reuolauit, vbí agebatur de successione Francisci: verùm hanc ille discussit, corruptis Senatoribus, qui hunc puero quinquenni prætulerunt; sícque Ludouicus Dux Mediolanensis, in speciem reluctans, & inuitus creatus est; non *septimus*, sed *quartus*, quòd patrem, fratrem, & nepotem illegitimos arbitraretur, *Iidem qui suprà, & Corius. Carolus VIII. 18. Octobris Placentiam venit, vbi de reditu cogitare cœpit: sed tandem porrò perrexit, & Lucam primò, inde Florentiam venit 17. Nouemb. Ex ea vrbe anteà pulsus erat Petrus à ciuibus ob arrogantiam, & quòd Neapolitano Regi fauere videretur, denique quòd Pisas tradidisset Regi, aliásque munitiones; quare & Venetias perrexit, eiúsque gaza, & supellex à Florentinis direpta. Quòd autem Florentiæ aliqui tumultus essent excitati, armatus, & vexillis explicatis Vrbem ingressus est Carolus, & pecuniam exegit, non tamen sine turbis, quas Sauonarola compressit. In ea vrbe cùm moratus esset dies decem, secundo Decembris perrexit Senas, quas præsidio muniit; cùm in hac vrbe biduò hæsisset: Inde Viterbio reddito satis ignauè, per Ferdinandum Alphonsi filium triumphans subiit Romam, cùm se Castro S. Angeli Pontifex cum duobus Cardinalibus inclusisset*, Guicciardinus, Philippus Comminius, & alij. Angelus Politianus vir doctissimus Florentinus, & Laurentij Medicis filiorum præceptor obiit 25. Septembris; vt & 17. Nouembris Ioan. Picus Mirandulanus Dux Mirandulæ, & Concordiæ Comes annos natus 23. vir incomparabilis ingenij, *Phœnix sui sæculi* dictus, *Volaterranus, & Vita Pici, eius operibus præfixa per Ioan. Franciscum Galeottum.*

Anno Christi MCCCCXCV. Incitabatur à viginti duobus Cardinalibus, quos inuenit Romæ, Carolus VIII. vt submoueret Pontificatu Alexandrum omnibus crimini-

bus infamem, iámque in Arcem Sancti Angeli tormenta bellica libranda curauerat; sed per Guillel. Brissonetum Maclouiensem Episcopum placatus est, quem spe sacræ purpuræ sibi Papa deuinxerat; & verò eâ statim exornatus est. Sic accessit Alexander ad Carolum, atque inter se ambo iniêre fœdus certis conditionibus; nempe vt darentur aliquot vrbes Franco, donec bellum Neapolitanum conficeretur, Zemis dederetur ad bellum Turcicum, Cæsar Borgia huic adiungeretur *specie Legati, reuerà obses, ad menses quatuor*. Hunc porro Cæsarem, Pater Alexander Cardinalem crearat, quasi ex legitimo thoro susceptum, adhibitis peierantibus testibus. Sic receptus Carolus in æde Sancti Petri 20. Ianuarij, in qua & strumosos tetigit, Réxque Neapolitanus dictus, confecto Diplomate; immò, vt quidam volunt, *Imperator Constantinopolitanus*, Philippus Comminius, Guicciardinus, Additiones ad Monstreletum, Tillius, & alij. *Discessit autem Carolus Româ 28. Ianuarij cùm didicisset Alphonsum II. 23. eiusdem mensis regno se abdicasse, & in filium suum Ferdinandum transtulisse.* Alphonsus enim ob crudelitatem tanto apud suos flagrabat odio, vt Franci ab omnibus eius subditis expectarentur. Quare omnia circumspiciens Princeps miserrimus, impositâ triremibus aliquâ supellectile nauigauit in Siciliam, ac Mazaram appulit: Inde Messanam transiit vbi in Cœnobio Oliuetano piè admodùm ac religiosè vixit, orationibus assiduis vacans, ieiuniis affligens corpus, & largas eleemosynas in paupetes effundens; sícque mortuus est, qui malè vixerat, quod paucissimis conceditur, *Philippus Comminius ex relatione Monachorum Oliuetanorum.* Carolus Rex San-Germanum occupat, vnum è claustris Regni Neapolitani, vbi facilè Rex nouus Ferdinandus moras iniicere poterat Francis: sed hoc quoque oppido flagitiosè relicto ad vnam aduentus Carolini famam, & fugitiuo Rege secedente in Insulam Ænariam, Carolus triumphans Neapolim ingreditur die Dominicâ 22. Februarij. Exinde omnes vrbes, & ferè omnes Arces Regni sese huic certatim dediderunt: sícque Galli intra quatuor menses, & sexdecim dies expeditionem tanti ponderis perfecêre, gladio non educto, nullâ fractâ lanceâ, adeò vt ad triumphandum, non

vincendum venisse viderentur. Hinc toti in ludos, & choreas effusi, mittere contempserunt, qui reciperent arces Brundusinam, & Callipolitanam in Apulia, Rheginam in Calabria; sicut & Ferdinandum depellere ex Ænaria Insula. Denique tantâ profusione vsus est Carolus, ea permisit suis victoriâ, & naturâ insolentibus, vt Neapolitani ad Ferdinandum respectarint, & tam facilè hoc regnum Gallis perierit, *quàm facilè partum fuerat*, Guicciardinus, *Philippus Comminius, & vtriusque gentis Scriptores. His auditis, & visis etiam ex Epirotico littore Gallorum signis in oppidis Calabriæ defixis, Turci plerique suas stationes deseruêre; Græci de recuperanda libertate consilia agitauêre; Baiazethes copias omnes suas in Thraciam accersit, parauit naues quibus in Asiam traiiceret; & si tum Principes Christiani eâ occasione vti voluissent, depulsus erat Turcus ex Europa, Dynastis Græciæ iam sua recuperare paratissimis*, Philippus Comminius libro 7. & alij Franci Scriptores. At hunc Turcorum terrorem magna ex parte sustulit Zemis mors Caietæ, vel Neapoli, vel Capuæ, quem nonnulli scribunt antequàm dederetur Carolo, ab Alexandro Pontifice lento veneno potatum esse, cùm eius mors empta fuisset trecentis aureorum millibus, quæ in suorum amplitudinem impenderet, *Epistola Baiazethis ad Alexandrum, inter Epistolas Principum Italicorum, Epistola 6. editionis* 1581. *Principes Itali, videlicet Alexander Papa, Rex Romanorum, Veneti, Ludouicus Sfortia, Ferdinandus & Isabella fœdus ineunt cum Venetiis vltimo Martij aduersus Carolum de reditu huic in Galliam præcludendo. Quo accepto nuncio Rex antequàm eorum copiæ coirent decreuit in Gallias redire, relicto cum exercitus parte Gilberto Monpenserio è Borbonia familia. Sed priùs in habitu Imperatorio* 11. *May triumphans ingressus est Neapolim: vnde egressus cum* 9. *millibus armatorum* 20. *eiusdem mensis Romam venit primo Junij, vnde Alexander Vrbem-Veterem recesserat. Transiit exinde Viterbio, Senis, Pisis, cui vrbi iugum Florentinorum eripuit, superatóque incredibili labore Apennino monte, & per eum tormentis bellicis manu Heluetiorum traductis die Dominicâ* 5. *Julij Forum-Nouum*, Fornouë, *octo millibus passuum Parmâ dissitum venit. Hic cum transitum non impetrasset à Fœderatis, eorúmque Duce Francisco Gonzagâ Principe Mantuano cum triginta quinque millibus armatorum ei transi-*

tum prohibente die Luna 6. Julij prælium commissum est, in quo Carolus insidens equo lusco ferocissimo nobilem illam victoriam retulit, omnium linguis celebratam, cuius ipse magna, & prima causa fuit. Intrà horæ quadrantem res confecta fuit, paucis Gallorum desideratis, ter mille quingentis hostium equitibus cæsis, inter quos multi proceres, peditatus omnis intactus abscessit. Exinde Rex post Nouariam liberatam, in qua obsidebatur Dux Aurelianensis, & pacem iniquam cum Sfortia initam tantâ celeritate rediit in Galliam, vt Italos timere, nec victor, sed victus esse videretur, Phil. Comminius, Guicciardinus, Belcarius, & alij. *Tum Venerea lues primùm apparuit, ideò dicta à Gallis* Morbus Neapolitanus, *ab Italis* Morbus Gallicus, *ex Nouo Orbe sine dubio allatus, & exinde in Europam extensus, quo libidinosi breuem voluptatem & leuem magnis atque diuturnis doloribus redimunt*, Guicciardinus, Mariana, Belcarius, &c. Ioannes Lusitaniæ Rex cognomine *Magnus* obiit 25. Octobris, annos natus 40. cùm annis 14. regnasset. Cùm eius filius Alphonsus ex equi lapsu mortuus esset, successit ei Emmanuel patruelis filius Ducis Visei, reiecto Maximiliano, qui hoc regnum sibi volebat adiudicari, *Mariana, Osorius.*

Anno Christi M C C C C X C V I. *Gallica res in regno Neapolitano penitus concidit, Caroli VIII. negligentiâ, Brisonetti Cardinalis Præfecti Ærarij, & primarij Ministri perfidiâ, qui sic Alexandri VI. in Regem furori adstipulabatur. Hic autem Anathematis agebat, dum armis rem promouebat suam Ferdinandus Rex Neapolitanus, qui tum plurimas vrbes recepit, & tam malè Francos excepit, vt Monpenserius fœdus cum eo icere sit compulsus, cui tamen ille non stetit: quare ex mœrore obiit Monpenserius Puteolis, aut ex veneno, quod ei propinatum est. Itaque Albinus perdito regno Neapolitano reliquias exercitus Gallici reducendas suscepit*, Guicciardinus, Philippus Comminius, Belcarius, & alij. Inter hæc decessit Rex Ferdinandus in oppido Somma, ad Montis Vesuuij radices, vel ex dysenteria, vel ex nimia libidine, multùm desideratus à suis; cui successit Fridericus patruus bonus & ipse Princeps vsus consilio Gonsalui Ferdinandi Hispani, qui *Magnus* dictus est *Capitaneus*, cuius maximè virtute Gallica fortuna in regno Neapolitano concidit. Hic enim egre-

giam operam & Ferdinando, & Friderico Regibus in his bellis nauauit, *Guicciardinus, Comminius, Mariana. Parauerat tum in Gallia Rex magnas terrâ, marique copias, quas vanas reddidêre Ludouicus Aurelianensis earum Ductor inuitus, & Ferdinandi Hispani artes, & perfidia Briſſonetti, vel auaritia, vel vtraque, dum iis copiis ſtipendia malignè ſufficeret*, Comminius lib. 8. Maximilianus inuitatus à Venetis, & Sfortia, ob metum Gallici exercitus parati, in Italiam tranſiit, vnde nihil præter dedecus retulit, *Camillus Gilinus de hac expeditione To. 3. rerum Germanicarum, apud Freherum.* In Luſitania Rex Emmanuel Iudæos expulit à Ioanne certis conditionibus receptos, ex quibus multi ſe Chriſtianos eſſe ſimulatunt, multi, quorum filios impuberes Rex iuſſerat retineri, vt ſacris initiarentur aquis, eoſdem in puteos conieceꝛe. Obtinuit idem Rex ab Alexandro vt qui militares ordines profiterentur, voto caſtitatis exſoluerentur, præter Hoſpitalarios S. Ioannis, *Oſorius Mariana.* Cracouiæ obiit hoc anno Philippus Callimachus Florentinus nobilis Hiſtoricus, cuius nutu in Polonia omnia geſta ſunt ſub Ioanne-Alberto filio Caſimiri, cuius filios inſtituerat, vir planè doctus, & maximi ingenij, *Michouius, Cromerus, Paulus Iouius in elogiis.*

Anno Chriſti M C C C C X C V I I. Ecclipſis Lunæ contigit 18. Ianuarij, vt Solis 29. Iulij. Alexander Pontifex furit in Vrſinos, quibus tamen impar fuiſſet, niſi auxiliator Gonſaluius acceſſiſſet. Hic Vrſinos reconciliauit Pontifici, eúmque ſalutaribus monitis inſtruxit, quæ tamen parùm aut nihil ei profuerunt. Volebat enim per fas, & nefas promouere ſuos, & filium primogenitum Petrum Ducem Gandiæ, Beneuenti Dominum conſtituiſſet, niſi eum redeuntem ex matre Vinocia Cardinalis Cæſar Borgia ſuſtuliſſet; quæ mors patrem ad ſe redire compulit, at diuturna non fuit eius pœnitentia, *Guicciardinus, Mariana.* Ioannes filius vnicus Ferdinandi, & Iſabellæ obiit ex febri 4. Octobris Salmanticæ, cuius ſoror natu maior Iſabella quam miſerat Emmanueli Regi Luſitaniæ, ſpectabat hæreditatem, ſed hæc 23. Auguſti etiam mortua eſt, relicto filio, cui nomen Michael fuit, qui poſt duos annos obiit, *Comminius, Mariana*, Florentia admodum turbata fuit quibuſ-

dam Petrum Medicæum exoptantibus, aliis cum Sauanarola Democratiam præferentibus. Cùm ergo constitutâ horâ propter imbrem venire non potuisset Petrus capti fuerunt fautores eius, & capitali pœnâ mulctati sunt, quam non procurauit Sauonarola, sed cùm eam impedire facilè posset, non impediit; quare ab eorum parentibus, & affinibus magnæ sunt in eum concitatæ tempestates; immisśique in eum Religiosi æmuli feroces, qui illum ex sacris pulpitis lacerarunt. Accessit & in eum Alexandri furor, cuius vitia & Ecclesiasticorum carpere visus erat, quare eum concionibus interdixit, Romam venire iussit, quò tamen accedere non poterat absque periculo, quare eum anathemate perculit, sicut & Florentinos, nisi eum vinctum mitterent Romam. Verùm his præualuit Florentinorum amor in Religiosum valdè pium, & quem impurissimus Pontifex persequebatur, *Guicciardinus.* Franciscus Ximenius Minorita vili loco natus, postquam Ordinem suum sapienter, & sanctè rexisset, creatus Archiep. Toletanus, Ferdinandi & Isabellæ expectationem non fefellit, *Mariana lib. 26. & eius vita. Parisiis à Facultate Theologica Decretum emissum est 17. Septembris ne quis alius referretur in Album Theologorum, nisi priùs iurasset, se immaculatam B. Virginis Conceptionem tuiturum;* quod etiam imitatæ sunt Academiæ Moguntina, & Coloniensis, *Trithemius in Chronico Sponheinnensi, & earum Academiarum Acta publica.* Ioannes Albertus Poloniæ Rex magno collecto in Turcos exercitu & quasi vlturus cladem Varnensem, euocato etiam in auxilium Stephano Vaïuodâ, in eius Walachiam irrupit: verùm egregiè se defendit Stephanus, & adiunctis sibi Turcorum, & Tartarorum auxiliis Poloniam ingressus est, ex qua centum millia captiuorum abduxit, & tantùm pecoris, & armenti, vt his Macedonia, Thracia, Græcia impletæ esse viderentur, *Michouius, Cromerus.* Vasco Gamma cum 4. nauibus bellicis emissus ab Emmanuele Rege Lusitaniæ, & 170. militibus, & nautis flexit promontorium Bonæ Spei 20. Nouembris, diúque cum tempestatibus, & cum suis luctatus, reditum deposcentibus, tandem aliquot regnis aditis, & vitatis sæpè Mahumetanorum insidiis, appulit Calecutum 20. Maij anni sequentis, & benignè susceptus à Zamorino huius tra-

ctus Imperatore, delusisque Saracenorum dolis Olysipponem rediit, exeunte Augusto anni 1499.

Anno Christi MCCCCXCVIII. *Carolus VIII. 7. Aprilis die Sabbati Ambaciæ illiso leuiter capite in superliminare portæ, apoplexiâ correptus horâ secundâ pomeridianâ, horâ noctis vndecimâ obiit, subitâ elatus morte, sed quæ ab eo expectata videretur; nam hac hebdomadâ bis peccata sua confessione purgauerat; & paulò antequàm moreretur dixerat, sperare se nunquam deinceps lethaliter peccaturum. Vixit annis duodetriginta minùs octoginta tribus diebus, regnauit annis 14. mensibus 7. & diebus 8. Successit ei Ludouicus Dux Aurelianensis eius nominis XII. qui 4. tantùm gradu Carolum contingebat; Remis inunctus est 27. Maij coronatus 1. Iulij Sandionysij annum agens 37. dictus* Populi Pater, *Ita* Guicciardinus, Philippus Comminius, qui hic scribendi finem fecit, Belcarius, Ferronus, Claudius Sessellius, & alij. *Alexander Papa, vt sibi Ludouicum deuinciret, dat potestatem quibusdam Antistitibus decernendi de diuortio inter illum & Ioannam filiam Ludouici XI. sororem Caroli VIII. quam inuitus duntaxat, atque ex solo imperio Ludouici, quam non cognouerat, vt pote deformem, & ad gignandos liberos inhabilem; itaque ab his Præsulibus pronunciata de diuortio sententia, eiúsque causæ allatæ, quòd Ludouicus XI. eum de sacro fonte suscepisset, nec veniam petiisset à Pontifice de hoc impedimento, & quòd inuitus, & terrore inductus Rex eam duxisset, cui diuortio Ioanna consensit, accepítque Ducatum Bituricensem, ac se totam Deo, ac bonis operibus dedit, instituto Ordine Annunciationis, in quo in vita & post obitum miraculis claruit*, Vita Ludouici XII. Vita Ioannæ, Sammarthanus, & alij. Cæsar Borgia purpuram exuit, & Diaconatum eiurat, quòd ab Alexandro Pontifice & patre hæc inuitus suscipere compulsus esset: sic Diploma diuortij detulit ad Ludouicum XII. vnà cum purpura ad Georgium Ambacianum virum eâ dignissimum. Cæsar autem Borgia accepit à Rege Ducatum Valentinum in Delphinatu, & Alam 100. Cataphractorum equitum, cum annua pensione viginti millium librarum: sic dictus est Dux Valentinus, qui anteà Cardinalis Valentinus appellabatur, quia fuerat Archiepiscopus Valentiæ in regno Aragonio, *Vita Cæsaris Borgiæ nuper Parisiis edita, & alij.* Hieronymus Sauonarola resumens

conciones suas, & Alexandri viria carpens propter imprudentiam socij sui datus est in carcerem, adnitentibus Franciscanis, qui in eum ex sacris pulpitis debacchabantur, atque iudicio damnatus cum duobus sociis suspensus & exustus est annos natus 46. in Vigilia Ascensionis 23. Maij. Quod iudicium à plerisque improbatum est, *Guicciardinus, Comminius lib. 8. cap. 19. Bzouius, & alij.* Turcorum 70. millia per Valachiam, & Russiam Nigram effusi, collectâ ingenti prædâ, frigore tanto correpti sunt, vt eorum 40. millia diriguerint, reliquos in Moldauia Stephanus sic deleuit, vt ex tanto exercitu vix 10. millia redierint, vnde Turcis iniecta Religio Polonos, eorúmque subditos inuadendi, *Michouius, Cromerus, Leunclauius.*

Anno Christi MCCCCXCIX.*Celebrantur nuptiæ Ludouici XII. cum Anna Britannica, quam olim impense dilexerat, ipse vicissim ab ea redamatus. Item eiusdem Ludouici Philippus Archidux Austriæ se clientem profitetur, ob Atrebatensem Comitatum, Flandriam, & Comitatum Carolesium. Idem Rex cum Hispaniæ, & Angliæ Regibus paciscitur, & inducias facit, cum Maximiliano, Venetis atque Pontifice, ordinatóque egregiè Regno per Georgium Ambacianum, in Ludouicum Maurum Sfortiam bellum parat, vt ei eriperet Ducatum Mediolanensem, sibi debitum iure successionis, ob Auiam suam Valentinam. Sfortiam iuuare non poterat Maximilianus bello Heluetico, & Suecico implicitus: Neque Fridericus Neapolitanus, sibi quoque à Ludouico valdè metuens, ambo tamen Sfortia, & Fridericus ad Baiazethem confugerunt, vt saltem Venetos distineret, quod & præstitit. Parauit & sibi copias Maurus, verùm illæ nullo negotio dissipatæ sunt per Ludouicum Lucemburgensem Lignium, Stuardum, Albinium, & Ioan. Iacobum Triuulcium Mediolanensem, hostem Sfortiæ capitalem. Ac primo impetu captâ Alexandriâ, mox sè dediderunt Ticinum & Genua, ac denique fugiente in Germaniam, Mauro Mediolanum, quam vrbem triumphans ingressus est Ludouicus 6. Octobris. Verùm mense Decembri maturiùs quàm par esset rediit in Franciam, & rebus nondam satis ordinatis, relicto Triuultio Mediolanensis Ducatus prorege, & Genuæ Rauenstino, ac secum deduxit filium Io. Galeatij, quem Maurus sustulerat, sibi satis imprudenter à matre traditum, quem & vita Monastica Rex statim addixit.* Guicciardinus, Belcarius,

Belcarius, Corius. Turcæ excitati à Mauro, & Friderico, aliunde à Venetis vexati eis bellum indicunt, terrâ atque mari. Ac primùm direptum Forum Iulium, multis abdu-ctis. Mari autem Antonius Grimanus Venetæ Classis præfectus bis eos vincere potuit, nec vsus est oblatâ sibi occasione, ideò actus in exilium, vnde posteà reuocatus, etiam creatus est Dux Reip. nonagenarius. Ereptæ tamen Turcis Leucas hodie *Sainte Maure*, & Cephalonia Insula maris Ionij nobilis; sed vicissim perditæ Methone & Corone *Modon, & Coron* in Peloponneso, Naupactum *Lepante* in Achaia, & Dyrrachium *Duras* in Macedonia. Duobus autem annis hoc bellum tenuit; pace autem factâ reddita Turcis Leucas, quieuítque Baiazethes, Arthritide laborans, sibi timens ab Ismaele Sophi Persarum, qui tum magnæ potentiæ fundamenta iecit, & quam meritò Turcæ formidare debuerunt, *Leunclauius, Bosius, Spanduginus, Zygomalas.* Petrus Varbekus Tornacensis, suppositus sub nomine Ducis Clarentiæ Eduardi, à Margareta Angla, post varios conatus, variásque vices, quæ Comitis Waruicensis causæ mortis extitêre, Regis iussu interceptus, laqueo finiit vitam, fine his nebulonibus consueto, *Polydorus, Leslæus, Buchananus.* Tum Ismael Vsumcassanis nepos, filius Harduelis fuit, qui nouæ sectæ author extiterat, Homaris inimicæ, & addictæ Hali, sed cùm Hardueles iussu Regis sublatus esset, fugit Ismael in Hyrcaniam, vbi seruatus est à Pyrchali paterno amico, recepit ditionem paternam, & mox totam Persidem, maximè operâ Tekelis discipuli Patris Harduelis, qui *Keselbas* dictus quòd tegmine *rubro* vteretur, cùm Turcæ *Album*, Tartari *Viride* ferant. Hoc autem tegmen cùm non esset lineum vt aliorum Mahumetanorum, sed laneum, inde eius Sectatores dicti *Sophiani*, à voce Arabica *Sophi* quæ *Lanam* sonat. Ismaël autem naturâ eloquens, & manu promptus potitus Persico Imperio dictus est *Keselbassi, & Sophi*, odiúmque reliquit suis capitale, quo Principes Christiani, si mens eis non fuisset læua, benè vti potuerunt, *Leunclauius, Bizarrus, Barrosus in Asia.* Tum scribebat Steganographiam suam Trithemius Abbas Sponheimensis in Diœcesi Moguntina, hoc est, *opus de occultis*, quod ei multas calumnias, & obiurgationes peperit,

at meritò proscriptum est, *Bellarminus de Scriptoribus Ecclesiasticis, & ipse Trithemius in Epistolis.* Dictus est autem Trithemius à Vico *Trithenheim* Diœcesis Treuirensis, vir sanè doctus, sed *qui sapere noluit ad sobrietatem.*

Anno Christi M D. Ecclipsis Lunæ visa est nocte inter 5. & 6. Nouembris. Iubilæum Romæ celebratum est; sed minori celebritate, ob grassantem luem, prædones, & *Ludouici Mauri rabiem, qui hoc anno reuocatus à Mediolanensibus Principatum suum recuperauit, Triuultij culpâ, quem asperitas odiosum eis reddiderat. Ludouicus enim Maurus cum Ascanio Fratre Cardinali rediit cum 8. millibus Heluetiorum, & 500. equitibus Cataphractis Burgundici Comitatus, quibus Comum primò, deinde Mediolanum & Nouariam præter arces recepit. Verùm statim adfuêre cum nouis Heluetiorum copiis Ludouicus Trimolius, & Cardinalis Ambacianus, qui iuncti copiis Italicis, Nouariam obsedêre in qua Maurus se imprudenter incluserat. At cum veniendum ad manus fuit, negarunt inclusi Heluetij se posse inconsultis magistratibus suis aduersus fratres suos pugnare; quare miser Maurus cum iis abire decreuit sub veste gregarij militis Heluetij, vel vt alij volunt, Franciscani: verùm agnitus missus est in Galliam in arcem Loccianam, vbi toto decennio vixit in duro carcere, dignus acerbiori supplicio ob crudelitatem in propinquos, & in Francos peregrinos, in quorum singula capita numum aureum pronunciarat. Frater item eius Cardinalis captus & traditus à Venetiis inclusus est Turri Bituricensi, mitiùs tamen habitus, & tandem commissus liber Cardinali Ambaciensi. Filij Sfortiæ Maximilianus & Franciscus apud Imperatorem relicti, diu per Germaniam exules & inopes errauerunt, aliis omnibus datâ veniâ, grandi tamen imperatâ pecuniâ, cuius tamen magna pars est remissa,* Guicciardinus, Bembus, Velleius, omnésque Gallicæ Historiæ Scriptores. Romæ 29. Iunij Alexander Pontifex per turbinem deturbato camino, & confracto tabulato tantùm non est oppressus, elisis duobus eius domesticis. Ipse manu & capite saucius ex ruderibus extractus est exanimis: quare sanatus Constitutionem Callisti III. renouauit de B. Virgine in meridie salutandâ, *Mariana, & Diarium Brucaræ.* In Hispania rebellauêre Mauri hoc anno, at sequenti domiti, decem aureis persolutis in Africam nauigare compulsi sunt, plures tamen ore tenus Mahumetum

eiurauerunt Francifco Xemenio Archiep. Toletano in eis conuertendis grauiter elaborante, *Gomesius in vita Ximenij, Mariana.* Natus est Gandaui die Festo S. Matthiæ 25. Februarij Carolus V. posteà Imperator Philippi filius, cui post Baptismum inditum est nomen Ducis Lucemburgensis, non Comitis Carolesij de more, *Laurentius Surius de rebus toto orbe gestis, Guillelmus Zenocarus, & alij.* Aluarus Capralis iussu Emmanuelis Lusitani cum 13. nauibus nauigat in Indiam, sed tempestate defertur in terram, in qua cùm Crucem defixisset S. Crucis regionem appellauit, quæ posteà dicta est Brasilia à ligno quodam rubro, & rubrum colorem inducente; quam posteà Americus Vespucius accuratiùs detexit. Capralis repetitâ nauigatione post 7. naues; haustas fluctibus, cum aliis sex peruenit in Indiam, Regibus multis in Lusitanorum societatem allectis; ac Principio benignè exceptus à Zamorino, posteà appetitus est insidiis, in quibus aliquot è suis perdidit: fœdúsque pepigit cum Regibus Cochini, atque Cananoris, atque vtrobíque onustis nauibus variis aromatis, aliquot denuò perditis nauibus anno sequenti rediit Olysipponem amicissimè ab Emmanuele susceptus, *Barrosius in Asia, Maffæus, & alij.* Hoc anno desinit Naucleri Chronicon Filij Ioannis Vergæ, quæ vox *Nautam* sonat, vnde se Nauclerum dixit, quem interpolasse ferunt antequam ederetur, Philippum Melanchthonem, quare is scriptor cautè legendus. Produxit quoque ad hunc annum Epitomen Historiæ per annos mille ducentos Robertus Gaguinus Atrebatensis, Generalis Ordinis Sanctæ Trinitatis, vir eruditus, & multis Legationibus in Italia, Germania, Anglia perfunctus, & à Ludouico XII. Præfectus Bibliothecæ Regiæ, quam multis libris auxit emptis Regiâ pecuniâ, & post hæc, duos annos magna cum pietate vixit, & obiit.

FINIS DECIMI-QVINTI SÆCVLI.



DECIMVM-SEXTVM
ÆRÆ CHRISTIANÆ SÆCVLVM,
FRANCISCI I. FRANCORVM REGIS, & Hæreſeon Lutheri & Caluini.



NNO CHRISTI MDI. *Fœdus ineunt inter ſe Ludouicus XII. & Ferdinandus Hiſpanus, eâ lege, vt hic Apuliam, & Calabriam, ille reliquam Neopolitani Regni partem obtiheret, Gallus Rex Neapolitanus, & Hieroſolymitanus, Hiſpanus Dux Apulus vocarentur.* Fridericus Rex Neapolitanus harum rerum ignarus, in auxilium euocauit Gonſaluum, dictum Magnum Capitaneum aduerſus Gallos, ſed hic facilè ſibi totam Apuliam atque Calabriam vindicauit; *dum Albinius, & Raueſtanus, ductores Galli reliquam partem ipſamque Neapolim occuparent:* Fridericus in Ænariam Inſulam ſe recipere permiſſus eſt ad ſex menſes, vt deliberaret cui ſe Regi dederet; *qui proditus ab Hiſpano, ad Gallum tranſiit, à quo recepit Ducatum Andegauenſem cum penſione 30. millium aureorum: ſed parùm prouidè;* quia poſteà ex turbis inter Gallos, & Hiſpanos enatis proficere potuiſſet, & recuperare ditionem ſuam. Filius Friderici Ferdinandus ob-

ſeſſus Tarenti, Gonſaluo ſe dedidit fide acceptâ ad SS. Euchariſtiam de libertate, ſed fidem violauit Gonſaluus, eúmque miſit in Hiſpaniam vbi primùm Regio more habitus vixit, *Guicciardinus, Mariana, & alij.* Fœdus initum à Principibus Chriſtianis aduerſus Turcos ſic in ventos abiit, quorum copiis præpoſitus Albuſſonius Magiſter Hoſpitalariorum, atque Cardinalis rem Chriſtianam egregiè promouiſſet, niſi pluris feciſſent illi ditionis ſuæ maiores terminos, quàm religionem, *Boſius in Hiſtoria Hoſpitalariorum.* Pertinet ad hunc annum Legatio Petri Martyris Anglerij ad Campſonem Gaurum Sultanum Ægypti, quæ huic commiſſa fuit à Rege Ferdinando, vt eius animum deliniret irritatum clade Granatenſi, *Legatio hæc ab ipſo Legato ſcripta tribus libris.* Philippus Archidux Auſtriæ filius Maximiliani Imperatoris cum Ioanna coniuge Aragonia per Galliam traiicit in Hiſpaniam, vbi Ludouicum Regem Bleſis agentem conuenit, ibíque magnificè ſuſceptus, qui tamen ſe Regis clientem præſtitit, & cum eo fœdus à patre initum renouauit. Delâti ambo in Hiſpaniam à Caſtellanis Toleti 22. Maij ſuſcepti ſunt; ſicut & ab Aragoniis Cæſarauguſtæ anno ſequenti 27. Octobris, *Mariana lib.* 27. Poloni turpiter Tartaris illuſerunt, neque Chriſtianitatis, neque ſuæ fortitudinis ſatis memores, *Michouius lib.* 4. Toroniæ die 17. Iunij obiit ex apoplexia anno vitæ 42. regni 9. Ioannes Albertus Rex Poloniæ, ſuſceptâ expeditione aduerſus Fridericum Saxonem Magiſtrum Ordinis Teutonicorum detractantem ſibi clientelare obſequium de Pruſſia. Succeſſit ei Alexander Lithuaniæ Dux, qui diuiſis procerum ſtudiis tandem electus 12. Decembris Cracouiæ coronatus eſt, non tamen impoſitum de more eius vxori filiæ Ioannis Moſchouiæ Ducis diadema, quòd hæc Græcorum ritum ſequeretur, *Michouius, Cromerus.* Tum multiplicati Hæretici in Bohæmia dicti *Foſſarij*, quòd in ſpeluncis laterent, fortè iidem cum Pikardis, *Trithemius, Bzouius.* Hoc quoque tempore apparuit Lugduni circulator Ioannes quidam Italus, qui *ſe Mercurium* appellabat, agebátque Prophetam, magnam præ ſe ferens grauitatem; qui benignè exceptus à Ludouico Rege, ei duplex donum obtulit, gladium & clypeum vtrumque mirabilem, ab eo viciſſim

multo auro donatus, quod omne in pauperes effudit; creditus à medicis Parisinis supra hominem sapere, & mortales omnes superare, *Trithemius.*

Anno Christi M D I I. *Bellum oritur in regno Neapolitano inter Hispanos, & Gallos, dum singuli sibi Capitanatam arrogant; & principio quidem res feliciter cessit Ludouici ducibus, vbique victoribus; sed dum eis submittere necessaria, more Gallico, Rex omittit, primi illi victoriarum flores euanuerunt,* Mariana, Guicciardinus, Belleforestius. *Rex autem prouisurus regno Neapolitano, & Mediolanensem ditionem seruaturus aduersus Maximilianum Imperatorem & Venetos, atque vt ferret opem Florentinis, quos vexabat Cæsar Borgia Valentinus, Mediolanum venit. Hinc Valentinum facere satus compulit Florentinis; posteà tamèn tacitum cum eo fœdus inut, nomini Gallico inhonorum, vt sibi eius Patrem Pontificem demereretur. Inde Genuam est ingressus 26. Augusti tantâ celebritate, & gaudio populi, vt dies ille solemnis in posterum quotannis celebraretur. His gestis magnificentiùs, quàm prudentiùs, rediit in suam Galliam, neglectis rebus Neapolitanis, quæ ab hoc tempore dilabi, ac ruere cœperunt,* Guicciardinus, res Gestæ Caroli VIII. & Lud. XII. ex collectione Godefridi. In Spirensi Diœcesi rustici rebellarunt in Episcopum & Canonicos, Henoticon parantes instar Heluetiorum, sed à Maximiliano huic malo matutè prouisum, quod magnas strages Germaniæ minabatur, *Surius.*

Anno Christi M D I I I. Dux Valentinus in suos inimicos sæuit, aliquot strangulat, aliquot veneno necat, Patre in his cædibus non conniuente modò, sed etiam crudeliter ridente; quominùs autem vlteriùs pergeret, Ludouici XII. authoritas prohibuit, timentis, ne sublatis inimicis suis pater & filius potentiores existerent, *Guicciardinus. Philippus Austrius per Galliam rediens, Ludouicum adit Lugdunum, atque cum eo amicitiam renouat, & antiquæ pacis conditiones firmat; verùm eas neglexit Gonsaluus, Nemorosius eas ratas habuit. Cùm autem Gallis fœdere subnixis nulla venirent auxilia, Hispanis adessent, bis victi Galli, atque in vltimo certamine cæsus est Nemorosius 28. Aprilis, magnâ pompâ Barlettæ sepultus à Gonsaluo; qui vsus victoriâ suâ Neapolim ingressus est 14. obsedit & Caietam in qua erant Francicarum copiarum reli-*

quiæ, & 1. die anni ſequentis eâ vrbe potitus eſt factâ per Albinium deditione. Tentauit Ludouicus ſuis ſuccurrere, ſed hæc auxilia vana reddidit Mors Ludouici Trimollij, & exercitus ad Romam mora, vt Pontificatus mortuo Alexandro V I. Cardinali Ambaciano pararetur, Guicciardinus, Mariana, Belleforeſtius, Belcarius. Alexander VI. cùm ſediſſet annis vndecim, & diebus octo, anníſque 72. vixiſſet, in villa Cardinalis Cornetani, obiit potatus veneno, quod filius eius ditioribus quibuſdam Cardinalibus parauerat, vt eorum bonis frueretur: ſed errore pocillatoris id pater & filius hauſère; hic eodem die interiit, ille incluſus mulæ exenteratæ præcordiis ægrè mortem, ſed per multos cruciatus euitauit, fugiens Nepetum ne ab Vrſinis, & aliis inimicis ſuis iugularetur, *Guicciardinus, Mariana, & alij.* Succeſſit Alexandro Franciſcus Picolomineus annos natus 64. dictus Pius III. filius Sororis Pij II. 26. Sept. ſed intra 22. dies 18. Octobris obiit. Datus eſt ei ſucceſſor Iulianus Ruuereus vltimo Octobris nepos Sixti IV. vocatus Iulius II. coronatus die Dominicâ 26. Nouembris, *Victorellus additionibus ad Ciacconium, Guicciardinus.* Dux Valentinus Cæſar Borgia, emiſſus à Iulio, iterùm detentus eſt, donec terras Eccleſiæ, oppida, & arces reſtituiſſet, *Guicciardinus, & alij.* Initio Decembris mortuus eſt Steno Princeps Regni Sueciæ, vir pius & fortis; cui ſubſtitutus eſt Suantonus nobiliſſimus Regni conſiliarius eodem tituli Principis, nec ei virtute inferior, *Ioannes Magnus.* Deceſſit & 3. Iulij Petrus Albuſſonius Magiſter Equitum Rhodiorum, cui ſuffectus eſt Emericus Ambacianus frater Cardinalis Ambaciani, vir etiam fortiſſimus, & de ſuo Ordine ac tota Chriſtianitate optimè meritus, *Boſius in Hiſtoria Hoſpitalariorum.* Hoc anno miſſus in Indiam ab Emmanuele Rege Alphonſus Alburquercius, qui rem Luſitanam & Chriſtianam ſimul in Indiis amplificauit, *Barroſus, Oroſius, Maphæus.*

Anno Chriſti M D I V. Ecclipſis Lunæ contigit 29. Februarij. Hiſpani milites in regno Neapolitano non ex regiis ſtipendiis, ſed hoſpitum ſuorum bonis viuere incipiunt, *quod imitati Franci facti ſunt ipſis ſuis doctoribus rapaciores*, Guicciardinus, Spondanus. Fridericus olim Rex Neapolitanus vanâ ſpe regni recuperandi deluſus, Turonis

obiit ex febre quartana 9. die Nouembris. Eum secuta est 26. eiusdem mensis Isabella Regina Castiliæ, & filiam suam Ioannam & maritum eius Philippum scripsit hæredes, *Guicciardinus, Mariana, & alij.* Initum est hoc anno Turcos inter & Venetos fœdus, ab vtrisque expetitum, sed ab his maximè quòd arderent inuidiâ aduersus Lusitanos, qui Aromata ex India subuehebant, quæ ipsi vili pretio empta Alexandriæ, indè posteà in omnes Europæ partes magno lucro subuehebant, *Guicciardinus, Barrosius, Osorius, Mariana.* Nec minori ardebat in Lusitanos odio Sultanus Ægyptius Campso, qui & Gaurus, ob eandem causam, quare & vulgandum curauit, se euersurum templum Hierosolymitanum cum Christi sepulchro, & Monasterio S. Catharinæ in monte Sinaï, & Christianos omnes ex sua ditione depulsurum, itémque Reliquias omnes sacras aboliturum, quas etiam minas ad Pontificem rescripsit, qui eis territus ad Emmanuelem scripsit, à quo confirmatus Pontifex timere desiit, *Barrosius, Orosius, Paulus Iouius, & alij.* Victus est in India ab Eduardo Pacieco cum militibus circiter centum Zamorinus, quare redux in Lusitaniam Paciecus summis honoribus cumulatus est, qui tamen posteà innocens coniectus est in carcerem, atque inops obiit. *Barrosius, Osorius, Maphæus.* Stephanus Vaïuoda Valachiæ, & Moldauiæ vir fortissimus obiit Schismati Græcorum implicitus; cui successit filius Bogdanus, cognomento *Luscus*, quod alterum oculum amisisset, *Michouius, Cromerus.*

Anno Christi M D V. Bulla illa celebris ædita est à Iulio II. 14. Ianuarij, de Simoniaca labe in electione Pontificis, *Iulij II. Constitutio* 3. Inita pax inter Ludouicum XII. atque Ferdinandum, cùm hic duxisset Germanam Fuxensem neptem Ludouici, *Mariana.* Bellum inter Florentinos & Pisanos gestum, maiori tamen damno Florentinorum, *Mazalquiuir*, hoc est Arabicè Magnus Portus, cuius Ptolemæus meminit, occupatum esse intra tres dies à Ferdinando Corduba, hortatu Ximenij Archiepiscopi Toletani, *Mariana lib.* 28. Franciscus Almeida creatus primus Indiæ prorex varias arces in Africa & India condidit, Mauris, Indis, Ægyptiis sæpè deuictis. Pulso Quiloe Tyranno, constituit

ſtituit Regem, qui filiis ſuis eo dignis noluit relinquere, ſed eius liberis, quem Tyrannus expuliſſet. Detexit item Regnum Sophalæ, vbi credunt plerique fuiſſe olim Ophir Salomonis, *Barroſius, Oſorius, Maphæus.* Mortuus eſt denique hoc anno Ioannes Baſilius Magnus Dux Moſchouiæ exeunte Nouembri, qui iugum excuſſerat Tartarorum, cóſque ſibi fecerat vectigales, multáſque ditiones adiunxerat Moſchouitico Imperio, cui ſucceſſit Baſilius Ioannis, *Michouius lib.* 4.

Anno Chriſti M D V I. Ecclipſis Solis contigit die Mercurij 13. Ianuarij. Philippus Archidux Auſtriæ cum vxore ſua Regina Hiſpaniæ, ſoluit ex Belgio, & tempeſtate iactatus in Angliam compulſus eſt appellere, magnificè ſuſceptus ab Henrico VII. cui tamen prodere compulſus eſt Edmundum Polam Suffolciæ Ducem exulem in Belgio detentum, promiſſâ tamen huic incolumitate, quod ab eius filio Henrico VIII. ſeruatum non eſt; tum enim ille cæſus eſt, quòd ſibi ius in Regnum Angliæ arrogaret. Sic dimiſſus liber Philippus, in Hiſpaniam appulit 28. Aprilis; & in Caſtella vbique ſuſceptus, eam poſtmodum relinquere coactus eſt artibus Ferdinandi Soceri ſui, *Mariana lib.* 8. Idem Ferdinandus ſecedit in ſuam Arragoniam, vnde claſſe contendit in regnum Neapolitanum, vt Gonſaluum Magnum Capitaneum inde remoueret, quem ambire ſibi hoc regnum, vel Philippo tradere paratum eſſe ſuſpicabatur. Sed Gonſaluus ei occurrit Genuæ, ſícque metu ſolutus triumphans Neapolim eſt ingreſſus 1. Nouembris & Gonſaluum Sueſſæ creauit Ducem, inter hæc obiit Burgis in Caſtella Philippus anno ætatis 28. die 25. Sept. non ſine ſuſpicione veneni, vel, vt quidam dixêre, ex intemperantia. Quare rediit in Hiſpaniam anno ſequenti Ferdinandus, vt eam adminiſtraret, Ioannâ præ mentis imbecillitate ſuis ditionibus adminiſtrandis impare, *Mariana, Anglerius.* Interim Iulius Pontifex auxilio Francorum Bononiam, & Peruſiam recipit eiectis Ioanne Bentiuolio, & Paulo Ballione qui has vrbes eripuerant Eccleſiæ, *Guicciardinus, & alij.* Perrexit hoc anno in Indias cum Triſtano Acuna Alphonſus Alburquercius; Acuna in Inſula Socotora expugnauit Arcem ex qua Mauri Chriſtianos Iaco-

bitas vexabant. Alburquercius missus successor Almeidæ, dum finem huius administrationis expectat, Armuzium intercipit nobile Orientis Emporium, *Barrosus, Maphæus, & alij.* Olysippone in Iudæos recèns Christianos sæuitum, occasione falsi miraculi, quod negarat Nophytorum istorum vnus, fratribus duobus Dominicanis concitantibus seditionem. Eorum supra duo millia interierunt, multorum expilatæ domus. Rediens in vrbem Emmanuel multos curauit mulctandos; incentores seditionis Monachos exautoratos presbyterij ornamentis strangulari, atque comburi, *Mariana, Osorius, Surius, & alij.* Alexander Poloniæ Rex annos natus 46. cùm annis 5. regnasset, auditâ suorum nobili victoriâ Vilnæ obiit 19. Augusti, cui successit frater Dux Glogouiensis Sigismundus, *Michouius, & Cromerus, in Alexandro Historias suas absoluentes.* Hòc denique anno Iulij 3. inchoatum est Templum S. Petri in Vaticano, quod designauit Bramantes Architectus, sub Paulo V. absolutum ab Vrbano VIII. exornatum est, *Spondanus ad hunc annum.*

Anno Christi MDVII. Cæsar Borgia Dux Valentinus cùm Ostiâ fugisset ad Gonsaluum, & ab eo missus esset in Hispaniam, vbi triennium totum in carcere contriuit, vnde à corruptis auro custodibus dimissus, cùm fugisset ad Ioannem Nauarræ Regem vxoris suæ fratrem in militari eâque tumultuariâ excursione, ignotus interfectus est 12. Martij, & penitus spoliatus delatus est Pompelonem ad sepulturam, in qua vrbe fuerat primùm Episcopus, & eodem ipso die quo Episcopatum adiisset, *Mariana, Paulus Iouius, & alij. Genua deficit à Ludouico XII. creato Duce Paulo Nouio Fullone sordido, sed magni animi viro. Accurrit statim cum exercitu Ludouicus, depulsisque Genuensibus ex montium suorum angustiis, armatus, & stricto gladio 29. Aprilis ingressus est vrbem, ciuibus vltima quaque expectantibus, & abiectis humi corporibus flebiliter veniam petentibus ignouit, paucis tantùm necatis, qui rebellionis authores extitissent; inter quos Petrus iste Nouius fuit. Ciuitas tamen grandi pecuniâ mulctata fuit, arce insuper ædificatâ, quæ ciues in officio contineret: abductóque Rauestinio, Rodulphum Lanoium præfecit vrbi, virum quo emendari ciuitas potuisset, nisi eius crimina curationem omnem superas-*

ſent, Guicciardinus, Folieta. Maximilianus maximum conuentum celebrat Conſtantiæ ex Germanis Principibus, & liberis ciuitatibus, vel contra Gallos, vel Venetos, vel vtroſque, *Guicciardinus, Trithemius.* Ferdinandus ſeptem menſibus Neapoli commoratus, Hiſpaniam repetit ſuam 4. Iunij, ſecum Gonſaluum abducens, quem Pontifex & Veneti ſibi depoſcebant Ducem copiarum, & cum eo Sauonam ad colloquium cum Ludouico XII. venit 27. eiuſdem menſis, *Perhumaniter exceptus à Ludouico, quem ille viciſſim detecto capite, alteróque flexo genu recepit. Hic à Ludouico ſupra modum honoratus eſt Gonſaluus, etiam torque ſibi detracto, & in eius collum inſerto, quem & voluit cum Rege & Regina eidem menſæ aſſidere ſecum. Coluit & viciſſim Ferdinandus Albinium, quem ægrum inuiſit ipſe, & Venafranum Comitem creauit; ac triduò tantùm ibidem commoratus in Hiſpaniam vela fecit, eam deinceps adminiſtraturus,* Guicciardinus, Paulus Iouius, Mariana, Hiſtoria congreſſus Ludouici, & Ferdinandi edita à Godefrido. *Obiit hoc anno Pleſſiaci ad Turonas Sanctus Franciſcus Paulanus 2. Aprilis in paraſceue Paſchæ annos natus vnum, atque nonaginta, quem miraculis ingentibus & pluribus illuſtrem Leo X. anno 1519. in Sanctorum Album retulit 1. Maij die Dominicâ in Albis, eius corpus poſt annos 50. incorruptum Hæretici combuſſerunt lignis ex ſciſſo crucifixo comparatis, vt ſacrilegium maius, atque geminatum patrarent,* Victonus in vita huius Sancti, Leo X. in Bulla eius Canonizationis, & Gallicæ Hiſtoriæ Scriptores.

Anno Chriſti M D VIII. Maximilianus cum modicis copiis verſus Italiam progreditur, quaſi Coronam Imperatoriam recepturus: ſed copiis eius aliquot deletis in Foro-Iulio per Aluianum Veneti exercitus ductorem retroceſſit ignominiâ plenus, fœdere cum iiſdem Venetis turpi inito, quod ſtatim abrupit, iunctus cum Rege Franciæ, Ferdinando, Pontifice, & aliis Principibus, quibus tum graues, & intolerandi Veneti videbantur; nouum hoc fœdus aduerſus Venetos initum eſt Cameraci 10. Decembris, in quod multi deinceps odio Venetorum tranſierunt, *Guicciardinus, Anglerius, & alij.* Miſit hoc anno Campſo Sultanus Ægyptius Mirocemum rei nauticæ peritiſſimum cum claſſe in Indiam, ad retundendos Luſitanos. Hic aliquot arcibus

Lusitanorum deiectis, omissóque Alburquercio apud Armuzium, Ciaulum perrexit in Laurentium Almeidam filium Indiarum Præfecti, quem imparatum cum septem nauibus oppressit, pugnâ ferocissimâ, in qua fortissimè pugnans Laurentius occubuit. Sed prorex eius pater mox Mirocemo reposuit vicem in portu Diu instructis tantùm vndeuiginti nauibus, sed egregiè paratis, per quas victus 3. Februarij anni proximi Mirocemus cum ducentis nauibus partim suis partim Calecutanis: tum grandis facta Mammalucorum cædes, fugit Mirocemus, naues omnes aut captæ aut incensæ; prorex triumphans rediit Cocinum, vbi cum Alburquercio graues contentiones exercuit, quem & compegit in vincula: verùm hæ aduentu Ferdinandi Contigni sublatæ sunt; confirmatus Alburquercius, remissus in Lusitaniam Petrus Almeïda parum honestè, qui ad Promontorium Bonæ Spei cum Barbaris depugnans inglorius occubuit 1. Martij 1510. *Barrosus Osorius, Maphæus, & alij. Hoc tempore à Normannis Piscatoribus capta Cymba ex vimine & Corio, in qua 7. homines incognitæ linguæ, vestibus ex Piscium Corio, & vultu longè nostris dissimili, sex interierunt, septimus adolescens cum Cymba missus est ad Regem Rothomagum, nec vnde venerint vnquam potuit deprehendi*, Belcarius: Apud Bernenses Heluetios 4. Dominicani combusti sunt, dum falsis miraculis, & visionibus conantur opinionem suam aduersus Conceptionem Immaculatam B. Virginis propugnare, *Petrus Martyr Anglerius, Trithemius, Wadingus.*

Anno Christi MDIX. Ecclipsis Solis 2. Iunij contigit, quam Cracouiæ obseruauit Copernicus, *Exeunte Aprili Gallicus exercitus Venetos inuadit, cum in eosdem ageret Iulius II. fulminibus sacris, eósque grandi clade deleuit cum suis Ducibus, Comite Petiliani, & Bartholomæo Aluiato 14. Maij, Rege partes & militis & Imperatoris obeunte ad Ghiaraddam, seu fluuium Adduam non procul ab Vrbe Laude, & Riuolta. Rex potitus est Cremâ, Cremonâ, Bergamo, & Brixiâ*; Pontifex Fauentiâ, Arimino, Rauennâ, & aliis; Hispani, Trano, Brundusio, Hydrunto & aliquot aliis; Maximilianus Veronâ, Vicentiâ, Pątauio, & vrbibus ad Bennacum; alij Principes vicini, vicinis sibi Vrbibus; Veneti tanta clade territi, se Vrbe sua

continuerunt, & paludibus suis. Mox tamen iidem resumpserunt animos, Patauio recepto, quod Germani malè seruabant. Hanc Vrbem obsedit Maximilianus; verùm ignominiosè repulsus est, cui & Vicentiam insuper eripuerunt Veneti. Sunt qui putent tum Turcos ab iisdem Venetis in auxilium euocatos, *Guicciardinus, & omnes Venetæ Historiæ Scriptores.* Ximenius Cardinalis cum Petro Nauarra transit in Africam, & Oranum Mauris eripit, cum Bugia, Tripoli, & aliquot aliis locis, *Mariana, Gommeius in Vita Ximenij.* Moritur 21. Aprilis natus annos 52. cùm regnasset annis 24. Henricus VII. Angliæ Rex, cui successit filius Henricus VIII. annos natus duodeuiginti, coronatus 24. Iunij cum vxore Catharina Aragonia, filia Ferdinandi & Isabellæ, Arturij relicta, quæ posteà magnarum turbarum causa fuit, *Polydorus, & omnes Anglicæ Historiæ Scriptores.* Hoc deñique anno prodiit in Perside Tekelus, qui magnas turbas ibidem excitauit, *Bizarrus, & alij.*

Anno Christi MDX. Iulius II. Pontifex sibi à Francis metuens, quorum arma totam terrebant Italiam, Venetos Ecclesiæ restituit, & ab omnibus censuris absoluit Romæ pro foribus Basilicæ S. Petri, eorum Legatis humi prostratis, acceptísque conditionibus satis duris, *Guicciardinus, Iustinianus.* Quibus peractis se Francorum & Ludouici inimicum pronunciat; ac primò Alphonsum Ducem Ferrariensem Francorum amicum aggreditur. Auxit ei quoque animos mors Georgij Cardinalis Ambaciani, Lugduni 25. Maij, quem vtilissimum Regi nouerat, & à quo sibi multùm reformidabat. Cùm is Cardinalis testamento legasset centum aureorum millia, hæc sibi Iulius arrogare volebat, sed negauit Rex Pontificias istas leges de priuatorum bonis, extra ditionem Papæ valere. Quare Iulius Regi infensissimus, Ferdinando regni Neapolitani possessionem confirmat, denique ita cum eo agit, vt ipse diplomata Pontificia scripsisse videretur, remittens etiam multa de iure Pontificum, vsque adeò eum iracundia, & furor efferabant, *Belcarius, Mariana, & alij.* Expectatione tamen suâ delusus est Iulius; quos enim excitarat in Ludouicum ipsi defuerunt: at Maximilianus fuit hoc anno quàm superiori

felicior. Verona enim fruſtrà fuit oppugnata à Venetis: *Ferraria fortiter à Gallis defenſa, ipſe Iulius tantùm non eſt captus:* Mirandulam tamen cepit & nullum non mouit lapidem vt Ludouico incommodaret, *Guicciardinus lib. 9. Quibus Rex permotus Epiſcopos, & Doctores Turonas, & Aurelias vocat, vt prouiderent de remediis, quibus furorem Pontificis aut reſtinguerent, aut minueret; & Articuli quidam ſeu monita compoſita, quæ ad Pontificem deferrentur; inſuper prohibitum ne quis vlla de cauſa pecuniam mitteret Romam; denique deliberatum, de indicendo Concilio, & in eam ſententiam quinque Cardinales abierunt, qui relicto Pontifice, atque Bononiâ, Florentiam, Ticinum, & Mediolanum receſſerunt, & Conciliabulum Piſanum informarunt*, Belcarius, Guicciardinus, omnéſque Hiſtoriæ Francicæ Scriptores. Idem quoque præſtitit in Germania Maximilianus, vnde 10. grauamina prodierunt, quæ eſſent à Pontifice emendanda, *Faſciculus Rerum expetendarum To. 2. rerum Germanicarum apud Freherum.* Ferdinandus ſollicitatus à Ludouico, & Maximiliano, vt ſe iis adiungeret ad retundendum Pontificis animum, prudenter, & religiosè reſpondit, Mauros aggreſſus Bugiam & Tripolim cepit ſed ad Meningem Inſulam, ſeu Lotophagitem, vulgò *Gerbi* cladem accepit, *Mariana lib. 29.* Neapoli reiecta Inquiſitio, expulſi tantùm Iudæi, qui in hoc regnum ex Hiſpania confugerant, *Mariana lib. 30.* In Germania magna controuerſia excitata de libris Hebræorum abolendis præter Biblia inter Io. Reuclinum, ſeu Capnionem, & Monachos Colonienſes, vnde magnæ conſecutæ ſunt turbæ inter eruditos quibus ſe Academiæ immiſcuerunt; tandem controuerſia Romam delata, orto Lutheri Schiſmate, & hæreſi, penitus euanuit, *Sleidanus, & alij. Morbus Coqueluca dictus inuaſit Galliam, ita dictus à cucullo Gallicè*, vn Coqueluchon, *quo ſe ægri inuoluebant*, Annales Boucheti, Belleforeſtius, &c. An in Scotia dictus *Stono* Gallato*, cuius meminit *Leſlæus.* Albuquercius Goam occupat, quam recuperauit Idalcan; ſed iterum eâ potiti Luſitani, multo labore, & ſanguine, Metropolim ſui in India principatus, immò Eccleſiæ conſtituerunt, *Barroſius, Oſorius, Maphæus, Mariana.*

* *Stoup Galland*

Anno Chriſti MDXI. Iulius II. oblitus perſonæ quam

sustinebat, bellatorem agit, sed ad Mirandolam tantùm non periit; quæ tandem se ei dedidit, ipse per labem muri est ingressus, *At Caluomontius iussus est à Ludouico ei fortiter resistere, quod & præstitisset, nisi Corregij mortuus esset, petitâ priùs à Pontifice veniâ per publicum instrumentum. Successit ei Triuultius Polemarchus, donec Gasto Fuxensis adueniret*, Guicciardinus, Belcarius, & alij. Mantuæ habitus est Conuentus de pace, sed hic in fumos abiit. Itaque Triuultius Concordiam recepit, Bononiam Bentiuoliis reddidit, vbi Statua Iulij ignominiosè deiecta, & raptata. Ex vrbe dum fugit Cardinalis Papiensis ab Vrbinate nepote Pontificio pugione confossus est, quòd ipsum apud Iulium accusasset, quod huic vehementer displicuit; quamquam aliqui id Pontificis iussu factum esse scripserint, *Paulus Iouius, Mariana, & alij* Indictum est exinde Pisis Concilium 1. Septembris, de emendanda Ecclesia in capite & membris, sed in capite potissimùm, in quo multa vitia carpebantur. Tanto malo vt prouideret Iulius, Synodum indixit Romam in 19. Aprilis, & diem Lunæ post Dominicam *in Albis* anni consequentis, editâ Constitutione 18. Iulij. Perrexêre tamen segreges isti Cardinales, quibus & fauit Decius illustris Iurisconsultus Mediolanensis Ludouico Regi acceptissimus, atque gratissimus, *Guicciardinus, Acta Concilij Pisani, &c.* Iulius Papa fœdus init cum Venetis, & Arragoniis quod *Sanctum* vocat *Guicciardinus*. Inchoatur Concilium Pisanum 30. Octobris, & prima Sessio 5. Nouembris celebrata sed post 3. Sessionem Patres Mediolanum fugiunt lite ortâ inter milites Synodi custodes, & Pisanos. Mediolanum ergo 7. Decembris ingressi sunt, omnibus execrabiles; 4. Sessionem indictam in 13. Decembris transtulerunt in 4. Ianuarij anni insequentis, ob incursus Heluetiorum, & Mediolanenses tumultus, *Acta Concilij Pisani.* Alburquercius Malacam occupat, *Barrosus.* Dissidium inter Turcas extitit, Baiazete ad munia Imperij iam impare, & in Achmetem propensiore quàm in Corchutem, & Selimum: hic patri per vim eripere voluit Imperium, eúmque Hadrianopoli Constantinopolim fugientem per suos Tartaros est aggressus; sed virtute Ianizzarorum præualuit pater, fugit Selinus, *Annales Turcici, Spanduginus, Zygomala.* Imperium Xerifo-

rum hoc anno exortum est in Africa, authore Zidamete, seu Ben-hamete qui genus se trahere à Pseudomahometo fingebat, simulánsque aggredi Lusitanos, Regna Fessæ, Marochi, & Tremiceni occupauit, & aliquot alias regiones, *Leo Afer, & alij.*

Anno Christi M D X I I. Iulius I I. Bononiam obsidet, & acriter vrget, maximè per cuniculos in quibus experientissimus erat Petrus Nauarrus; qui tamen ei malè cesserunt, muro in sublime elato, & in eundum locum vnde emissus erat relapso integro, quod miraculi loco duxêre Bononienses. *Sed cùm in vrbem irrupisset Fuxius Nemorosius annos natus viginti duos, cum luculentis copiis inter niues atque ventos, hostibus non aduertentibus, liberata est Bononia 19. obsidionis die*, Guicciardinus, Sigonius, & Francicæ Historiæ Scriptores. *Inde Fuxius perrexit Brixiam quæ se Venetis dediderat, atque in itinere Petrum Ballionem cum parte Veneti exercitus fudit, arcémque ingressus Brixianam, inde erumpens magno certamine vrbem recepit, ac militi diripiendam dedit ob rebellionem, quibus rebus gestis maximam sibi gloriam peperit per totam Europam*, iidem qui suprà Scriptores. Pontifex ad suas partes Henricum VIII. Angliæ Regem pertrahit, missâ ad eum naue vinis exquisitissimis plenâ, & illiusmodi cupediis ad Anglos excitandos aptissimis, *Guicciardinus. Ludouicus videns placari non posse Pontificem, verùm in dies aduersus Gallos efferari magis, ad vltima remedia confugit, & statuit Pontificem, adeóque Romam inuadere. Vtrùm autem tum monetam Auream cudi curauerit cum hac Epigraphe* PERDAM BABYLONEM, *non est omninò certum; certè Fuxio imperauit, vt Iulium acriter persequeretur, quod & acriter præstitit, Auunculi sui iussis parere paratissimus. Itaque Rauennam obsedit, ad quam ipso Paschatis die, pugna* Rauennas *dicta, commissa est vndecimo Aprilis; fugatus Pontificius exercitus, captus, triumphatúsque Legatus Papæ, victoria cessit Gallis; sed Cadmæa; nam cæsus Fuxius dum imprudenter agmen Hispanorum insequitur. Occupata deinceps Rauenna, in quam atrociter sæuitum à Germanis atque Vasconibus, morte sui Ducis efferatis. Fuxij corpus Mediolanum magnificè relatum. Cuius tamen auditâ morte, quos abiecerat resumpsit animos Iulius, & Concilium Lateranense vrsit inchoatum die Lunæ* 10. *Maij, quo habita est prima eius Sessio,*

Sessio, *secunda verò die* 17. Rubeus, Appendix Monstreleti, Paulus Iouius, omnésque Gallicæ Historiæ Scriptores. *Res itaque Gallica concidit in Italia, maximè Ducum discordiâ: liberatus à rusticis in Padi transitu Cardinalis Medicaus, dum duceretur in Galliam, Genua rebellauit electo Duce Iano Fregosio, reductus Mediolanum Maximilianus Sfortiæ Mauri filius, Galli de reditu potiùs in patriam, quàm de conseruando Mediolanensi Ducatu cogitarunt*, iidem qui suprà Scriptores. Cardinales Pisani Mediolano antequàm fugerent quinque Sessiones habuerunt, immò & Antipapam elegerunt Bernardinum Cardinalem Sanctæ Crucis, & Martinum vocarunt, mox Lugdunum confugerunt, vbi & nonnullas Sessiones habuerunt, *Ripamontius in Historia Ecclesiæ Mediolanensis, & Epistolæ Principum.* Monitorium aduersus Ludouicum Franciæ Regem conficitur, & promulgatur, *Acta Concilij Lateranensis.* Imperium Germanicum diuiditur in 10. Circulos, seu Regiones videlicet Franconicum, Bauaricum, Austriacum, Sueuicum, Rhenanum superiorem, Electorum Rheni, Wesphalicum, Saxonicum superiorem, Saxonicum inferiorem, & Burgundicum, *Chytraus Saxoniæ lib. 6. Ferdinandus Hispanus regnum Nauarræ occupat, cui iampridem inhiabat, & antequàm hoc regnum daretur à Pontifice primo occupanti. Facilè autem fuit hoc regnum obtinere Ferdinando, adiuto copiis Anglicis, & Ioanne trans Pyrenæum fugiente*, Guicciardinus, Mariana, Polydorus, Spondanus apud quem hæc quæstio accuratè excutitur, sicut & falsum ius Hispanorum in hoc regnum, & sæpè imperatam à Regibus Hispaniæ suis hæredibus huius regni restitutionem. Ferdinandus Anglos illusos remittit, quos Rex suus malè accepit. Nauarra vnitur Castellæ, in Comitiis habitis Burgis mense Iulio anno 1515. Ferdinandus Friderici filius olim Regis Neapolitani, agit cum Gallis; detectus inclusus est, sociis fractæ laqueo ceruices, *Mariana.* Tartari Præcopenses Russiam Rubram, & Podoliam infestantes, à Polonis, & Lithuanis deleti sunt 28. Aprilis, vix centum Christiani perierunt, *Rex gestæ Sigismundi.* In Suecia moritur Suanto, cui successit Steno Sturus eius filius, Errico Trolle excluso, qui à multis exposcebatur, *Ioannes Magnus.* Cùm detinentur in expeditione Malacensi Albur-

quercius, Hidalcam Goam obſidet, & in vltimas redigit anguſtias, quas leuauit cæſis duobus ſuis liberis Ioannes Machialus exul Luſitanus, & tum Hidalcani militans & Mahumetanus, factus ſanctè ttansfuga, atque Chriſtianus, *Barroſus, Oſorius, Maphæus.* Legatio Æthiopica miſſa eſt ad Emmanuelem, quam obiit Matthæus, ſeu Abraham Armenus, electus ab Helena Auia Pueri Dauidis receptus eſt Goam cum magno Sanctæ Crucis fragmento, & poſt in Luſitaniam deductus, *Barroſus, Oroſius, Maphæus, Mariana.* Detecta dicitur Florida in America à Ioanne Pontio Legionenſi: meliùs iam anteà luſtrata fuerat nomine Regis Angliæ Henrici VII. *Caluetus de Nouo Orbe.* Selimus hoc anno Baiazethem patrem veneno necauit, ſpoliatum Imperij dignitate, & ſe recipientem Didymothicum, vt hîc reliquam vitam tranſigeret, *Spanduginus, Leunclauius, & alij.*

Anno Chriſti MDXIII. Iulius parans ſpoliare dignitate & nominē Regis Chriſtianiſſimi Ludouicum XII. nec iam ex furore in eum ſui compos, moritur ex phreneſi 21. Februarij quinque diebus poſt 5. Seſſionem Concilij Lateranenſis annos natus 70. vbi ſediſſet turbulentiſſimè annis 9. menſibus 3. & diebus 21. factorum tamen ſuorum pœnitens, *Guicciardinus, Ferronus, Budæus, & alij.* Succeſſit ei Ioannes Medicæus Florentinus vndecimo Martij annos natus 37. dictúſque Leo X. cùm potiùs IX. eſſet appellandus, coronatus 19. eiuſdem menſis Martij eo ipſo die quo captus fuerat in prælio Rauennate, *Paulus Iouius, Guicciardinus. Ludouicus XII. recipit Genuam, Mediolanum, & alias vrbes quas amiſerat præter Comam & Nouariam; hanc dum obſidet ex eâ nocte erumpentes Heluetij 6. Iunij Gallicas copias fuderunt,* Belcarius, Iouius, Bembus. Leo præfuit 7. Seſſioni Concilij Lateranenſis die Veneris 17. Iunij, & modis omnibus extinguere Schiſma Iulij II. ferociâ concitatum, atque cum Imperatore, & Rege Galliæ agere cœpit. Quare & Ludouicus, huic fecit ſatis, & Cardinales ſegreges ad eum acceſsêre, *Acta Concilij Lateranenſis, Petrus Bembus, & alij.* 7. Octobris Galli ad Creatiam non longè à Vicentia Venetos ſuperant, eorúmque Ducem Bartholomæum Aluianum cædunt, qui ſibi certam pollicebatur victoriam, *Guicciar-*

dinus. Maximilianus & Henricus Anglus in Galliam irrumpunt, cum 8. millibus peditum & equitum: Teruanam post 2. mensium obsidionem capiunt deditione, cùm pugna, *seu veriùs fuga Calcarium* (des Esperons) malè cessisset ad Hudunum, captis Duce Longauillæo, Baiardo & aliquot aliis. Receptum quoque Tornacum: quibus gestis Angli suam Insulam repetierunt. *Neque minus periculum ab Heluetiis quorum 20. millia Diuionem obsederunt, quam fortissimè tutatus est Ludouicus Trimolius, & potentius B. Virgo, cuius imaginem* Bonæ Spei *dictam magno deinceps in honore Diuionenses habuêre*, Guicciardinus, Belcarius. Iacobus IV. Rex Scotiæ ingressus Angliam cum exercitu, vt Henricum ab expeditione Gallica auerteret commisso ad Tyllum fluuium, & radices Montis Flondonis certamine victus, & cæsus est cum aliquot Episcopis, atque Proceribus, de qua pugna variè Angli, Scotíque Scriptores loquuntur, & quidam ex iis negant hic interiisse, sed in peregrinatione Hierosolymitanâ, quam vouerat, obiit 9. Sept. annos natus 40. cùm annis 25. regnasset. Successit ei filius sesquianni Iacobus V. sub tutela matris Sororis Regis Angliæ, quæ à fratre pacem obtinuit. Turbata tamen Scotia vti solet, sub pupillis regibus, & cùm bis Regina denupsisset, *Polydorus, Leslæus, Buchananus. Ludouicus XII. Sessione VIII. Concilij Lateranensis profitetur per Fridericum Cardinalem Sanseuerinum, Claudium Sciffelum designatum Episcopum Massilienſem, & Ludouicum Forbinum Dominum de Soleriis Procuratores suos, se quidquid egisset aduersus Iulium II. fecisse, & electo Leone, se Pisano Conciliabulo renunciasse, Lateranensi adhæsisse, quod vnum, verum, & legitimum agnosceret*, Acta Synodi Lateranensis. Obiit hoc anno Ioannes Daniæ Rex vbi regnasset annis 32. vir fortitudine, prudentiâ, ac Pietate inclytus; cui successit filius Christiernus II. valdè dissimilis Patri, ideò à suis *Tyrannus* dictus ob crudelitatem, quem pater viuens Noruegiæ præfecerat, *Pontanus, & Danicæ Historiæ Scriptores.* Alphonsus Alburquercius post frustrà tentatum Adenum Vrbem Arabiæ Felicis munitissimam, vidit versus Abassinorum Imperium Crucem Rubram præfulgentem, quam festo clangore tubarum, & displosione tormentorum salutauit, *Barrosus, Maphæus.*

Anno Christi MDXIV. *Moritur Anna Britanna Regina Franciæ pientiſſima fœmina, ſuíſque Britonibus, Gallis, ipsique Ludouico chariſſima, & ab omnibus meritò defleta. Duxit autem Rex Mariam ſororem Henrici VIII. Angliæ Regis, nuptiis Abbauillæ celebratis*, Bembus, & omnes Francicæ Hiſtoriæ Scriptores. *Genuenſes compellunt ad deditionem Laternam ſuam fame, quam penitus diruunt*, Guicciardinus. Veneti ab Hiſpanis & Mediolanenſibus aliquas accepêre clades, nihil tamen de conſtantia ſua remiſerunt, *Guicciardinus.* Seſſione IX. Concilij recepti Legati Emmanuelis Regis Portugalliæ qui aliquot munera ex Indiis attulerant, inter reliqua elephantem qui Pontificem ter flexo genu, & demiſſo capite ſalutauit, & ad tibias ſcitè ſaltabat, *Barroſus, Mariana. Legati Gallorum Epiſcopi quinque cum aliquot doctoribus, ex Pedemontio ſignificant ſibi præcluſam eſſe viam à Mediolanenſibus, & Genuenſibus quo minus accederent ad Concilium, & poſtulant abſolui à cenſuris ſi quas incurriſſent; quod obtinuerunt*, Acta Concilij. Sigiſmundus Poloniæ Rex ad Boryſthenem fluuium, & Aras Alexandri Magni Moſchos ingenti prælio deuicit 8. Septembris, *Tomo 3. rerum Polonicarum.* Selimus contra Iſmaelem Perſarum Regem progreditur, & primò in Campis Calderanis, ad Vrbem *Coim*, quæ Artaxata creditur; eius Ducem Vſtraoglum cum 40. millibus equitum cataphractorum 26. Auguſti vicit, & occidit cum 20. millibus equitum, ope bellicorum tormentorum. Cadmea tamen victoria, cùm eo prælio Selimus ſuorum 50. millia perdiderit, cum multis Proceribus. Et cùm ſe putaret tutum ſuperueniens Iſmaël cum reliquo exercitu, & Selimi nepote Amutathe, victus Selimus ægrè ſe fugâ ſubduxit toto amiſſo exercitu, Amaſiam Cappadociæ vrbem, vbi ſubſtitit exercitum reparaturus, *Henricus Penia Epidaurenſis in Epiſtolâ ſuâ, Bezarius, Collectio rerum Turcicarum poſt Chalcondylem.* Matthæus Legatus Regis Æthiopiæ peruenit in Luſitaniam, magnificè ſuſceptus rogans vt Emmanuel Saracenos mari, dum Æthiopes terrâ aggrederentur, ſícque Chriſti Sepulchrum in libertatem aſſererent, *Oſorius lib. 9.*

Anno Christi MDXV. 10. *Ianuarij obiit Ludouicus XII. tribus menſibus nondum expletis à coniugio cum vxore Iuuene,*

& formosa, ex febre cum dysenteria, Parisiis, annos natus 54. cùm annis 17. regnasset, vtrisque inchoatis; dictus Populi Pater, *& quod atterere suos timeret nonnunquam pecuniæ indigens ad bella Italica, æquitatis tantæ, vt Philippus moriens ei tutelam filij sui Caroli V. commendaret, cuius institutionem commisit Guil. Croyio Ceurio nobili Flandro, viro eo munere dignissimo. Quamquam quidam putent hanc ei tutelam commissam ne ditiones Caroli inuaderet*, Bellaius, Prudentius Sandoualius Episcopus Pompilonensis, Sammarthanus, & alij. *Successit ei Franciscus Comes Engolismensis eius socer ductâ Claudiâ Ludouici filiâ, qui Regem demortuum omnium proximè contingebat, annos natus 20. cum quatuor mensibus, qui 25. eiusdem mensis Rhemis inunctus est: à Roberto Lenoncurtio; vir sceptro dignissimus, si prudentiæ satis habuisset, quæ ipsi plerumque defuit: hic statim ad Mediolanensem Ducatum recuperandum animum appulit, & ad hoc opus omnia necessaria parauit*, Guicciardinus & omnes Gallicæ Historiæ Scriptores. *Franciscus fœdere inito cum Henrico VIII. Angliæ Rege, Carolo Archiduce, & Venetis, licèt Ferdinandus Aragonius, Maximilianus Dux Mediolanensis, Heluetij, & ipse Pontifex obsisterent, versus Alpes copias ducit. Cantabros & Vascones ductabat Petrus Nauarrus, qui captus in pugna Rauennate, & neglectus redimi à Ferdinando, sed ab ipso Francisco, se Gallis penitus dediderat, eiuratis publico instrumento Hispanis. Primo agmini præerat Carolus Borbonius Stabuli Comes; Medium ipse Rex; extremum Carolus Dux Alençonius. Quare sibi metuens Fulgosus per Borbonium cum Rege pactus est optimis conditionibus, Regisque vexillum extulit, ipse dictus Genuæ à Francisco I. Vicarius*, Guicciardinus, & omnes Gallicæ Historiæ Scriptores, *Polliciti fuerant Heluetij seruaturos se angustias montium Cenisis, & Genebræ, per quas ad Segusium*, Suse, *descenditur in Italiam: Sed transitum alium inuenit Triuultius Polemarchus, inter Alpes Cotias & Maritimas, per quem itur Salussias, & per quem incredibili labore tormenta bellica, & copias transmisit ineunte Augusto, at primum interceptus est Prosper Columna Dux Pontificius ad Villam-Francam, per Palissium Mareschallum: exinde se multæ dediderunt vrbes, donec Heluetij cæco impetu ad 40. millia in Regem irruerunt ad Marinianum seu Meliniam* Magnam 13. *Sept. Statim explicata Gallica acies ducum peritiâ, initúmque cer-*

tamen quod ab hora quinta Pomeridiana, ad horam noctis vndecimam tenuit, in quo vtrimque per tenebras interierunt, reliquum noctis permixti Gallis Heluetij traduxerunt, Rex ipse tormento bellico applicitus quieuit. Primo diluculo redintegratum certamen, & horis totis quinque certatum atrociter, donec accessit Liuianus Venetarum copiarum præfectus cum aliquot turmis equitum. Fracti ergo Heluetij, (maximè virtute Claudij Guisij, qui hîc tantùm non cæsus est, & forti morte Armigeri sui Germani tantùm seruatus) & rati adesse omnes copias Venetas, receptui cecinêre, subductisque tormentis bellicis Mediolanum instructâ acie nemine insequente recessêre. Cecidêre Heluetiorum 14. millia, Gallorum tria, nobilis est relata victoria, recedentibus in patriam Heluetiis. Maximilianus se Arce inclusit, & post mensem se, eámque cum Arce Comensi dedidit, pactus cum Rege vt in Gallia cum pensione 35. aut 60. millium aureorum reciperetur, aut fieret Cardinalis. Sic Carolus triumphans Mediolanum est ingressus, adémque Victoriæ dictam extruxit in loco certaminis, quam Patribus Cælestinis assignauit, Guicciardinus, Belcarius, Anglerius, Paulus Iouius, & omnes Gallicæ Historiæ Scriptores. *Rex Franciscus, & Leo Pontifex Bononiam conueniunt, de suis rebus acturi ibique informatum Concordatum, sublatâ Pragmaticâ Sanctione, quod promulgatum fuit anno sequenti, & confirmatum in Concilio Lateranensi, datúmque Regibus Galliæ deinceps, quod recipere S. Ludouicus non tantùm recusarat, sed ad oblatum cohorruerat, vti saluti animæ suæ periculosum*, Omnes Historiæ Gallicæ Scriptores. *Rex ordinatis Rebus, relictóque Borbonio cum decem millibus præsidiariorum, Heluetiisque sibi addictis Galliam suam repetit, & Lugdunum 15. die Februarij anni sequentis aduenit*, iidem qui suprà Scriptores. Magnus Conuentus habitus est Viennæ ex Germanis, Polonis, Hungaris Proceribus, quo Selimus valdè territus est, sed hîc nihil reperit, nisi quod multùm est vini effusum; plúsque temporis compotationibus, quàm consultationibus datum. Victus est autem à Selimo Turcomanus, & capite mulctatus, victi à Sigismundo Tartari Præcopenses, repulsus Ioannes Scepusius Vaïuoda cùm parum considerate fines Tartarorum esset ingressus, *Dubrauius, Sambucus, Leunclauius.* Obiit 16. Sept. pientissimè ad Goam Indiæ Alphonsus Alburquercius, ætatis anno 63. Parans venire in Gal-

liam, vbi eum præficere copiis ſuis maritimis Franciſcus parabat, Rex Luſitanus exautorare miſſo illi ſucceſſore Lupo Suario, *Barroſus, Oſorius, Maphæus, Mariana.* Mortuus eſt & Magnus Capitaneus Gonſaluus Aquilaris de Corduba, 2. Decembris, malè habitus à ſuo Rege, cui tamen regnum Neapolitanum pepererat, *Guicciardinus, Petrus Anglerius.* Biblia complutenſia prodierunt 6. Voluminibus authoritate, & ſumptibus Franciſci Cardinalis Ximenij, tanti nominis, vt diu ad hanc editionem in difficultatibus ſcripturæ recurſum ſit, *Gomecius in Vita Ximenij.* Quando & prodiit Pſalterium Octaplum Auguſtini Iuſtiniani Genuenſis, Nebienſis in Corſica Epiſcopi Dominicani, cùm is pararet idem in totam ſcripturam, abſorptus naufragio dum ad ſuam Eccleſiam nauigat anno 1530. *Sixtus Senenſis, & alij.*

Anno Chriſti MDXVI. Ferdinandus Hiſpaniæ Rex moritur ex hydrope dum Hiſpalim petit in vico Madrigalegico in meritoria domo 23. Ianuarij, cùm vixiſſet annis 63. regnaſſet annos vno & quadraginta in Caſtilia ab obitu Henrici fratris Iſabellæ vxoris ſuæ. Succeſſit ei Carolus V. nepos tum agens in Belgio, *Mariana lib. 30. hic ſuam finiens Hiſtoriam; cui tamen addidit Appendicem ad annum* 1612. Obiit & Ioannes Rex Nauarræ Monenij in Beneharnia 17. Iunij, quem ſecuta eſt vxor Catharina poſt octo menſes in oppido Monmarſano. Succeſſit eis Henricus filius annorum quatuordecim adoleſcens. Deceſſit quoque Ladiſlaüs Hungariæ, & Bohæmiæ Rex 8. Martij, ætatis anno 64. cùm regnaſſet in Bohæmia annis 45. in Hungaria 24. & ſine dolore ſubditorum ob inertiam. Succeſſit Patri Ludouicus anno ætatis 10. iam in cunis coronatus, *Iodocus Decius, Dubrauius, &c. Maximilianus primo vere ingreſſus celeriter in Italiam, Gallos includit Mediolano: ſed deficiente pecuniâ turpiter recedere cogitur. Inter hæc Leo X. Franciſcum Ruuereum ſpoliat Ducatu Vrbinate, quem concedit Laurentio Medicæo nepoti ſuo; qui inſuper Anglos, Hiſpanos, Heluetios concitat aduerſus Franciſcum,* Guicciardinus, Belcarius. *Fœdus icitur inter Franciſcum & Carolum Reges, menſe Auguſto Nouioduni, etiam Maximiliano conſentiente, quoniam ſic Carolo expedire iudicabat, vt ſibi Caſtellam & Arragoniam aſſereret iam turbari cœptas. Hoc*

fœdere cautum vt intra sex menses Henrico redderetur, pensio pro regno Neapolitano annua Gallis penderetur, Verona redderetur Venetis; quod extremum statim factum, redditâ Veronâ Lautrecio Odeto, qui Borbonio successerat, Guicciardinus, Belcarius, Bellaius, Belleforestius. Selimus bellum suscipit aduersus Mammalucos, & Ægyptum & ad Singam fluuium non procul ab Alepo castra locat: occurrit ei Campson Gaurus Sultanus, delusus à Cheirbego Alepi præfecto, qui se defecturum à Selimo promiserat: sed is contra Campsonem, commisso certamine, arma conuertit. Mammaluci fugati, Campson fugiens senex & septuagenarius, & laborans herniâ, & grauis abdomine excussus equo obrutus est 26. Augusti. Mammaluci in suam Ægyptum regressi eligunt Tommibeium Sultanum, præfectum Alexandriæ, qui ægrè onus hoc admisit, cuius tamen vnus omnium dignissimus erat. Post hæc Gazâ potitus est Selimus per Sinam Eunuchum Bassam, virum fortissimum. Mammalucis iterùm deuictis adiit Hierosolymam quam Turci vocant *Cutzimubarec*, hoc est, *locum benedictum*, & Bethlehemum, & largas eleemosynas Sepulchri Dominici custodibus dedit, aliísque Christianis, *Leunclauius, Anglerius, & alij*. Hoc anno à Lusitanis paratus est in Sinas aditus per Thomam Petreium, qui primùm admissus, cùm aliqui Lusitani malè se gessissent, comprehensus Thomas à Magistratibus, & pro exploratore habitus, in carcere vitam miserabiliter finiit, *Osorius, Maphæus, Nicolaus Trigaltius*. XI. Sessione Concilij Lateranensis recepti Oratores Patriarchæ Maronitarum. *Item confirmatum Concordatum Bononiense inter Franciscum, & Leonem, abolita pragmatica sanctio facta Biturigibus* 1438. *sic deinceps omnes Episcopatus, & plerique Abbates ex Regis electione pependerunt, quibus tamen primò acriter Magistratus, Clerus, & Vniuersitates restiterunt*, Acta Concilij Lateranensis. Tum quoque promulgata Constitutio de Priuilegiis religiosorum, de qua grauiter questi sunt Præsules, *eadem Acta*, & Spondanus num. xv.

Anno Christi MDXVII. Sessione XII. quâ finis impositus Concilio Lateranensi die Lunæ 16. Martij. Præfuit Synodo Leo, cum 18. Cardinalibus, 3. Patriarchis, 86. Archiepiscopis, Episcopis, 4. Generalibus Ordinum, & aliis,
Acta

Acta Synodi. Alphonsus Pettuccius Cardinalis Senensis conuictus coniuraſſe in Leonis vitam ferrò & veneno, quòd ab eo duriùs haberetur, licèt ipſi, eiúſque patri obſtrictus eſſet, datus eſt in carcerem cum Bendinello Cardinale conſcio, & illi quidem in carcere fractæ ceruices 22. Iunij, huic vltimum ſupplicium in perpetuum carcerem commutatum, quem poſteà pecuniâ etiam redemit; nonnulli quoque Cardinales pecuniâ multati, quòd ab Alphonſo iactatas minas ad Pontificem non detuliſſent, *Victorellus additionibus ad Ciacconium.* Leo, 5. Iulij triginta & vnum Cardinales creauit, inter quos Alfonſus Infans Portugalliæ filius Emmanuelis, vix annum octauum ingreſſus, *Idem qui ſuprà.* Obiit hoc anno 8. Nouemb. annos natus 80. Franciſcus Cardinalis Ximenius, ex dolore quòd à Carolo V. domum ad quietem remiſſus eſſet, Belgis inuiſus, quibus nimiùm potens videbatur, *Gomecius in eius vita lib. 7. & Lanuzius lib. 2. in vita Caroli V.* Selimus præmittit in Ægyptum Sinanem Baſſam, & arenas traiicit, pluuiis frequentibus de cælo cadentibus, quæ Turcicis copiis aquas ſuffecerunt: congreſſus cum Tombeio ad Memphim ſeu Cayrum exeunte Ianuario victoriam retulit, cæſo tamen Sinane Baſsâ. Reparauit victus exercitum & prælium vltra Nilum; ſed iterum profligatus, latens inter paludes, & iuncos inuentus eſt, & Memphim reductus, diúque acerbè tortus vt theſauros Campſonis indicaret, randem vili iumento impoſitus per vrbem toto triduo ignominioſè circumductus, inſerto in collum laqueo, eodem ſtrangulatus eſt, & vnco ferreo ex celeberrimo Cayræ loco ſuſpenſus. Sic extincti Mammaluci cùm facti eſſent cælo, terríſque intolerabiles. Selimus ordinauit Ægyptum, perrexit Meccam, & victor rediens Principibus Europæis, immò & Perſis ingentem metum incuſſit, *Turcici Annales, Sanſouinus in vita Selimi, Iouius in Elogiis, Bizarrus, Angiolellus, & alij.* Martinus Lutherus Saxo patriâ Iſlebienſis, in ditione Comitum Mansfeldienſium ante dictus *Lotter*, id eſt, *latro & nebulo*, ſe *Lauter* dixit, factúſque Auguſtinianus, & Theologiæ Lector, acerrimi ingenij, occaſionem arripuit abuſuum in indulgentiis quas Dominicani prædicabant, non Auguſtiniani, vt in more poſitum erat. Primùm in in-

dulgentias inuectus est, deinde negauit dari posse, ac dum in Papam, & Ecclesiam insurrexit, Patres & Concilia irrisit, Sacramenta, liberum arbitrium, bona opera, & alia eiusdemmodi pessundedit, omnes hæreses renouauit, factus ipse primus omnium deinceps Hæreticorum, & eorum qui secundùm prauos animi sui motus viuere volunt; cui occasionem primùm dedêre Dominicani, tum Cleri corruptissimi mores, denique Præsulum & Episcoporum negligentia, *Cochlæus, Surius in Commentariis, Florimondus Raymondus, & alij.* Ioannes Sleidanus ex hoc tempore incipit suos commentarios de statu Religionis, & Reip. opus eximium, sed pestilens, & perniciosissimum. Ita dictus est à Sleida oppido agri Coloniensis, *Spondanus.* Obiit denique hoc anno Krantzius 7. Decembris Hamburgi Canonicus, & Decanus, scriptor accuratus, proscriptus tamen in Indice, ob notas hæreticorum ad marginem, donec istæ ab aliquo Catholico obliterentur, *Bellarminus de Scriptoribus Ecclesiasticis, & alij.*

Anno Christi M D X V I I I. Ecclipsis Solis notatur mense Iunio, ex qua Georgius Tanstetter prædixit post 7. menses obitum Maximiliani. Leo Principes Christianos in Selimum armare studet: denegantur & ab Hispanico Clero Decimæ: & satis intellectum, fecisse tantum hæc Leonem ne suo muneri defuisse videretur, *Guicciardinus, Bembus, & alij.* Scribunt in Lutherum Ioannes Ekius Germanus, & Syluester Prieras Dominicanus Italus, respondent Lutheri fautores inter cæteros Callostadius Witembergensis Archidiaconus, qui Lutherum Doctorem crearat. Lutherus ad Pontificem scripsit vt solent hæretici, verbo se submittens. Leo eum ad se vocat, sed eius profectioni intercessit Fridericus Dux Saxoniæ, & Academia Witembergensis. Quare cura demandata Caietano; qui eum Augustam Vindelicorum vocauit, sed huic illusit, & Augustâ fugit à Caietano ad Pontificem, à Pontifice ad Concilium futurum appellans, *Cochlæus, Surius.* Christiernus Rex Daniæ, affectans regnum Sueciam cum potentissimo exercitu Holmiam *Stocholm* obsidet. Sed fortiter ei Steno restitit, itaque ad rerum omnium inopiam redactus, adiutus est rebus necessariis ab hoste suo: finxit itaque Rex proditor velle se cum eo reconciliari,

eiúſque colloquium expetiit, à quo ſapienter deterritus eſt à ſuis. Cùm enim aliquos miſiſſet Legatos & inter cæteros Guſtauum Ericſonium, qui poſteà Rex Sueciæ fuit, omnes illos in ſuam Daniam abduxit: ſed Guſtauus mutatis veſtibus Lubecam fugit anno ſequenti, vnde in Succiam traiecit, *Ioannes Magnus, & Surius in Commentariis.*

Anno Chriſti MDXIX. Maximilianus Imperator 12. Ianuarij Lintzij moritur, ob pharmacum dubium ſumptum intempeſtiuè, accedente melopeponum eſu, ætatis vndeſexageſimo cum 10. menſibus, à patris obitu 25. cùm menſibus quinque, *Guicciardinus, Surius, & alij.* Prenſant Imperium Carolus V. & Franciſcus I. Sed vicit Carolus annos natus 20. ob patrem, & auum, & quòd Germanus eſſet, reclamante potiſſimùm Archiepiſcopo Treuirenſi, ſed adnitente Friderico Duci Saxoniæ, qui Imperium ſibi oblatum recuſauit, & pecuniam domeſticos ſuos recipere vetuit, *Guicciardinus, Belcarius, Res ſub Carolo V. & alij.* Obitus Maximiliani Luthero fecit animos, itaque exinde liberiùs in Sacerdotes, & Miniſtros Pontificios eſt inuectus. Miſſus in Germaniam Miltitius Leonis Cubicularius, Lutherum ad ſanam mentem reuocare conatus eſt, & faſſus Lutherus eum negotium componere potuiſſe, ſi id primus aggreſſus eſſet. Inuitatus tamen Confluentias, vt ageret cum Archiepiſcopo, venire recuſauit, quòd apud eum Caietanus ageret, prætexénſque cum Ekio diſputationem, quæ Lipſiæ facta eſt in Miſnia, inde Ekio, hinc Luthero, & Carloſtadio diſputantibus, coram Georgio Saxoniæ Duce, Friderici Patruele verè Catholico, iudicibus Theologis Pariſienſibus, & Erfordienſibus, quod vehementer diſplicuit. Victoriam Georgius adiudicauit Ekio, vnde in eum & iudices Lutherus eſt debacchatus, non iam religioſus, aut Chriſtianus, ſed ex inferis prodiens furia: damnatus eſt quoque ab omnibus Catholicis Academiis, Pariſienſi, Colonienſi, Louanienſi, in quas ſuum virus turpiter euomuit, & omnes quos ſibi cenſebat aduerſari; implorauit tamen Caroli V. patrocinium, eiúſque adoleſcentiam fallere parauit, ſe cum Athanaſio, hunc cum Conſtantino comparauit, *Cochlæus, Surius, Ekius.* Huc quoque pertinent initia Hulrici Zuinglij Heluetij, qui Ti-

guri ſuos diſſeminauit errores, Luthero ſuccenturiatus, & cuius Hæreſibus addidit Hæreſim Sacramentariorum, *Cochlæus, omnes qui de Hæreſibus ſcripsêre.* Hulricus Hutterus, Eques Germanus, vir feſtiui ingenij, egregiam dat operam Luthero opuſculo, quod inſcripſit *Triadem Romanam*, quo vſus eſt Lutherus, multa in Pontificem, Cardinales, & Romanam Curiam debacchatus, *iidem qui ſuprà Scriptores.*

Anno Chriſti M D X X. 16. Iunij Romæ doctrina Lutheri damnatur, & eius quadraginta capita. Lutherus inde furore amens à Leone Antichriſto ad Concilium prouocauit, tectus authoritate Friderici Saxonis, qui rogatus à Nunciis Apoſtolicis, vt tanto malo prouideret, eos audire recuſauit. Iraque audacior inde factus Lutherus, libellis, picturis ridiculis, & modis omnibus Pontificem traducit; eiúſque Bullam, cum omni Iure Canonico flammis abolendum curat per Scholares Wittembergenſes 10. Decembris, *Cochlæus, Florimundus, Prateolus, Sanderus, & alij.* Carolus V. libros Lutheri à Pontifice damnatos, in Belgio flammis aboleri iubet. Atque ex Hiſpania tranſmittit in Angliam magnificè ſuſceptus ab Henrico, priùs ſalutato Ardræ Franciſco; pepigit autem fœdus Carolus cum Anglo aduerſus Franciſcum maximè operâ Volſæi Cardinalis, qui turpi Principi furia fuit, *Beuterus, Ferronus, Polydorus.* Carolus ex Belgio tranſit Aquiſgranum, ibíque Coronam accepit 24. Octobris die Feſto S. Seuerini, nihil peſtem veritus, quæ in hac vrbe regnare dicebatur: reliquit fratri ſuo Ferdinando Auſtriaco quidquid Maximilianus auus poſſediſſet: quoniam nouerat excitatos in Hiſpania motus, ob crebram eius abſentiam ex rebus Germanicis, & quia Hiſpani permoleſtè ferebant Belgas auarè Hiſpaniam adminiſtrantes, *Iouius in vita Hadriani, Anglerius, & Gueuarra in Epiſtolis.* Chriſtiernus Daniæ Rex qui Elizabetham duxerat Sororem Caroli V. atque Ferdinandi Suecos inuadit, mortuo Stenone Principe ex vulnere in pugna glaciali accepto. Quare Holmiæ receptus coronatur menſe Nouembri, ſtatímque omnes Sueuici generis Principes, Epiſcopos, Senatores, & præcipuos ciues ſuſtulit, quorum cadauera triduo inſepulta relicta, cum cadauere Stenonis. Itaque electus eſt à reliquis Guſtauus Eric-

ſonus, conſanguineus Stenonis & ſenioris Stenonis nepos, vt Danicam Tyrannidem expelleret, quod & fortiter deinceps præſtitit, *Ioannes Magnus, Chytræus*. Hoc anno 21. Septembris mortuus eſt Selimus Turca ex peſtilenti carcinomate, quod contraxerat in Balneo circa renes, apud Tzurulum *Ciurli* dum pergit Hadrianopolim, cùm imperaſſet annis 8. menſibus 8. & totidem diebus, vixiſsétque annis 46. & obiit in eodem loco, quo patrem aggreſſus erat prælio, & veneno ſuſtulerat, *Leunclauius, Sanſouinus, Paulus Iouius*. Succeſſit patri Solimanus II. annos natus 30. tunc abſens Magneſiæ *Maniſſa* in Ionia, vocatúſque à Ferahate, qui occultam tenebat Selimi mortem, ne Ianizzari de more turbas cierent: huic fidem non adhibuit, niſi viſo coram omnibus Baſſis patris cadauere. Tum Syriæ præfectus Gazelles olim præfectus Sultani Ægyptij rebellare molitus eſt, conſilio cum Caierbeio Ægypti præfecto communicato, qui aliàs Syriam Selimo prodiderat, & tum quoque Gazellis voluntatem aperuit Solymano: is contra eum Ferhatem cum copiis miſit, qui eum aggreſſus eſt ad Damaſcum cum reliquiis Mammalucorum, qui ad eum confluxerant; fortiter hîc certatum, victus & cæſus Gazelles, cum Mammalucis Solimani in Aſia firmauit Imperium, *Iouius, Sanſouinus, Boſius, & alij*. Ferdinandus Magellanus ſeu Magallianus nobilis Luſitanus, & rei nauticæ Dux ſcientiſſimus ſub Alburquercio; non ſatis benè acceptus ab Emmanuele confugit ad Carolum V. ſub cuius auſpiciis & Magellanicum fretum detexit, & ad Molucas nauigauit, vnde Aromata retulit, Orbe circum nauigato eâ naue, quæ dicta eſt Victoria; vnde multæ turbæ inter Luſitanos, & Caſtellanos enatæ, & bella, quæ non niſi ægerrimè ſopita ſunt ſub Ioanne III. Emmanuelis ſucceſſore, *Oſorius, Maphæus, Mariana, & alij*. Franciſcus Corteſius qui iam ante biennium in Americam Septentrionalem, & Nouam Hiſpaniam tranſierat, hoc anno Mexicum Vrbem cepit, ſtagno impoſitam, & Venetiarum inſtar vndequaque nauigabilem, *Iouij elogium in Corteſio, & omnes Hiſtorici Nouæ Hiſpaniæ*.

Anno Chriſti MDXXI. Lutherus iterùm à Leone declaratur hæreticus, eiúſque fautores omnes, quicumque

essent, anathemate percelluntur, *Bulla Leonis X. Constitutione 41.* Rogat & Carolum V. Leo, vt aut Lutherum ad officium reuocet, aut mulctandum curet. Itaque eum Imperator datis securitatis litteris Vormatiam euocat, vbi Imperij Comitia celebrabantur. Hic Imperator conatus est eum ad sanam mentem reuocare; vbi obstinatum vidit, remissum Wittembergam proscribit edicto Vormatiæ edito 8. Maij. Subductus est ergo necei noceretur à Friderico Saxône, & in Castro Warbergo propè Alstadium accuratè seruatus, & lautè habitus, vbi 10. menses traduxit, quem locum suam Pathmon appellauit, vbi à Diabolo edoctus est multa aduersus Missam, *Cochlæus, & alij, & ipse Lutherus.* Theologi Parisienses 15. Aprilis in solemni Conuentu damnarunt Lutherum, quibus ridiculè & scurriliter respondit Philippus Melanchthon 24. circiter annorum, litteris humanioribus egregiè excultus: respondit quoque decreto Sorbonico Lutherus, sed fanaticè de more, atque furiosè, *Appendix Cochlæi, Polydorus, & alij.* Tum quoque scripsit in eundem Lutherum Henricus VIII. quare à Leone dictus est *Fidei defensor*, quod cognomen eius nomini deinceps adhibitum est; & legentibus hunc librum concessæ indulgentiæ. Huic autem libro sic respondit Lutherus, vt ostenderet se posuisse frontem, & verè se hæreticum esse qui Deum & spirantes eius imagines sperneret, *Erasmus & omnes qui aduersus Lutherum scripsêre. Mortuis Arturio Gouffierio Boesio, qui moderator Francisci Primi fuerat, & Guil. Croyo Ceurio, qui Caroli V. iuuentutem rexerat, ambobus certis duos istos Principes in pace continere, dissidia inter eos Principes sunt disseminata, quæ sparsisse creditus est Leo Papa, vt ipse medius potentiam foueret suam,* Guicciardinus: Bellaius *tamen causam reiicit in Carolum qui tractatui Nouiodunensi non fecisset satis de reddenda Nauarra. Et verò datus exercitus Asparro, Odeti Lautrechij minori fratri, vt Henricum Principem in suum regnum reduceret. Tum in oppugnatione Arcis Vrbis Pompelonensis vulneratus est globo tormenti bellici Ignatius de Loyola tum annorum viginti nobilis Cantaber, per quem est postea fundata* SOCIETAS IESV. *Galli autem potiti sunt toto Nauarræ regno, sed cùm irrumpunt in Castellam, populi qui æquo ferebant animo sua reddi Henrico regi, animos & arma coniunxerunt, fude-*

runt Asparrum, atque ceperunt, & eâdem facilitate Gallis Nauarra periit, quâ fuerat acquisita, Guicciardinus, Bellaius, Mariana, & alij. *Hinc Carolus V. incitatus, & inuitatus à multis Mediolanensibus, & Genuensibus exulibus, fœdus iniit cum Pontifice, & bellum grauius Francisco parauit in Italia, quo Gallis & Genua, & Mediolanum, & Ducatus omnis Mediolanensis intercidit. Causa tanti mali creditur fuisse Aloysia Francisci mater, quæ odio in Lautrechum Mediolani proregem flagrans, aliunde auarissima mulier, ad eum mittendas pecunias subduxit, & ad se transtulit; accessit & Ducum negligentia, more Gallico viuentium, & indormientium; denique colophonem imposuit Francisci pompa, atque luxuries, quam primus ad Reges Gallos dicitur attulisse; vt eius impudicos amores taceam, quibus implicitus Rex seriùs ocyùs aliquam cladem debet expectare*, Guicciardinus, Ripamontius, & Francicæ Historiæ Scriptores omnes. *Nè tamen Franciscus opprimeretur penitus prouidit Deus: cùm enim ex Belgio in Galliam Carolus V. irrupisset cum exercitu instructissimo, & Maserias obsedisset, eum fortiter adeò Baiardus retudit, vt adueniente in eius vrbu auxilium Francisco, nihil propius factum sit, quàm vt veniret in Francorum manus: & sine dubio captus esset, nisi Castilionæus Mareschallus imperitus militiæ, euectus ab Aloysia in odium Ludouici Borbonij, quem illa capitaliter oderat, Carolo ad turpem fugam strauisset viam. Angliæ Rex vtrumque Regem reconciliare conatus est, & fecisset nisi Boniuetus obstitisset: cùm enim hic Fontarabiam occupasset, & ex fœdere hæc vrbs reddenda esset, obstinatiùs eam retinere voluit, quæ tamen anno sequenti, vnà cùm Tornaco Francis periit.* Belcarius, Bellaius, & alij. 20. Decembris Leo X. obiit annos natus 46. cùm sedisset annis 8. & 20. diebus, in quo virtutes & vitia depugnarunt, hæc visa sunt præualere, *Guicciardinus, Onuphrius, & alij.* Mortuus item 13. Decembris Emmanuel Portugalliæ Rex cùm vixisset annos 52. cum dimidio, regnasset 26. cum duobus mensibus, cuius regnum dictum est à Lusitanis Aureum: Successit ei Ioannes III. annorum 20. *Osorius, Vasconsellus, & alij.* Solimanus II. Belgradum seu Albam Græcam olim Taurunum obsidet ad Saui, & Danubij confluentias, munitissimum ab hac parte locum Christianitatis, eámque vrbem expugnauit, cum Sabaria, & aliquot aliis Hungariæ vrbibus, vnde &

aliquas reliquias Sanctorum detulit, quas pecuniâ à Christianis redimi voluit, *Dubrauius, Spanduginus.*

Anno Christi M D X X I I. Ecclipsim Lunæ obseruauit Copernicus Fruemburgi in Prussia. Electus est successor Leoni X. 9. Ianuarij Hadrianus Belga Vltraiectinus, Doctor Louaniensis, quondam Caroli V. præceptor, qui tum administrabat Hispaniam, & electus ab iis qui minùs sperabant, & in cuius electione *Guicciardinus* Spiritus Sancti electionem agnoscit: quam tamen grauiter Romani tulerunt conuiciis Cardinales ineessentes. Pontifex pristinum nomen retinere voluit dictúsque Hadrianus VI. tunc annorum 65. Nuncium electionis suæ accepit Victoriæ in Cantabris, peruenítque Romam naui 30. Augusti, & sequenti die Dominico coronatus est, cùm pestis atrox Romæ desæuiret, quam sacrificio magico depulsam volunt quidam, & inter cæteros Iouius, quod est à Victorello & sapientibus reiectum. *Galli totâ Italiâ depelluntur, cùm Lautrechus cogentibus Heluetiis pugnam ad* Bicocam *vicum commisisset, in qua cæsa sunt Heluetiorum istorum tria millia, qui in fronte exercitus fortissimè pugnauêre; reliqui in patriam suam rediêre, fractis hâc clade animis. Lautrechus relicto in Italia fratre Lescuto, Galliam repetiit, vbi reprehensus à Rege, in ipsummet culpam refudit, qui nihil pecuniæ ad stipendia misisset; quam auerterat Aloysia, numeratam à Samblancæo Ærarij præfecto, qui posteà accusatus, post longum carcerem sexagenarius suspensus est, luens Principis sui deliria, quem certum est tum choreis, venationibus, amoribus contriuisse tempus, dum res eius in Italia dilaberentur. Et verò Lescutus* Cremonam *reddere compulsus est, & reliquas vrbes, prater arces Cremonensem, Mediolanensem, & Nouariensem, & nonnullas alias: tum quoque Genua à Cæsarianis occupata miserè direpta est.* Guicciardinus, Belcarius; Bellaius & Gallicæ Historiæ Scriptores. Lutherus auditis Vittembergensibus turbis secessum suum deserit, contra Friderici Electoris prohibitionem, cuius præsidio iam nihil indigebat; tum enim operâ Carlostadij & Melanchthonis clausa Academia Vittembergensis, Carlostadius factus agricola, Melanchthon molitor, omnes proscripti libri præter Biblia. Duxit & vxorem Carlostadius 19. Ianuarij, & impiis Sacerdotibus, ac Monachis præluxit ad

idem

idem facinus. Huius in nuptiis Missam ridiculam, & turpem scripsit Lutherus; qui exinde omnis petulantiæ, & turpitudinis libros scripsit, iam flabellum Dæmonis factus, ad inspirandam libidinem. Bullam etiam emisit suam atrocem, & diabolicam aduersus Episcopos, edidítque versionem Noui Testamenti operâ vsus Melanchtonis, quod plerisque in locis corrupit, *Prateolus, Cochlæus, Surius, & alij.* Solimanus obsidet Rhodum, cui tum præerat Philippus Villierius Liladamus, sperátq; eam capi posse, cùm muri eius corruissent, pauci in ea essent præsidiarij, & Principes Christiani inter se odiis flagrarent. Erant & in vrbe proditores duo, medicus Iudæus à Selimo missus, & in speciem baptizatus, & Cancellarius Ordinis Eques Lusitanus Prior Castellæ, Andreas Amaralus, qui omnia Turcis prodebant. Ducenta hominum millia appulêre ad Rhodum, quibus præerant Mustapha, & Curtosolus Archipirata. Petiit auxilia à Principibus Villierius, ab omnibus passus repulsam, omnésque tum Christianitati defuerunt, sed inter cæteros Veneti, qui Gabrielem Martinengum Brixianum nobilem, operum bellicorum artificem impediêre (frustrà tamen) quo minùs subiret Rhodum. Sic autem Insulam defendit Philippus, etiam aduersus Solimanum, qui in castra venerat, vt de vrbe capienda hic desperaret; cùm moniti sunt Turcæ à transfuga, & Amaralo Cancellario, vt tantisper subsisterent, vrbem mox in eorum potestate fore, propugnatoribus omnibus, aut cæsis aut vulneratis. Sub finem Octobris detecta Amarali proditio, qui multatus est publicè tortoris manu, Turcicè moriens; seruus quo vtebatur ad litteras arcu-balistâ mittendas, licèt origine Iudæus piè obiit atque Christianè. Tandem moniti sunt amicè Rhodij vt sese dederent, itaque deditio facta die Christi Natali, honestissimis conditionibus, Liladamus eximiè laudatus à Turca, & Pater appellatus; tandem conscensis nauibus cum suis in Cretam abiit. Perdidêre in hac obsidione Turcæ suorum 60. millia ferro, & bombardis, 50. millia morbis. Sic periit Equitibus Rhodus cùm eam annis 212. tenuissent: Coorum millia 4. Philippum secuti sunt, ne Turcis subessent. Quæsitus Zemis, seu Amurathes Zemis filius, fratris Baiazethis, & Christianum se es-

ſe profeſſus Martyrio coronatus eſt, duo eius filij cæſi, duæ filiæ abductæ, *Boſius, Belcarius, & Belli huius narrationes post Chalcondylem Clauſeri, Spanduginus, Sanſouinus, & alij.* Obiit & circa hoc tempus Iſmael Perſa in vrbe Sammagia ad Tauriſium ex bimeſtri profluuio in venatione contracto, ſucceſſit ei natorum Maximus Tammaſus annorum vndecim, *Bizarrus, Spanduginus, Iouius.*

Anno Chriſti MDXXIII. 1. die Ianuarij Philippus Villierius, in Cretam nauigat, varias tempeſtates expertus, in quibus & naues aliquot, & ſupellectilem perdidit. Honorificè habitus à præfectis Cretenſibus; inde Venetias appellit, queſtus grauiter de Rep. quæ ſibi, Chriſtóque defuiſſet. Inde Meſſanam miſerabili cultu eſt ingreſſus, vnde tranſiit Romam, vbi honorificè exceptus eſt à Pontifice, qui ei Viterbium conceſſit, donec ei de Inſula prouideretur; deſignata Melita, petita à Carolo & impetrata à Pontifice, certis conditionibus, *Appendix Boſij To. 3. lib. 1.* Pontifex Ariminum, Malateſtis cedentibus, eripit; reconciliatur Ferrariæ, & Vrbini Ducibus, totúſque eſt in Principibus, & Rebuſpublicis Carolo V. adiungendis, & abalienandis à Franciſco: Cardinalem quoque Soderinum incluſit in Arce S. Angeli, quòd ſcripſiſſet ad nepotem ſuum Iulianum Epiſcopum Santonenſem, vt Regem admoneret de inuadenda Sicilia; liberatus tamen à Cardinalibus poſt obitum Hadriani, & Clementi VII. quamquàm ei aduerſatus eſſet reconciliatus, *Guicciardinus, Bellaius, Nouemclator Cardinalium in Alexandro VI. Ludouicus Borbonius multis laceſſitus iniuriis coniurat in Regem ſuum, & Carolo V. & Angliæ Regibus adhæret. Eum ad ſanam mentem reuocare conatus Franciſcus, nihil profecit, ſed facilitate ſuâ ad hoſtem abire ſiuit, à quibus ſtatim intellexit ſibi verba dari, de nuptiis promiſſæ Eleonoræ: Itaque in Italia conſiſtere, & copiis Hiſpanicis præeſſe aduerſus Regem ſuum compulſus eſt,* Guicciardinus, Belcarius, Bellaius. *Statuerat Franciſcus ob id ſuperſedere ab inuaſione Ducatus Mediolanenſis, ſed cùm Boniuetus iam Alpes ſuperaſſet, Nouariam cepiſſet, & multæ ſe huic vrbes dedidiſſent, aſſenſus eſt eius conatibus Franciſcus. At ille imperitus rei bellicæ ad Ticinum conſedit ſegniter, occupaturus Mediolanum, ſi ſtatim ad eam vrbem perrexiſſet. Aliunde capta ab Hiſpanis Fontarabia, quam ob*

causam qui eam reddiderat exautoratus Fraugetus, frustrà tentata Baiona, Belcarius, Bellaius, Guicciardinus. Comitia Nuremburgensia iam labentem Germaniam in præceps abstulerunt; Grauamina enim Germaniæ proposita, querelæ in Pontificem sparsæ, petitum Concilium, quibus excitatus Lutherus, de more, hoc est, petulantissimè scripsit; cui tamen responderunt, *Ioannes Ekius, Ioannes Fischerus, & Thomas Morus, Iodocus Clictouæus, & alij.* Tum exorti Anabaptistæ, aliter Enthusiastæ, de quorum authoribus non liquet; vide hîc *Spondanum num.* 12. *& anno superiori numero* 8. *sicut & numero huius anni* 12. 14. 150. *vbi agitur de Fabro Stapulensi, Farello, & Russello*,&c. 16. Gustauus euectus est in Regem Sueciæ 6. Iunij, fitque Lutheranus, *Ioan. Magnus de Pontificibus Vpsallensibus.* Fridericus Dux Holsatiæ à Danis euocatus, Christiernum expellit; ille cum vxore, & thesauris fugit in Belgium, iam factus Lutheranus, *Chytræus in sua Saxonia.* Obiit Romæ Hadrianus Pontifex 14. Sept. cùm sedisset anno vno, 8. mensibus, & diebus sex, vixisset annis 64. mensibus 6. & diebus 13. Eius tumulo priori hæc verba inscripta, *Hadrianus VI. hîc situs est, qui nihil sibi infelicius in vita quàm quòd imperaret, duxit*: data custodia Conclauis seruanda Philippo Villierio, & eius equitibus, successit ei 19. Nouembris Iulius Mediceus, olim Eques Rhodius, sed à patruele suo Leone X. factus Archiep. Florentinus, & deinde Cardinalis. Volebat Iulij retinere nomen, sed suadentibus amicis nomen Clementis VII. accepit: coronatus 26. eiusdem mensis, *Iouius, Appendix ad Ciacconium, Onuphrius, Massonus, &c.* Inuentum est S. Thomæ Apostoli Corpus in ruderibus antiquæ vrbis Meliaporis, vnà cum lanceæ cuspide quâ fuerat confossus. Sed hæ reliquiæ posteà Goam translatæ, in Ecclesiam eius nomini sacram; ipsa Vrbs à Lusitanis cœpta reædificari, dictáque Vrbs S. Thomæ, *Maphæus, & alij.*

Anno Christi MDXXIV. *Boniuetus Archithalassus ad Eporediam leui certamine congressus, recedendo in Galliam, vulneratus, ne incideret in Borbonij manus, dat curam Baiardo reducendi exercitus; & cum Cabaneo Vendenesso Marescballi Palissæ fratre eum fortiter, & sapienter reduxit, donec cæso Cabaneo, ipse lethaliter vulneratus, & ex equo depositus est ad Quercum*

ore in hostem conuerso, in quem cùm incidisset Borbonius, & dignum eum commiseratione dixisset, immò verò, inquit, tu qui contra patriam geris arma, itaque casus Themistoclis, Coriolani, Cæsaris pertimesce, *quibus in verbis obiit*, Vita Baiardi, & omnes Gallicæ Historiæ Scriptores. *Conueniunt Anglus, & Cæsar aduersus Franciscum vt simul Galliam aggrederentur, & Borbonius Anglum Galliæ Regem agnosceret, quod nunquam hic præstare voluit, itaque præfectus est copiis, quæ in Prouinciam immissæ sunt, vbi Aquas Sextias occupauit, cum aliquot minoribus oppidis deditione; Massiliam deinde inuitus obsedit: volebat enim in Franciæ interiora penetrare, nondum parato ad resistendum Francisco. Itaque post 40. dierum obsidionem, raptim abire Cæsarei coacti sunt; quos insecutus est Rex Franciscus; ingressúsque Mediolanensem agrum Mediolano est potitus, præter arcem, & circa hanc vrbem hæsit, vt eam ordinaret suadente Boniueto, cui, quàm par est, obnoxior erat, propter matrem, quòd si esset hostem insecutus, vicerat. Inde Ticinum venit, & ex consilio eiusdem Boniueti obsedit 28. Octobris, quo se inclusêre Sfortia, & Anton. Leua Hispanus cum luculento præsidio; videns itaque vi capi non posse vrbem eam cinxit*, Guicciardinus, Belcarius, & alij. Comitia Nuremburgensia celebrata sunt, & in iis decreta, neque Pontifici, neque Luthero placuerunt, qui etiam in ipsum Cæsarem exarsit: Itaque Conuentus est habitus Catholicorum Ratisponæ, vt Lutheranorum Spiræ, nullo profectu, vel paruo, & tantùm Catholicorum, *Cochlæus, Floremundus Remondus, Surius, Pontanus.* Tum inter se commissi sunt Lutherus, & Erasmus, cùm anteà inter se concordes ex parte haberentur, & vulgò diceretur, *aut Erasmus Lutherizat, aut Lutherus Erasmizat*. Fuit autem Erasmus origine Batauus, de cuius genere, & patria dubitatur; dictus *Gerardus Gerardi*, sed cùm hæc nomina *Desiderium* Belgicè significent, nomen Græcum Latino adhibuit. Professus Ordinem Canonicorum Regularium S. Augustini in Monasterio *Stein* prope Goudam, & nouennio pòst Sacris initiatus, pertæsus Religionis, percurrit omnes Academias Europæ cum magna eruditionis existimatione. Naturâ tamen liberior fuit, & Monachorum inimicus, à quibus multa accepit, multa reposuit conuicia. Nunquam tamen deseruit Ecclesiam, amicus Cardinalium atque Pontificum

propter omnimodam eruditionem. Hic ergo Erasmus incitatus ab Henrico VIII. Rege Angliæ, & Wolsæo Cardinali Lutheri librum *de libero Arbitrio* confutandum suscepit, cui operi non nisi post aliquod tempus, & à multis adiutus Lurherus respondit, *Vita Erasmi, Prateolus, Cochlæus, & alij.* Carlostadius scribit, pro Sacramentariis, & adstipulatores habuit Zuinglium, Oecolampadium, & alias illiusmodi pestes, *Prateolus, Cochlæus.* Lutherus 9. Octob. religiosam vestem abiecit, quam hactenus seruauerat, & cum veste modestiam, si quæ in ipso inerat, deposuit, *Prateolus, & alij.* Religio Clericorum Theatinorum, hoc anno sumpsit exordium Romæ 24. Sept. authoribus Ioanne Petro Caraffa Episcopo Theatino, *de Chieti* (qui posteà Pontifex Paulus IV. fuit) atque B. Marcello Caietano Tienneo nobili Vicentino, & duobus aliis sociis; quidam tamen 24. Iunij assignant, ij potissimùm instituti sunt ad Clerum pristino splendori atque pietati restituendum, *Constitutio Clementis VII.* In Vrbe Mexico in Noua Hispania celebrata Synodus à Martino quodam Valentino Religioso, Vicario Pontificis, cum 12. Monachis suis, qui mulros ad fidem conuerterant, in qua statutum, vt qui fidem Christianam acciperent, vnâ contenti vxore viuerent, & ex suis vnam seligerent nuptiis legitimis coniungendam, *Surius in Commentariis.*

Anno Christi M D X X V. Iubilæum celebratur Romæ, sed rato concursu, quòd Italia, & Gallia bellis arderent, & ab Hæreticis passim, & Catholicis quibusdam inter eos degentibus irriderentur Indulgentiæ, *Lilius Gregorius Gyraldus. Franciscus I. iam 4. mensem Ticinum seu Papiam obsidens, monitus ne expectaret Ferdinandum Daualum Marchionem Piscarium, Lanoyum Proregem Neapolitanum, & Ludouicum Borbonium mouentes in Gallicum exercitum longâ hyeme, & diuturnâ obsidione languentem, & prætereà numero paruum (quod Rex improuidus ignorabat) sed recederet in tutiora loca, donec ardor Hispanorum deferuesceret, & conficerentur subtractis stipendiis, quæ eis nullomodo, aut malignè sufficiebantur, acquiescere maluit imprudentiùs consilus Bonineti, & eos expectare. Quare 24. Februarij Festo die S. Matthiæ pugna conseritur ad Mirabellum, Hispanis sapienter pugnantibus, & ex arte; Gallis contrà præcipitanter, & sine consilio, Antonio Leuâ incluso, aliunde à ter-*

go hos adoriente : victi Galli, Rex ferocissimè pugnans sese dedere coactus est Lanoio Proregi Neapolitano. Cæsi Boniuetus, in confertissimam irruens aciem ne in Borbonij deueniret manus, itémque Palissius, & Lescutus Mareschalli, cum Trimolio, & aliis: capti cum Rege Henricus Rex Nauarræ, Comes S. Pauli, Monmorantius & alij, 8. millia Gallorum cecidêre. Sic periit Mediolanensis Ducatus omnis, abductus in Hispaniam Franciscus, deductus est Madritum, de cuius libertate prudens consilium dedit Carolo eius Confessorius Vxamensis Episcopus, quod tamen euertit Franciscus Toletanus Dux Albæ, magno damno Christianitatis. Franciscus honestas obtulit conditiones, quæ à Carolô repudiatæ tunc, factæ etiam sunt progressu temporis mitiores. In Gallia Aloysia Regem Henricum VIII. in suas partes pertraxit, adnitente Cardinali Volsæo: Borbonius transiit in Hispaniam, vbi ab Hispanis vt proditor visus. Piscarius & Sfortia inter se coniurant, de cædendis Hispanorum reliquiis, & Regno Neapolitano Piscario asserendo: sed hic Hispanis Sfortiam prodidit, quare Sfortia exutus principatu. Intereà ægrotauit ex animi mœrore Franciscus, cuius tantùm mortem metuens Carolus eum inuisit, & blandè allocutus est. Hoc colloquio, atque insuper accessione Margaritæ Sororis Viduæ Ducis Alençonij, leuatus morbus; missique Legati ex Gallia accesserunt, quibus tam duras proposuit conditiones Carolus, vt Franciscus viuere totâ vitâ mallet in carcere, quàm iis acquiescere, Guicciardinus, Belcarius, Bellaius, Capella, Ferronus & omnes Galliæ Historici. Hæretici tum accendunt rusticos aduersus nobiles, & Ecclesiasticos, qui ferro & facibus omnia vastant in Thuringia, Sueuia, Franconia, Alsatia, Lotharingia & aliis locis, sed insurgentibus in eos Principibus, atque Catholicis supra centum & quinquaginta eorum millia perierunt, plurimi in Alsatia, & Lotharingia Claudij Guisij virtute, *Cochlæus, Erasmus, & huius rebellionis Historia Tom. 3. Rerum Germanicarum Freheri.* Tigurini Missam abolent in vrbe sua die Cœnæ Domini authore Zuinglio 13. Aprilis, *Surius in Commentariis, & Florimundus Remondus.* Oecolampadius Apostata Religiosus Sanctæ Birgittæ Basileenses hæresi suâ infecit, & ipse quoque Zuinglianus, aduersus quos Lutherus insurrexit, *Iidem Surius & Remundus.* Tandem hoc anno Lutherus, mortuo Friderico, qui hactenus eum conti-

nuerat, duxit vxorem 27. Iunij ætatis suæ anno 42. Catharinam Boram Religiosam, quæ ante biennium ex Nimicensi Monasterio aufugerat, *Henricus VIII. Epistolâ ad Lutherum, Emserus, & alij.* Albertus Brandeburgensis Magister Ordinis Teutonicorum Crucigerorum in Prussia annos natus 34. Lutheri sectam amplexus, anno sequenti duxit vxorem Dorotheam filiam Regis Daniæ; cui Rex Poloniæ Sigismundus terras omnes Prussiæ Orientalis seu Ducalis dedit, sub iure clientelari Regis Poloniæ. Initium habuit hoc anno Ordo Capuccinorum authore Matthæo Bassio Vmbro, Sacerdote Minoritâ, visione quadam excitato, inopis cuiusdam, & crebris apparitionibus cuiusdam viri in ea specie quâ nunc Capuccini apparent, quadratum sibi Capuccium fecit (hoc est cucullum ex panno quadrato) & laneam sibi vestem, duriorem atque crassiorem cum crasso fune: cui se comitem addidit anno sequenti Ludouicus Forosemproniensis Obseruantiæ Sacerdos, pergénsque Romam facultatem obtinuit viuendi in hoc habitu; multáque ambo perpessi ab aliis Minoritis: sed ambo defecêre, Ludouicus odio in Sodalitium, Matthæus studio liberioris prædicationis. Confirmatus autem Ordo 1528. à Clemente VII. stabilitus à Paulo III. 1536. Ridiculi autem sunt, qui primis ipsis conditoribus Bernardinum Ochinum accensent, qui tantùm Ordinem ingressus 1533. cùm iam vltra 300. fratres numerarentur, *Marcus Olysipponensis, Syluester Maurolycus, Zacharius, Bouerius.* Franciscus Pizarrus Hispanus hoc anno in America Meridiolani Peruuiam regionem detexit, cuius Metropolis Cusco, *Yncarum* seu Principum sedes: octauo autem pôst anno, capto cæsóque contra fidem datam Atabalipâ huius regionis Imperatore, potitus est auri tam feraci regione, vt omnis supellex esset aurea, vel argentea; cum 300. militibus centum millia Peruanorum deleuit. Inde orta inter hunc & Didacum Almagrum socium expeditionis, dissentio; Ferdinandus Pizarri frater Almagrum interemit, Didacus Almagri filius Pizarrum, Didacum Pizarri frater Gonsaluus. Sed pacauit eos motus Petrus Gasca Iurisconsultus, vir sapientissimus, & integerrimus. Quanquam autem non negem multa atrociter, multásque cædes in hoc Orbe nouo Hispanos fecisse,

meritò tamen ſuſpecta eſt Bartholomæi Caſæ Dominicani, & Epiſcopi Ciapæ, fides, eo libro qui omnium manibus teritur, *Mariana, Xereſius Pizarri Secretarius in Collectione Ramuſij, Hiſtoria Yncarum, & alij.*

Anno Chriſti MDXXVI. *Madriti die Dominicâ 14. Ianuarij obſignatur tractatus Pacis inter Franciſcum I. & Carolum V. his præcipuis conditionibus, vt Ducatus Burgundiæ cum appendicibus ſuis Cæſari cederet, & ab eo ſupremo iure poſſideretur; iura quoque in regnum Neapolitanum, Ducatum Mediolanenſem, Genuam, Aſtam. Flandria & Arteſia ſupremi Iuris Gallici eſſe deſinerent; duceret Franciſcus Eleonoram Caroli Sororem, relictam Emmanuelis; daret filios ſuos obſides duos donec pacta impleta eſſent; Borbonium in omnia ſua bona, & dignitates reſtitueret. Imperator autem remittit eundem Ludouicum Borbonium in Italiam fruſtratum nuptiis Eleonoræ, ſed cum inani ſpe Ducatus Mediolanenſis. Franciſcus Franciam ingreditur 18. Martij, datis ſuis obſidibus, Pariſios venit, vbi obſtinatos reperit ſubditos ſuos de non cedenda Burgundia, quare eius loco vicena centena aureorum millia offert, & fœdus init 17. Maij cum Pontifice, Sfortia, Venetis, & Rege Angliæ aduerſus Cæſarem, de quo grauiter, & meritò conqueritur, Cæſarque de eo viciſſim,* Guicciardinus, Belleforeſtius, Bouchetus, Epiſtolæ Principum, & alij. Columnij conſpirant aduerſus Pontificem, & Pompeius Columna Cardinalis nocte ante 20. Sept. cum octingentis equitibus Romam ingreſſus, Pontificem tantùm non capit, in Arcem S. Angeli fugere coactum, eius Palatium fœdè diripit, cum Eccleſia S. Petri, quare diris deuouetur, & dignitate ſpoliatur à Pontifice, *Guicciardinus, Epiſtolæ Principum.* Solimanus offert pacem Hungariæ Regi Ludouico, quam probabat eius patruus Sigiſmundus, improbabant Clemens, & Veneti, ne in Italiam Turcicus impetus detonaret; & horum conſiliis Rex Iuuenis acquieſcit. Turcus itaque in Hungariam ingreditur cum 200. hominum millibus & 28. Auguſti Hungaros magnâ clade delet, in hac pugna periit Ludouicus in palude demerſus, annorum 20. cum duobus menſibus, cùm annis decem, & 5. menſibus regnaſſet; cæſus quoque Paulus Colocenſis Archiepiſcopus huius belli Dux, Arch. Strigonienſis, 5. alij Epiſcopi, multi Barones, & nobiles. Inde tota vaſtatur Hungaria, capti aut

aut cæsi 200. hominum millia. Ioannes Zapolus Vayuoda Transyluaniæ, & Comes Scepusiensis, coronatur à quibusdam Episcopis x1. Nouembris. Sed huic restitit pars sanior Baronum cum Stephano Batorio Regni Palatino, & Maria Regina vidua Ferdinandi sorore: eligitur Bohæmiæ & Hungariæ Rex idem Ferdinandus, ad quem hæreditas hæc spectare videbatur, quia duxerat vxorem Annam Ludouici sororem, & coronatus est 4. Febr. anni sequentis Rex Bohæmiæ, Hungariæ exeunte Octobri, aut ineunte Nouembri: Ioannes Zapolus se recepit ad Sigismundum Polonum, qui sororem eius duxerat, *Dubrauius, Isthuanffius; Neugebauerus, & alij.* Quominùs Hungariæ aduersus Turcos succurreretur plurimùm obstitit Lutherus: nam eius sectæ addicti Principes, postulant fieri in suis Ecclesiis Catholicorum rebus admodum contraria, Catholici denegabant, vnde nata dissidia, *Vlembergius in vita Lutheri.* Mense Iunio facta est celebris ista disputatio inter Sacramentarios & Catholicos in oppido Badem Ergouiæ, in Heluetiis, quæ retinuit in fide Catholica Pagos 12. Soli Tigurini Zuingliani permansêre, *Cochlæus, Surius in Commentariis.*

Anno Christi MDXXVII. Ludouicus Borbonius ire liber permissus à Duce Vrbinate exercitus Veneti, & fœderatorum ductore, iisdem Venetis, Regibus Galliæ, & Angliæ atque Pontifice stipendia parcè suppeditantibus, Romam pergit, deluso Pontifice, ab eo sibi ob tractatum cum Lanoio nihil metuente. 5. ergo Maij cum exercitu 40. millium ex Germanis, Hispanis, Italis in prædam inhiantibus, Vrbem aggreditur, & pugnam primus inchoat, scalam manu tenens, globóque traiectus vel à propugnatoribus, vel à suis, interiit, nullis relictis liberis. Milites Ducis morte accensi Vrbem subeunt, fugit Pontifex in Arcem S. Angeli, Vrbs funestissimè diripitur, adeò vt à Turcis non à Christianis capta videretur; Bibliotheca Vaticana dispersa, libri lacerati, Sacellum Pontificis in stabulum commutatum, Litteræ Papales, & Bullæ equis substratæ; quæ omnia facta sunt duce Philiberto Arausicano Principe, quem sibi, reiecto Lanoio exercitus præfecerat. Obsessus Pontifex se dedidit duris admodum conditionibus 6. Iunij, quarum vna fuit, vt seruaretur, donec quadringenta aureorum millia

persoluisset, Arces præcipuas status Ecclesiastici dedisset: itaque sex mensibus detentus est, dum Carolus in Hispania pro eius libertate mimicas supplicationes habendas curaret, *Guicciardinus, Iouius, Cochlæus, & alij.* Florentini audito Clementis casu, Mediceos expellunt Vrbe, & se in pristinam libertatem asserunt, confractis Leonis, & Clementis statuis, *Guicciardinus.* Tum contigit diuisio Lutheranorum in Semilutheranos, seu Molles, qui posteà dicti Confessionistæ, authore Philippo Melanchthone; & rigidorum Lutheranorum seu Illyricanorum, à Matthia Flacco Illyrico discipulo Melanchthonis, *Prateolus, Gualterius, Florimondus Raymondus, & alij.* Odettus Lautrechius cum copiis Gallicis, & Anglicis Italiam ingreditur, vt Clementem liberet, & capit Alexandriam, Ticinum, Placentiam, Parmam, Bononiam, & aliquot Vrbes. Quare Hispani prout rescripserat Carolus V. Clementem, sed durissimis conditionibus liberant, quæ etiam à Solimano Turca auditæ displicuerunt. Et verò cùm promissam pecuniam repræsentare non posset Clemens, sex Cardinalatus addixit precio; emissúsque 9. Decembris, sibi timens à Moncata, mutato habitu fugit Montem Faliscum, inde Vrbem Veterem, vnde Lautrechio per litteras gratias egit; interim Vrbs iam direpta, iterùm direpta fuit, nihil omissum à militibus exlegibus, quod à Barbaris posset expectari, *Guicciardinus, Paulus Iouius, Grolierius de direptione Vrbis, Cochlæus, Surius. Conuentus habitus Parisiis 16. Decembr. ex omnibus regni statibus, de promissis à Francisco I. factis Carolo V. qui & obtulit redire in carcerem; sed huic responsum 20. eiusdem mensis, non teneri pactis; oblati tamen duo milliones auri ad redimendos Regios filios; inuitatus Rex ad pacem commodam regno cum Carolo, & liberandum Pontificem; quod si non posset ad bellum Carolo inferendum, se, bona, atque vitam obtulerunt,* Acta huius Conuentus apud Belleforestium.

Anno Christi MDXXVIII. *Franciscus I. denunciat Carolo bellum per Fecialem; hic Legatos Francos detineri curat, quod Franciscus quoque præstitit, incluso Granuellano; qui tamen omnes mox dimissi sunt: & quoniam dixerat Carolus, se libenter dirempturum controuersias singulari certamine, vt Christiano sanguini parceretur, huic locum certaminis obtulit Franciscus, quod*

& Angliæ Rex quoque præstitit, Bellaius, Bouchetus, Guicciardinus, Belcarius, & alij. *Lautrechius inuadit regnum Neapolitanum, & totum occupat, præter Neapolim, & Caietam, quas vrbes sibi seruandas Hispani retinuerunt, refugientes certamen, quod ipsis à Lautrechio pecuniarum indigo offerebatur. Tandem hic Neapolim obsidet vltimo Aprilis die. In ea obsidione Philippinus Auria Genuensis Dux classis Gallicæ experientissimus, nepos Andreæ, nobilem victoriam naualem retulit; in hoc prælio cecidit Moncada prorex, captus Vastius, aliíque proceres, quos omnes Nepos ad patruum misit: résque eo deducta erat vt breuì secutura esset Vrbis deditio: sed spes conciderunt negligentiâ Francisci promissas pecunias Lautrechio mittere negligentis, & turpi ad Cæsarem Andreæ defectione, quem Franciscus hoc tempore improuidè à se abalienarat. Accessit & pestis in Gallica castra per infectos peste immissos ab Hispanis, quâ plerique Galli Duces interierunt, ipséque Lautrechius 15. Augusti. Quare Salutianus Marchio, & Petrus Nauarrus semienecti recedentes, capti sunt ab erumpentibus, & Neapoli interierunt. Statim Aurangius pari facilitate Vrbes huius regni recepit, quâ Galli. Præterea agente Andreâ Auriâ Genua libertatem recepit, simúlque nouam regiminis formam; exscisâ penitus Laternâ quæ vrbem in officio continebat. Mediolanenses fœdè vexati, atque spoliati ab Antonio de Leua, Hispani vbique in Italia praualuêre*, Guicciardinus, Bellaius, Litteræ Principum, & alij. Henricus Angliæ Rex suadente Volsæo Archiepiscopo, & Cardinale Eboracensi, postulat à Pontifice dissolutionem matrimonij initi iam ab annis duodeuiginti, turpibus Annæ Bolenæ amoribus irretitus: prætexens se duxisse Catharinam relictam Arturi fratris, permittente Pontifice Iulio, quod erat contra diuinam Legem, vt aiebat. Erat autem Volsæus iratus Carolo V. Quod ei Archiepiscopatum Toletanum denegasset, nec eius ambitioni ad Papatum fauisset; itaque volebat dare Principi suo vxorem Margaretam Alenconiam, Francisci I. sororem, cui addictissimus erat; verùm Rex ad Annam Bolenam spectabat, de qua multa sparsa sunt, quæ non sunt similia vero, vt nobile scortum in Gallia & Anglia fuisse, fuisse Henrici filiam, & alia eiusmodi, quæ parum probabilitatis habent, *Guicciardinus, Sanderus, Spondanus, Florimundus Remondus.* Bernenses Heluetij, post cele-

brem disputationem, authoribus Zuinglio, & Oecolampadio, & aliis eiusdem furfuris hominibus, exterminant ceremonias Ecclesiæ: obsistentibus octo Catholicis Pagis, Lucernatibus, Vriis, Suitiis, Vnderualdiis, Tugianis, Glareanis, Friburgensibus. Contra Zuinglium, & Oecolampadium scripsit Lutherus, cui ipsi cum suis congerronibus atrociter responderunt, omnes hæretico more sese prosciderunt, *Cochlæus, Vlembergius, Sleidanus.* In hoc tractatu *de Cœna Christi* Lutherus *in Ecclesia Catholica quæ Pontificem caput agnoscit, fatetur esse veram Scripturam, verum Baptisma, verum Altaris Sacramentum, veras claues ad soluenda peccata, verum concionandi modum, veram Ecclesiam, in qua plerique sancti Viri pietate atque Iustitiâ præstantes*, coactus etiam inuitus ea laudare, quæ in omnium oculos incurrebant, *Cochlæus, Spondanus, &c.* Antonius Pratensis Cardinalis Archiepiscopus Senonensis, Concilium Parisiense celebrauit à 3. Februarij, ad 9. Octobris ex suis Episcopis, aduersus Lutherum & nouas nascentes hæreses, ex antiquis hæresibus interpolatas, *In Tomis Conciliorum.*

Anno Christi M D X X IX. Exeunte Iunio positis armis in Italia post Gallorum ibidem acceptas clades, pax inita est inter Carolum V. & Clementem V I I. huic tam commoda, quàm vtrique necessaria, *Guicciardinus, & alij. Nec ita multo post mense Iulio conuenêre Cameracum Margarita Caroli Amita Belgij Procuratrix, & Aloysia Francisci Mater coram Legatis Papæ, Venetorum & Regis Angliæ, vbi post multas altercationes pax inita, promulgata 5. Augusti his conditionibus, vt filij Francisci dimitterentur, pro his vicies centena millia aureorum aut Carolo, aut Henrico Anglo numerarentur; aboleretur proscriptio Ludouici Borbonij, & bona eius successoribus restituerentur, Burgundiæ Ducatus Francisco I. relinqueretur, sed hic supremo Artesiæ, & Flandriæ dominio cederet, & alia quædam Francis grauissima*, Acta huius pacis apud Belleforestium, Guicciardinus, & alij. Carolus V. Barcinone in Italiam nauigat, & Genuam appellit 12. Augusti, & 5. Nouembris Pontificem conuenit Bononiam; hîc Principatum Sfortiæ reddidit leuibus tantùm conditionibus, & cum Venetis, aliísque Principibus Italis, pecuniâ, qua multùm indigebat, conuenit, exceptis Florentinis, quos suis & Clementis co-

piis obſedit, *Guicciardinus, Paulus Iouius, Galeatius Capella.* Henricus VIII. videns nihil ſe proficere in diuortium ſui matrimonij, & Catharinam appellaſſe ad Pontificem, iram omnem ſuam in Volſæum effudit, quaſi per illum ſtetiſſet quominùs negotium conficeretur; & primùm eum exuit Cancellarij dignitate (quam Thomæ Moro conceſſit) & remittit ad Eccleſiam ſuam Eboracenſem, oppreſſum maleuolorum calumniis, ſed longè magis veris criminibus ſuis, *Guicciardinus, Sanderus, Sleidanus, Goduinus de Præſulibus Eboracenſibus. In Gallia Ludouicus Berquinus Atrebas dum hæreſim ſpargit Pariſiis exuſtus eſt 22. Aprilis, non autem vndecimo Nouembris, vt ait Beza, vt fruges frigore peruſtæ in Gallia cum eius ſupplicio conuenirent, quaſi numine eius ſupplicium iniuum caſtigante, eâ fame quæ ſecuta eſt. Is autem par fuiſſet in Gallia, Luthero in Germania, ſi in Franciſcum ſimilem Duci Saxoniæ incidiſſet*, Eraſmus, Beza, & alij. Eraſmus Baſileam deſerit infectam hæreſi, ſecedítque Friburgum Briſgoiæ in ditionem Ferdinandi, ſcripſítque libellum aduerſus pſeudo-Euangelicos falsò dictos, quos egregiè exagitauit, *Idem Eraſmus in Epiſtolis.* Tum primùm dicti *Proteſtantes* quod proteſtati eſſent aduerſus Decretum editum in Conuentu Spirenſi menſe Aprili à Ferdinando atque Principibus Catholicis, de nihil innouando in Religione, donec aliquid in Oecumenico Concilio ſtatueretur. Heterodoxi autem conueniunt Smalcadiam menſe Nouembri, vt agerent de mutuo inter ſe fœdere, *Tom. 3. Conſtitutionum Imperialium.* Contigit & Colloquium Marpurgenſe, curante Landgrauio Haſſiæ, vbi Lutherus, & Zuinglius acerrimè diſputauêre, & ille hunc vti fratrem ſuum nunquam agnoſcere voluit, *Lutherus in Libello de Colloquio Coburgenſi.* Solimanus euocatus à Ioanne Vayuoda, eâ lege, vt eius cliens eſſet, ſi Hungariæ regno potiretur, ingreditur Hungariam, recipit vrbes Albam-Regalem, Quinqu'Eccleſias, Peſtum, deinde & Strigonio & Altemburgo potitur; ſic in Auſtriam ingreditur ac Viennam obſidet 26. Sept. terrâ, & aquâ; ſed repulſus forti propugnatione Philippi Palatini Rheni, & aliquot aliorum Ducum, hanc obſidionem ſoluere cogitur 14. Octobris, amiſſis circiter 60. hominum millibus, ex ducentis millibus quos adduxerat, *Ioannes Ramus, Melchior*

Soiterus Iurisconsultus, *Nicolaus Isthuanffius*. Morbus quidam dictus *Sudor Anglicus* hoc anno in Germania, & Belgio sæuiit, tantùm precibus depulsus, *Lud. Guicciardinus*, *Miræus*, *Erasmus in Epistolis*, *Oliuerius*, *&c.*

Anno Christi MDXXX. Ecclipsis Solis contigit 19. Maij, coronatur Carolus V. Imperator Bononiæ à Clemente VII. in Festo S. Matthiæ 24. Febr. quo die natus erat, & Franciscum I. ad Ticinum vicerat, cùm paulò antè Modoensionam recepisset, quæ omnia modico sumptu peracta sunt, quod erat Cæsari peculiare, *Guicciardinus*, *Iouius*, *Victorellus*, *&* *alij*. Fridericus Gonzaga ex Marchione fit Dux Mantuanus 22. Martij Florentiæ 9. Augusti, post vndecim mensium obsidionem, fame domita compulsa est facere deditionem, sic restituta authoritas Mediceis, præpositúsque Florentiæ Pontificis Nepos Alexander, cui desponsata fuerat Margarita filia Notha Cæsaris, *Guicciardinus;Paulus Iouius*. Comitia Augusta celebrantur, in his specimen pietatis suæ edidit Carolus, & 20. Iunij cœpta sunt agitari negotia: Protestantes proposuerunt Confessionem suam fidei à Melancthone fabricatam, informatam à Luthero 25. Iunij: huius item Confessionis confutatio facta per Doctores Catholicos, approbata à Cardinali Campegio Legato S. Sedis, oblata est 3. Augusti, & recepta ab Imperatore, eius fratre, & Proceribus Catholicis, qui societatem inter se inierunt, pro defendenda Catholica fide 26. Nouembris, & Protestantes Smalcaldiam conuenientes mense Decembri coniurationem suam anno superiori factam confirmarunt. Ab vtraque parte tamen reiecti Zuingliani, & Anabaptistæ, *Cochlæus testis* αὐτόπτης, *Vlembergius in Actis*, *&* *Vita Lutheri*, *Pontanus in rebus memorabilibus*, *Surius in Commentariis*, *Georgius Cælestinus de his Comitiis Tomis* 4. *Editis* 1576. *Franciscus I. recipit liberos suos*, *precio persoluto duodecies centenorum millium aureorum*; *vt & Eleonoram sororem Caroli V. relictam Emmanuelis Regis Lusitaniæ*, *quam duxit vxorem in Veriensi Clarissarum Monasterio ad Montem Marsanum*, Bouchetus in Annalibus Aquitanicis, & omnes Historiæ Francicæ Scriptores. Obiit in Belgio 1. Decembris Margarita Cæsaris Amita, Belgij Procuratrix, cui substituta Maria vidua Ludouici Regis Hungariæ, Impera-

toris, & Eleonoræ germana ſoror. Sub initium Nouembris poſt pluuias denſiſſimas toto triduo, horrenda tonitrua, ac terræ motus, & ventos atrociſſimos, Oceanus aggeres abrupit: certè 500 pagi 5. Nouembris abſorpti. Menſe autem Decembri Romæ poſt bidui pluuias, Auſtro flante, ſic Tiberis intumuit, vt nunquàm magis, quâ inundatione multæ domus conciderunt; vtrobique etiam aquis è terra erumpentibus, *Ludouicus Guicciardinus, Iouius, Belcarius, & alij.* Volſæus Cardinalis pœne ad egeſtatem redactus, cùm Eboraco Londinum adduceretur ad Regem, vt læzæ maieſtatis cauſam diceret, in itinere ſexagenarius obiit ex dyſenteria exeunte Nouembri, *Goduinus, Sanderus.* Tum quoque mortuus eſt Romæ ætatis anno 72. Actius Sincerus Sanazarius Poëta inſignis, indiuiduus comes Friderici Regis Neapolitani, honoratus à Lud. XII. *Guicciardinus, Paulus Iouius. Franciſcus I. Pariſienſes Profeſſores regios inſtituit, & anno ſequenti, Regiam Bibliothecam, authoribus Guil. Budæo, Iano Laſcari, & Io. Bellaio Epiſcopo Pariſienſi, vnde Franciſcus* Litterarum Parentis, & Reſtauratoris *conſecutus eſt nomen*, Belcarius, & alij. Milites Hoſpitalarij dicti Rhodienſes Melitam Inſulam obtinuerunt à Carolo V. cum Inſula Gozo, & vrbe Tripoli Africæ, ſub feudo vnius Accipitris ſingulis annis proregi Neapolitano, & profeſſionis clientelaris, quoties nouus Rex coronaretur; appuleruntque iſti equites Melitam 26. Octobris, cùm donum recepiſſent 24. Martij, acceptaſſent 25. Aprilis, *Hiſtoria S. Ioannis Hieroſolymitani, Tomo 3. lib. 5.*

Anno Chriſti M D X X X I. Ferdinandus Frater Caroli V. eligitur Rex Romanorum Coloniæ in Comitiis Imperialibus 5. Ianuarij (Ioanne Electore Saxoniæ, per filium ſuum eò miſſum nequicquam reclamante) qui & xi. eiuſdem menſis inauguratus eſt Aquiſgrani. *Quare Ioannes Saxo cum cæteris Principibus, ciuitatibus Proteſtantibus, Regum Galliæ, & Angliæ auxilium implorarunt, & Smalcaldiam rurſum conuenientes ſocietatem ſuam confirmarunt, Luthero eis ſubdente faces. Pollicitus eſt eis auxilia Franciſcus, miſſo ad eos Guill. Bellaio Langæo: promiſit inſuper pecuniam, & copias Ioanni Vayuodæ, qui ſe Regem Hungariæ vocabat, eâ lege, vt amicitiæ Cæſaris, & Chriſtianitati ab Ottomanus cautum eſſet. Scribit tamen* Guicciardi-

nus *falsò, hunc cum Solymano Turca consilia communicasse, quod* Iouius *negare videtur*, cætera *Cochlæus, Vlembergius, Surius in Commentariis, & alij.* Heluetij quinque pagorum Lucernates, Vrienses, Suitienses, Vnderualdenses, Tugenses, qui Catholicam fidem tuebantur, à Tigurinis, & Bernatibus Zuinglianis oppressi, quorum præcipua erat inter Heluetios authoritas atque potentia, Tigurinis bellum denunciarunt, 4. Octobris, eósque quater hoc mense vicerunt: primo prælio quod contigit XI. huius mensis cecidit Zuinglius, qui lethaliter vulneratus, ductus ad Duces, flammis exustus est viuus, cuius cor nunquam comburi potuit: prætereà dum Quinquepagani illi defendere volunt Templum B. Virginis de Eremo, aduersus Zuricenses, horum 4. millia ciciderunt licèt armis numero inferiores, *Benedictus Aroltus Cardinalis Aretinus in sua Epistola ad Sadoletum.* Oecolampadius alter Sacramentarius obiit Basileæ 1. Decembris annos natus vndequinquaginta, vel ex vlcere ad os sacrum, vel ab vxore vel à Dæmone extinctus, cui successit impietate geminus Henricus Buillingerus, *Cochlæus, Prateolus, Florimundus Remondus, &c. Mortua est item hoc anno Aloysia mater Francisci I. & cui multa damna furore suo, & amore fœmineis peperit, Gracy in pago Gastinensi* 22. *Septembris*, Historiæ Gallicæ Scriptores. Congregatio Somaschæ Clericorum Regularium hoc anno sumpsit exordium, ab Hieronymo Æmiliano nobili Veneto Senatore, qui liberatus ab hostium manibus auxilio Beatæ Virginis, se totum bonis operibus dedidit; hæc Congregatio posteà dicta est *Clericorum Regularium Sancti Maioli de Papia*, quoniam hoc primum fuit Collegium huius Congregationis, *Augustinus Turtura, eiusdem Congregationis in Vita Hieronymi Æmiliani, & Philippus Ferrarius in Catalogo Sanctorum, qui in Martyrologio Romano non prostant. Franciscus I. Iuridicum Conuentum extraordinarium instituit, vulgò* Les Grands Iours, *aduersus nobiles tempore belli subditis suis metuendos qui Conuentus necessarius est post diuturna bella, in quibus nobiles plerumque viri, sui, Regis, atque Dei obliuiscuntur,* Belcarius, & alij Historiæ Francicæ Scriptores.

Anno Christi MDXXXII. Solimanus Hungariam iterùm ingreditur cum ingenti exercitu; cui etiam grandem

dem oppoſuit Carolus V. ex vniuerſis ditionibus conſcriptum: ſed ambo ſuis copiis nihil dignum effecêre, dum ſeſe vterque reformidat. Ferunt Ibraimum Baſſam magnæ apud Solimanum authoritatis impediiſſe Dominum ſuum ne aduerſus Carolum confligeret, eíque conſilia Turcorum clàm aperuiſſe, quòd in Chriſtianos & Carolum benè affectus eſſet, vtpote natus ex parentibus Chriſtianis. Ferunt & Venetos vtrimque etiam progreſſus impediiſſe, dum vtriuſque exercitus copias augent, hoſtéſque inuicem terribiles faciunt. Certè cùm Inſulas maris occupare potuiſſent, delere claſſem Himeralis Turcicæ claſſis præfecti, ipſamque adeò Conſtantinopolim capere præſidio nudatam, claſſem ſuam, ingenti Andreæ claſſi iungere noluerunt, fœdus prætexentes, atque Himeralem vt maturè ex Ionio mari exiret monuerunt, ne ab Auria opprimeretur. Sic rediit in ſuam Græciam Solimanus, Carolus in Italiam, nullo alio operæ pretio, quàm vt ſeſe terruiſſe inuicem viderentur, *Guicciardinus, Paulus Iouius, Iſthuanffius, & alij.* Carolus in Conuentu Ratiſponenſi concedit Proteſtantibus (quorum ope ad Turcos repellendos indigebat) vt nulli negotium faceſſeretur Religionis causâ, vſque ad tempus Generalis Concilij; quod à Pontifice intra ſextum menſem indicendum promittebat, & intra annum inchoandum; ſic Confeſſio Lutherana ad tempus Imperatoris authoritate viſa eſt confirmata, de qua grauiter plerique Catholici queſti ſunt, *Iouius Hiſtoriarum lib.* 30. *Surius in Commentariis, Acta conuentionis Ratiſponenſis apud Goldaſtum. Franciſcus I. & Henricus VIII. conuenerant de parando grandi exercitu, cùm Solimanus, & Carolus V. in Hungaria verſarentur, vt quiſque res ſuas conficere poſſet, ſed audito ex Hungaria Turcorum, & Imperatorum diſceſſu tractatus iſte in fumos abiit,* Guicciardinus, Bellaius. Chriſtiernus crudelis olim Daniæ Rex ope Batauorum, quibus promiſerat magna priuilegia in mari Balthico, iam decennium exul paratis copiis regnum ſuum recuperare parat: ſed pacis nomine doloſè circumuentus, à Friderico patruo ſuo, regni vſurpatore, Hafniam *Coppenhage* ductus, & carceri mancipatus eſt, in quo 27. annos contriuit, *Hiſtoriæ Danicæ Scriptores. Menſe Auguſto Comitia trium ordinum Armoricæ ro-*

garunt Franciſcum I. vt Franciſcus eius filius primogenitus Britanniæ Dux inauguraretur, ſicque Armorica regno Francico vniretur, quod & factum eſt, Acta huius conuentionis apud Bellcforcſtium; & Argentræum. Hoc denique anno Clemens VII. approbauit Congregationem S. Franciſci ſtrictioris obſeruantiæ; quos vocant *Recollectos*, iiſque certas regulas præſcripſit, *Conſtitutio Clementis VII. 35. data 16. Kal. Decembris huius anni.*

Anno Chriſti MDXXXIII. Carolus V. antequam proficiſceretur in Hiſpaniam, iterum Bononiæ cum Pontifice congreditur, & nouum fœdus cum illo, & cæteris Principibus Italiæ init, exceptis Venetis, quod publicatum eſt 24. Febr. die feſto S. Matthiæ, & ſequenti die Genuam petit, in Hiſpaniam traiecturus; nec ei Pontifex fecit ſatis, quamuis ei promiſiſſet omnia aduerſus Henricum VIII. & Annam Bolenam, *Guicciardinus, & alij. Pontifex Galliam nauigare ſtatuit vt Franciſcum I. inuiſeret, & cum illo colloqueretur, maximè vt Turcici belli promotionem vrgeret, Henricum VIII. ſanaret, ageret de Concilio, & maximè vt ageret de nuptiis Neptis ſuæ Catharinæ filiæ Laurentij Medicei Ducis Vrbini, ex Margarita filia Comitis Bononienſis, cum Henrico Duce Aurelianenſi ſecundo-genito Franciſci annorum 15. cum illa 13. annum attigiſſet, quæ tum conſummatæ ſunt magno vtriuſque partis gaudio. Itaque Maſſiliam appulit 4. Octobris magnificè à Franciſco ſuſceptus, vbi inter ſe muneribus Rex, & Pontifex decertarunt. Tres ibidem Cardinales creati Galli in Franciſci gratiam, & 4. ex præcedenti promiſſione; indéque 22. Nouemb. ſoluens Sauonam appulit, vnde Ciuitatem Veterem deductus ab Auria, inde Romam venit amiciſſimè receptus, vbi omnia ad funus ſuum parauit quod imminere ſibi præſagiebat*, Guicciardinus. Rex Angliæ Henricus VIII. occultè Annam Bolenam ducit vxorem; ſed rem celatam cupit, tribus itaque perditis hominibus in conſilium abſumptis, Thomâ Cranmero Annæ Sacellario quondam, & iam Arch. Cantuarienſi, Thomâ Cromuelo facto Camerario & Sigilli Regij cuſtode, & Thoma Audlæo Cancellario, in locum Thomæ Mori, qui miſſionem obtinuerat, ſe caput Eccleſiæ declarat; itaque Cramnerus iam factâ ſibi à Comitiis poteſtate, Catharinam citatam nec reſpondentem damnat,

& Henrico potestatem nouæ vxoris ducendæ facit. Celebrantur infelices nuptiæ Sabbatho Sancto 12. Aprilis cum Anna Bolena, quæ & coronatur 2. Iunij; peperit Elizabetham 7. Sept. magno splendore baptizatam, inde Anglicana Ecclesia in præceps ruit, regnum omnibus hæresibus & calamitatibus patuit, *Sanderus, Belcarius, Martinus Bellaius, & alij.* Friderico inuasore Regni Danici mortuo, successit ei filius Christiernus Tertius, *Pontanus.* Pontifex consecrauit Romæ Ioannem Magnum, Historiæ Borealis Scriptorem, anteà designatum Archiepiscopum Vpsalensem & Sueciæ Primatem die 6. Iulij, eúmque Legatum suum à Latere misit in Sueciam vbi multa passus est, *Historia Pontificum Vpsalensium eiusdem Ioannis Magni.* Lutherani ita Concilium volunt, vt suis ineptis tergiuersationibus illud nolle viderentur, *Cochlæus.* Hoc anno Bononiæ 18. Febr. approbata Congregatio Clericorum Regularium S. Pauli Decollati, nuper instituta Mediolani: nam quando vrbs direpta fuit 1526. Seraphinus Firmanus Canonicus Regularis nobilis concionator populum afflictissimum ex sacris pulpitis consolatus erat: trésque viri nobiles ab eo instituti mundo renunciare statuerant, & publicis expositionibus Epistolarum Sancti Pauli auditores edocentes, multos ad se adduxerant, acceptâ primùm ad id muneris Ecclesiâ Sancti Barnabæ, vnde dicti Bernabitæ, *Constitutio Clementis VII.* Pugna naualis commissa inter Turcos & Venetos ad Coronem vrbem Peloponesi noctu, quâ Canales Venetus Morum quemdam Turcum Archipiratam interfecit, & vicit, quod contra fœdus initum videbatur. Vtraque Classis factum suum excusauit, cùm Canales Morum pro Barbarossa, Morus & Turci Canalem se pro Auria oppugnasse mentiti sunt, & vtrimque probabilis visa est excusatio, *Paulus Iouius, Iustinianus.* Tum autem Hariadenus aliter Barbarossa Mitylenæus Archipirata infesta tenebat maria, & occuparat Algerium; euocatúsque Constantinopolim à Solymano factus est maris præfectus, *Leunclauius, Paulus Iouius.* Mortuus est denique hoc anno circa Brumam Basilius Dux Moschorum ætatis anno 47. qui reliquit ditionem suam Ioanni Basilidi quinquenni: Is sub initium à patruis & tutoribus, atque Magnatibus exagita-

tus eſt ; at verò Dominus effectus, crudelitate ſuperauit patrem, *Paulus Oderbonius in vita Ioannis Baſilidis.*

Anno Chriſti M D X X X I V. Hariadenus ſeu Barbaroſſa diſiecto fœdere inter Cæſarem & Solymanum claſſe centum triremium percurrit maria , & Neapolim occupaſſet , ſi eam auſus eſſet aggredi : certè multas vrbes vicinas deuaſtauit, ipſíque Romæ terrorem intulit. Mox in Africam contendens Muleaſſem Tunetano expulit regno , quod Turcis aſſeruit, *Paulus Iouius , Surius in Commentariis , Maurocenus.*. Solymanus ipſe aduerſum Thammaſum Perſarum Regem, filium Iſmaëlis Sophi, potentiſſimum ducit exercitum, vt patris ſui Selimi vlciſceretur iniurias acceptas ab Iſmaële. Eò impulſus eſt ab Ibraïmo Viſire, & Vlamane, qui à Perſis ad Turcos defecerat. Tunc Thammaſo ad montes refugiente captum Tauriſium olim *Ecbatana* , capta & Sultania, vbi ex tempeſtate cladem Turcæ paſſi ſunt. Inde Babyloniam ſe contulit Solymanus Caliphæ præcipuam ſedem, vbi & ab eo ſe inaugurari voluit, & in ea vrbe hyemauit, *Iouius; Bizarrus, Surius in Commentariis, Appendix Leunclauij, & alij.* Angliæ Rex Henricus VIII. ſollicitatus eſt à Franciſco I. vt ad ſanam rediret mentem, miſſo Ioanne Bellaio Epiſcopo Pariſienſi. Promiſit Henricus ſi differretur ſententia excommunicationis, ſe ſuſpenſurum quod cogitarat, ſcilicet renunciare Romano Pontifici : Quod Bellaius Romæ ſignificauit per equos curſorios ; præſcriptum ergo Regi certum tempus. Bellaius expeditum hominem remiſit in Angliam qui nuncium referret intra certum diem ; qui cùm præteriiſſet, propter frigora, quamquam rogaret Bellaius, vt ſex tantum diebus expectaretur, vno conuentu factum (vrgentibus Cæſarianis) quod tribus pragendum erat, latáque in Henricum ſententia. Biduò poſt venit ab Anglia nuncius, cum facultatibus ampliſſimis, ſed quod factum erat infectum eſſe aduerſarij noluerunt. His auditis Henricus efferatus renunciauit Sedi Apoſtolicæ, ſe caput Eccleſiæ Anglicanæ dixit, Mariam filiam ex Catharina exautorauit , in Catharinæ amicos & fautores ſæuiit , ideò repugnantes vincti Fisherus & Thomas Morus poſteà Martyrio coronati, cum aliquot Franciſcanis: cæſa quoque Elizabetha Barthona Monialis ; quæ etiam ſunt ab

Hæreticis improbata, *Belcarius, Goduinus in Præsulibus Angliæ, Sanderus, Stapletonius, & alij. Eò pertinent initia Ioannis Caluini Heresiarchæ, qui ortus in agro Nouiodunensi ex Gerardo Chauuino Notario, ipse primùm Alcuinum se dixit, deinde Lucianum; corruptus est à Melchiore Wolmario; Sacerdotia sua vendidit; Parisijs fugit, Pictauij virus euomuit, discipulos ibidem collegit, & ne caperetur Neracum euolauit. Sed de eo multa iactata sunt in illius odium quæ non sunt vsquequaque certa,* Massonus in vita Caluini, & multi alij. Anabaptistæ in vrbe Monasterio Westphaliæ veram Religionem exterminant sub Ioanne Matthia, deinde sub Ioanne Bocoldo Sartore Leidensi; hic cæso Matthiâ in acie contra Episcopum, Anabaptistarum dictus est *Rex Iustitiæ*, vti Rex habitus, 28. Apostolos suos dispersit, &c. *Lambertus Hortensius Monfortius, Arnoldus Meshouius, Rouerus Pontanus, Sleidanus, Surius, &c.* Clemens VII. moritur 26. Sept. annos natus 56. cum mensibus 4. cùm sedisset annis 10. mensibus totidem, & diebus 7. Successit ei Alexander Farnesius 13. Octob. coronatus 3. Nouembris anno ætatis 67. dictus Paulus III. *Guicciardinus in eo finiens suam Historiam; Paulus Iouius. Hoc anno die festo Assumptionis B. Virginis 15. Augusti S. Ignatius de Loyola nobilis Cantaber, cum sex primis Sociis suis Petro Fabro, S. Francisco Xauerio, Iacobo Lainio, Alphonso Salmerone, Nicolao Bobadila, Simone Rodericio vota sua prima emiserunt in æde B. Virginis de Monte Martyrum prope Lutetiam, quibus posthæc adiuncti fuêre Ioannes Codurius, & Paschasius Broëtus,* Nicolaus Orlandinus in Historia Soc. IESV, & alij. Obiit tum 9. Sept. anno ætatis 65. cum diebus 29. Thomas de Vio Cardinalis Caietanus, Dominicanus Arch. Panormitanus, suis scriptis clarissimus, quem tamen Prateolus, & Alphonsus de Castro, aliique nonnulli inter hæreticos malè numerarunt cùm se suáque Sanctæ Sedi subiecerit, *Ioannis Bapt. Flauij Aquilani Oratio funebris, & Bzouius. Mortuus quoque 22. Augusti Melitæ Philippus Villierius Liladamus Eques S. Ioannis Hierosolymitani, etiam perditâ Rhodo gloriosus,* Historia Hospitalariorum.

Anno Christi MDXXXV. *Franciscus I. nobilem supplicationem Parisiis haberi iussit (vt Christo in Eucharistia spreto ab Hæreticis faceret satis) cui ipse interfuit capite aperto, manu præ-*

ferens facem, vmbellam ferentibus Regij sanguinis 4. Principibus, quo etiam die sex Hæreticos noxios publicè cremari iussit, testatus, se ne quidem liberis parciturum, si hac hæresi infectos deprehendisset, Bellaius, Belleforestius, & alij Historiæ Gallicæ Scriptores, *Nihil tamen propius fuit, quàm vt à Margarita sorore suâ in transuersum ageretur, quæ e[...]t vt Melanchthonem cum Theologis Parisiensibus disputaturum accerseret; quod consilium imprudentissimum Cardinalis Turnonius discussit sapienter*, Florimondus Remondus. *Rex Franciscus commotus est grauiter aduersus Franciscum Sfortiam, quòd eius Legatum Meruellium Mediolanensem ciuem, cædis cuiusdam reum capite truncari iussisset. Vlturus ergo crimen Insubriam ingredi parat, petitque transitum à Carolo Sabaudiæ Duce Auunculo suo; quem ei denegat inductus ab vxore sua Beatrice Lusitana Imperatricis sorore; sic spoliatus est ditione suâ Dux miser capto etiam Taurino, inter potentissimos Principes infeliciter medius*, Martinus Bellaius, Paulus Iouius, Ioannes Boterus, Belleforestius, & alij. *Caluinus edit primùm Institutionem suam Basileæ 1. Augusti, Gallicè, quam subinde Latinè, & Gallicè interpolatam recudi iussit, atque eam audacissimè Francisco I. nuncupauit, apposito ense Flammeo cum hac epigraphe*, non veni pacem mittere, sed gladium, *quod posteà nimis verè præstitit. Inde Ferrariam venit, vt inuiseret Renatam filiam Ludouici XII. inter hæc Gullelmus Fucellus*, Ferreau, *Delphinus, & Petrus Viretus Heluetius, Geneuenses ad defectionem impulerunt, indormiente vrbis Episcopi Petro de Balma, qui ab iis expulsus fuit: sic vrbs & Duci Sabaudiæ, & Episcopo suo, & Ecclesiæ periit.* Massonus in vita Caluini, Florimundus Remondus, Prateolus, & alij. Angliæ Rex Henricus VIII. in Catholicos sæuit, multósque Religiosos viros interfecit: Ioannem Episcopum Roffensem, factum Cardinalem in carcere à Paulo III. capite mulctari iubet. 22. Iunij: 6. autem Iulij Thomam Morum, viros omni laude Maiores. Expilat etiam Monasteria tam virorum, quàm fœminarum, quæ donat nobilibus suis, factus post tantas direptiones inops, vnde & suos vectigalibus atterere coactus est, *Sanderus, Thomas Stapletonus, & alij.* Anabaptistæ Monasterij furere, & insanire pergunt: graui tamen vrbs obsidione pressa, & domita fame; in qua etiam parentes vesci liberorum carnibus ausi sunt,

Capta est demum vrbs 24. Iunij, sed dolo, multis tamen vtrimque cæsis: in Regem eiúsque præcipuos consiliarios duos acriter sæuitum; sed ægrè restincta est hæc furiosa hæresis, & per Belgium grassata armis comprimenda fuit, *Meshouius, Coruinus, Florimundus Remondus, & alij.* Carolus V. potentissimum in Africam ducit exercitum aduersus Barbarossam seu Ænobarbum, quem & obuium sibi factum primò impetu deuicit, & inclusit vrbe Tuneto, in qua mox sex millia Christianorum occuparunt arcem catenis effractis: vrbs fœdè tamen direpta, in qua pretiosissima dissipata sunt; restitutus Regno Muleasses; fugit Ænobarbus Hipponem, & Algerium appulit, vbi reparatâ classe minorem Balearidum vastauit, & multas regiones Christianas, tandémque Constantinopoli receptus est quasi victor. Carolus V. quoque triumphans Neapolim est ingressus, *Iouius, Surius in Commentariis, & quidam editi post Chalcondylem Clauseri.* Moritur sine liberis exeunte Octobri Franciscus Sfortia Dux Mediolanensis, cuius ditionem statim petiit Franciscus I. quæ non est ei denegata omnino, sed ei spes fraudulenter iniecta, *Bellaius, Langeus, Belcarius, & alij.* Solimanus Babylone Taurisinum reuersus, vrbem militi diripiendam dedit, & totam regionem deuastauit, recessítque versus Mesopotamiam, insequente eum semper Thammaso, cum Persico Equitatu. Sed cùm is esset grauioris armaturæ, Delimentem Ducem experientissimum cum delectis copiis misit, quæ recedentem Solimanum turbarent. Verùm Delimentis conatus elusit Solimanus vsque ad vrbem Amidam, & incolumem eò vsque deduxit exercitum. At cùm ad Bethilem peruenisset ad Tauri radices fixum oppidum, dum putant omnia in tuto posita Turcæ, eos sic oppressit nocte obscurâ & pluuiosâ Delimentes 8. Octobris, vt deleti sint ad internecionem, vix Præfectis & Vlamene Persâ transfugâ elabentibus, amissis tormentis, equis, tentoriis, & omni prædâ, *Leunclauius, Paulus Iouius, Bizarrus, & alij.*

Anno Christi MDXXXVI. Obit 6. Ianuarij Catharina Angliæ Regina vxor Henrici VIII. ætatis anno 50. partim ex ærumnis, partim ex loco parùm salubri, in quem fuerat relegata, & fortè ex veneno. Egregia planè fœmina,

erudita, sapiens, & tantùm digna marito meliore. Henricus acceptâ eius extremâ Epistolâ, ingemuit, honorificè sepeliri iussit, suos omnes pullis vestibus iudui; sed Anna Bolena veste flaui coloris cum suis domesticis induta apparuit, *Polydorus, Surius in Commentariis, & alij.* Hæc Anna Bolena adulterij cum aliquot amasiis suis accusata conuicta, & damnata caput publicè perdidit 19. Maij, Rege imperante, qui sequenti die, Ioannam Semeiram duxit, Annæ puellam aulicam pulcherrimam, quam deperibat, *Sanderus, Polydorus Virgilius Vrbinus hîc suam Historiam terminans, Sleidanus, & alij.* Carolus V. Imperator triumphans Romam ingreditur 5. Aprilis, ibidem 13. moratur dies, *vbi acerrimam aduersus Franciscum I. orationem habuit coram Pontifice, in publico Cardinalium consessu, quam tamen posteà ipse visus est improbare; Nihilominùs tamen tam ipse, quàm Ferdinandus frater Regem apud Germanos traducere perrexit: collectísque copiis Carolus, Ducibus Antonio de Leua, & Francisco Marchione Salutiarum Prouinciam aggreditur, Francisco non satis parato. Verùm prudenti consilio Regis & Annæ Mommorancij (tum Marescali, posteà Comitis Stabuli) diligentiâ qui sapienter commeatus omnes, venientibus Hispanis substraxerunt, molendinis omnibus incensis, & relictis tantùm fructibus & vuis ex arboribus atque vitibus. Iis ergo dum hostes vtuntur solis, & aliunde Galli detrectarent pugnam, sed his ex superioribus locis, & munitis imminerent, cum paucis, sed lectissimis copiis, captis Aquis-Sextiis, & relictis, quia vrbs nonnisi longo tempore muniri poterat, & Massiliâ nequicquam tentatâ, exercitus iste qui Galliam iam spe deuorarat, viginti millibus imminutus recessit in Liguriam, vnde tantùm doloris contraxit Antonius de Leua Dux exercitus, vt ex mœrore, minùs quàm podagrâ interierit, sepultus Mediolani in æde S. Dionysij, non in Gallia, vt sibi ex vaticinio mulierculæ spoponderat. Eodem tempore Henricus Nassouiæ Comes aggrediebatur Picardiam, & Peronam obsidebat quæ tam acriter ei restitit, vt ignominiosè recedere compulsus sit, nouóque dolore Cæsarem cumularit*, Bellaius, Belcarius, Paulus Iouius, Ferronus, & alij. Nec felicior fuit Carolus V. dum ex Italia redit in Hispaniam: nam in portu Genuæ duas triremes amisit in quarum vna nobiles equi, in altera pretiosa supellex continebatur; & prætereà in cursu sex alias triremes perdidit,

perdidit, & mari, & terrâ fortunam aduersam expertus, *Iidem qui suprà Scriptores. Sed ne Franciscus I. nimiùm lætaretur, obiit 12. Augusti Turonis annos natus vndeuiginti Franciscus Delphinus maximæ expectationis iuuenis, & lacrymis multis ab vniuersa Gallia defletus. Veneno fuisse sublatus creditur, operâ Sebastiani Comitis Montecuculli Itali, qui in quæstione fassus est se incitatum fuisse ad id facinoris ab Antonio de Leua, & Ferdinando Gonzaga Siciliæ prorege. Certè Lugduni hic Sebastianus equis decussatis distractus est viuus. Quidam tamen existimarunt hanc confessionem criminis tormentis expressam fuisse, & maiorum dolorum metu. Mortuus est autem Franciscus; cùm pilâ lusisset immoderatiùs, atque æstuans frigidam aquam bibisset; cui tamen infusum venenum quidam perhibent, cùm intra dies quatuor interierit*, Bellaius, Belcarius, Ferronus, Paulus Iouius, & omnes Historici Galli. Paulus III. Pontifex Concilium Generale indixit Mantuæ ad 23. Maij anni consequentis. Sed negauit vrbem suam Dux variis de causis, itaque Vicentiam primùm, deinde Tridentum translatum est, *Diploma Pauli III. in Collectione Filioli Aquensis Archiepiscopi, Surius, Pontanus, & alij.* Celebratum hoc anno Concilium Coloniense ab Hermanno de Weda Archiepiscopo, studio Ioannis Gropperi, in quo tamen Sadoletus reprehendit, quòd nulla mentio facta sit Purgatorij, cùm id maximè exigeretur, *Sadoletus Epist. 14. lib. 14. in Tomis Conciliorum, Sleidanus, & alij.* Tum obiit Basileæ Erasmus, quò remigrarat 12. Iulij annos natus 70. ex dysenteria: vir scriptis suis celebratissimus, & in primis eruditus, de quo cooptando in Cardinalium cœtum Paulus III. cogitarat. Is reformidabat vnum Franciscum Titelmanum Minoritam, qui posteà Capuccinus fuit, & vix annum 40. attigit, mortuus Anticoli in Latio 12. Sept. anno sequenti, *Surius in Commentariis, Vita Erasmi, & alij.* Pax demum inter Ioannem, & Ferdinandum coaluit, conditionibus vtrique commodis, & Christianitati, *Isthuanffius, & Neugebauerus lib. 7.* Diu ciuitas nobilis Cambayæ, seu Zambti, non procul ab Indi fluminis ostiis Lusitanis sponte dedita est à rege Badario, vt eos amicos haberet, nec ab eis vexaretur, quod huic Regi aliquo tempore satis vtile fuisse euentus ostendit, in ea enim cum vxore, liberis, & thesauris receptus est, cùm ab hoste

Caramano acerrimo bello peteretur, *Oſorius lib. 9. Maphæus, & alij.*

Anno Chriſti M D X X V I I. Iacobus V. Rex Scotiæ 1. Ianuarij Pariſiis ducit Magdalenam filiam primogenitam Franciſci Galliarum Regis; ſed vbi venit illa in Scotiam hecticâ Febri abſumpta obiit ineunte Iulio, & magno luctu maritum, & Scotos omnes affecit. Iacobus itaque non ita multò pòſt duxit Mariam Ducis Claudij Guiſij filiam, relictam viduam Ducis Longauillæi, formâ, prudentiâque excellentem, *Buchananus lib. 14. & alij.* Alexander Mediceus Princeps Florentiæ, & Gener Caroli Imperatoris ductâ eius filiâ nothâ Margaritâ, ipſe nothus, Florentiæ cæſus eſt à conſanguineo ſuo Laurentio, qui eius ſtupra diutiùs ferre non poterat. Nec tamen hic Laurentius libertatem quam informatat auſus eſt Florentinis proponere, ſed fugit Venetias, inde Conſtantinopolim, vbi dedendus à Solimano, regreſſus Venetias cæſus eſt à percuſſoribus duobus, cùm in eius caput 7. aureorum millia eſſent conſtituta. Tertio pòſt die à nece Alexandri ei ſuffectus eſt Coſmus Medices annos natus duodeuiginti, qui annis duodequadraginta Florentiæ præfuit, & Mediceam domum plurimùm auxit, *Paulus Iouius, Ioannes Baptiſta Hadrianius, & alij. Bellum exarſit inter Carolum, & Franciſcum in Picardia, & Pedemontio, à Francis indictum; captæ vtrimque vrbes in limite Picardiæ, & Belgij, miſſus in Pedemontium Henricus Delphinus; quò pariter tranſiit Franciſcus, vt rem Gallicam acciſam repararet, & vtrimque illata, acceptáque damna, donec Sorores duæ Maria Regina Hungariæ, Belgij Procuratrix, & Eleonora Regina Franciæ, inducias obtinuerunt, ad pacem tractandam*, Bellaius, Belcarius, Ferronus. *Franciſcus I. fœdus init turpiſſimum cum Solimano Turca, vt hic Italiam inuaderet, dum ille Inſubriam bello tentaret: ſed probroſum ſimul, & inutile id conſilium fuit, dum alio implicitus bello Franciſcus, irrumpere non potuit in Italiam, fremente Solimano, qui Barbaroſſam in Salentinos immiſerat, vbi regionem à Tarento, ad Brunduſium depopulatus eſt, multis vtriuſque ſexus abductis.* Inde in Venetos belli impetus detonuit, vnde abducta mancipiorum 7. aut ſexdecim millia: Item ex Inſula Corcyra, vrbs tamen capi non potuit, *Belcarius, Maurocenus, Iuſtinianus, Iouius,*

Leunclauius. Amurathes Elissiam munitissimum Dalmatiæ oppidum capit; victoriæ ibidem relatæ præmium: Mahometes quoque ad Essekum Turcorum oppidum exercitum Ferdinandi, ex Germanis, Hungaris, Bohæmis Italísque conflatum deleuit, *Isthuanffius, Surius in Commentariis, Belcarius.* Paulus III. selegit nouem grauissimos, & doctissimos viros pro corrigendis Ecclesiasticorum motibus, *Onuphrius in Paulo III.* Protestantes Smalcaldiam conueniunt mense Februario, vt statuerent quid ipsis agendum esset in Concilio iam indicto Mantuæ; conuenerunt in hanc vrbem multi Principes, qui Legato Caroli V. responderunt, se optasse Concilium liberum, & in Germania, quale futurum non esset Mantuanum à Papa indictum, *Cochlæus, Sleidanus.* Henricus VIII. Angliæ Rex opponit se Concilio, furit in Polum Cardinalem Regij sanguinis Principem, cuius caput 50. millibus Aureorum addixit, quare Pontifex eum reuocauit Romam, atque præsidio cinxit. Eidem Henrico natus est filius ex Semeira coniuge, dictus Eduardus, cuius in partu mater secta post diem 12. expirauit, sectionem Rege probante, *Sanderus in Schismate Anglicano.* Religio Catholica eiicitur ex Dania per Christiernum III. inauguratum ab Hæretico Prædicante, misso à Luthero: deinceps Prædicans iste Ioan. Bugenhagius Papam hic egit: item quoque factum in Noruegia, *Chytræus.*

Anno Christi MDXXXVIII. Paulus, Carolus, & Veneti contra Turcam fœdus ineunt, mense Februario, vt armarent 200. triremes, 100. naues, peditum 50. millia, equitum quatuor; classi præesset Andreas Doria; terrestribus copiis, si fieret terrestris expeditio, Ferdinandus Gonzaga Mantuanus, prorex Siciliæ. Paratæ sunt ergo triremes 134. onerariæ naues 60. multæ biremes, & Myoparones, adeò vt tota classis esset 250. nauigiorum, iísque omnibus præfectus Andreas Doria, qui tum se *Maris Neptunum* appellabat. Nauigatum ergo in Ænobarbum in Ambracio sinu agentem tantùm cum 150. omnis generis nauibus; & facilè vinci potuisset, nisi Doria obstitisset, qui tum præuaricator ab Venetis creditus est, cùm bis sibi è manibus passus est eripi victoriam, eóque rem deduxerit,

intentus tantùm in res Cæsaris, vt classis ista tantùm non superata sit, & victæ similis recesserit: quæ causa fuit cur Veneti statim cum Solimano fœdus inire coacti sint, *Maurocenus, Iustinianus, Iouius contra Sigonium Auriæ adulatorem, Leunclauius, &c.* Solimanus incitatus Lusitanorum excursionibus, qui nauigationes Turcorum in Indiam prohibebant, atque insuper sollicitatus Litteris Badurij Cambaiæ Regis, quibus Lusitani Dium vrbem retinebant, imperat Solimano Eunucho Ægypti præfecto, vt classem ad Suesium paret, quæ olim *Vrbs Heroum* dicebatur, vel, vt alij volunt, *Portus Arsinoës*. Cùm ergo classis hæc Arabici Sinus fauces prætervecta esset, Adenum appulit Arabiæ Felicis ciuitatem, cuius Regem omnia classi sufficientem, Mahumetanum licèt, ex prætoria sua Solimanus suspendi iussit, inani prætextu, vrbémque præsidio muniit, ac Turcis asseruit. Inde in Indiam perrexit, & ad Dium exscensionem fecit, cùm Badurius à Nonnio Acunna præfecto Lusitano cæsus esset, quòd proditionem in Lusitanos moliri videretur. Arci cum præerat Antonius Silueria vir fortissimus, cum 700. Lusitanis, qui Turcos ira sustinuit, vt tantum ei 40. superessent, cæteris aut necatis, aut ex vulneribus ad pugnandum minùs idoneis. At 1. die Nouembris nunciatur adesse auxilium Lusitanorum, quo nuncio territus Solimanus fugit tantâ trepidatione, vt tormentorum suorum magnam partem reliquerit & 500. vulneratos, multis Turcorum desideratis, *Damianus Goesius, Maphæus, & Indicæ Historiæ Scriptores.* Paulus III. agit cum Carolo V. & Francisco I. cùm pacis causâ Niceam Prouinciæ ipse accessisset, quibuscum singulatim egit, nec impetrare potuit vt se viderent atque complecterentur: Inducias tamen decennales obtinuit, recessitque Genuam, & inde Romam, *Iouius, Onuphrius, Massonus, Sadoletus.* Concilium translatum Vicentiam, dilatum est in annum sequentem, *Acta Concilij ex Collectione Archiepiscopi Aquensis.* Caluinus qui Geneuam irrepserat anno 1536. authore Farello, cum eodem eiectus est, accusati quasi malè de Diuinitate Christi, & Trinitate sentirent, secessítque Caluinus Argentoratum, vbi Zuinglianum vigebat dogma. Cùm autem eò multi confugissent ex Francia & Belgio, vbi igne, & la-

queo mulctabantur, iis Magiſtratus Argentoratenſis dedit Templum, cui præfuit Caluinus; vbi & duxit vxorem Ideletam Buriam, viduam neſcio cuius Anabaptiſtæ ex qua tamen nullos liberos ſuſcepit, *Vita Caluini à diuerſis ſcripta.* Henricus VIII. Angliæ Rex infenſus S. Thomæ Cantuarienſi Martyri quòd Henrico II. conſtantiùs reſtitiſſet, eum coram ſe citari iuſſit, & tanquam perduellem damnauit, vt Sanctum coli vetuit, eiúſque oſſa, thecâ aureâ gemmis exornatâ incluſa, tolli iuſſit, & publicè per tortorem cremari, ac cineres in ventum diſpergi; quibus etiam addidit multa alia ſacrilegia. Quare Pontifex in eum ſententiam promulgauit ſuam 17. Decemb. acerbam illam quidem, ſed quâ atrociorem ſceleribus ſuis Rex furore amentiſſimus promeruerat, *Sanderus, Bulla Pauli III. Conſtit. 7.*

Anno Chriſti MDXXXIX. Contigit Ecclipſis Solis 18. Aprilis. Conuentus celebratus eſt Franco-furti Catholicorum, & Proteſtantium, vt inter ſe de pace agerent, Germaniæ, & Chriſtianitati neceſſariâ: ac primùm partes inter ſe tranſigunt, quibuſdam conditionibus, quæ ſunt à Summo Pontifice improbatæ. Immò ipſe tum ſuſpendit Concilij celebrationem, & Vicentia vrbs deſignata loco Concilij, non eſt viſa ſatis apta Germanis recipiendis, *Surius in Commentariis, Sleidanus, Conſtitutiones Imperiales apud Goldaſtum, & alij.* Inter hæc moritur Georgius Dux Saxoniæ Aprili menſe, ætatis anno 66. Catholicus optimus, & quem ideò ſæpè impunè Lutherus conſciderat. Succeſſit ei frater Henricus & Mauricius atque Auguſtus eius filij, eâ lege tantùm dicti hæredes, vt fidem Catholicam integram, purámque ſeruarent, ſed ſtatim Henricus in loca Turingiæ, Miſniæ, & Saxoniæ quæ Georgium Principem agnoſcebant Lutheri ſectam induxit, ipſe iam Lutheranus. Vnde Cochlæus Miſnâ abire compulſus factus eſt Canonicus Wratiſlanienſis, multa paſſus ab Hæreticis, quos ipſe egregiè confutauit, *Pontanus de rebus Memorabilibus, Sleidanus, Surius in Commentariis, Sadoletus, Cochlæus.* In Scotia Rex Iacobus agit ſeuerè aduerſus Hæreticos, & nonnullos Apoſtatas religioſos hæreſi infectos curat exurendos, cum aliquot Laïcis. Tum quoque Georgius Buchana-

nus Minorita quondam, tunc Apostata, Poëta bonus, sed impius, nec tantùm Lutheranus, sed etiam creditus Iudæus, quod Agnum Paschalem tempore Quadragesimæ cum aliquot aliis, ritu Mosaïco edere repertus esset, datus est in carcerem; vnde sopitis custodibus per cubiculi fenestram euasit, sine dubio, igne mox mulctandus, *Leslæus, Dauid Camerarius, & alij*. Henricus VIII. in Anglia omnia abolet, euertítque Monasteria: eorum bona vel addicit fisco, vel dat nobilibus, vel emenda curat à quibusdam Catholicis: resistentes quosdam Abbates & Monachos suspendio necat, vt reos Læzæ maiestatis, cæteros Monachatus legibus eximit, *Sanderus lib. 1. de Schismate. Gandauenses contra Carolum V. rebellant, & se Francisco I. dedere volunt: verùm in fide data constantissimus Franciscus I. eos non reiecit modò, sed & eorum consilia aperuit Carolo. Is veritus se mari committere, ne coniiceretur in Angliam, aut aliquem rebellium Flandrorum portum, & Germanos Protestantes timeret, si ex Genua itinere terrestri in Belgium pergeret, petiit transitum per Galliam à Francisco, oblato ei Principatu Mediolanensi. Statim ergo missi duo filij Regis Henricus Delphinus, & Carolus Dux Aurelianensis cum Comite Stabuli Monmorantio Baionam, qui eum honorificè susciperent, atque deducerent, & si vellet, etiam obsides isti filij in Hispania seruarentur. Suadebat Cardinalis Turnonius vt promissionem suam Carolus scripto firmaret, quod hic omnino nolebat, euicit ergo sententia Comitis Stabuli, nempe vt ei transitus sine vlla conditione concederetur. Susceptus vbique magnificè, eíque Rex viribus ex morbo nondum recreatis occurrit ad Castrum Heraldi in Pictonibus, cum magna vtrimque amoris significatione*, Bellaius, Belcarius, Belleforestius, & alij. *Franciscus denique hoc anno edixisse dicitur, ne decreta Iuridica Latinè vt olim, sed Gallicè emitterentur*, Genebrardus.

Anno Christi M D X L. *Carolus V. suscipitur Parisiis 1. Ianuarij, cum omni honoris, ac gaudij significatione, & vrbem ingreditur medius inter duos pueros regios, exceptúsque conuiuio, in quo Rex cum filiis, Principibus, & Cardinalibus longo interuallo sedit post Imperatorem*, Cæremoniale Francicum, *Post dies 7. & 8°. eiusdem mensis, veritus ne retineretur Carolus, vt quidam suadebant Regi, donec promissa impleuisset, eodem comitatu deductus est Valencenas: vbi sollicitatus de liberanda fide,*

respondit, aliter se in Belgio, aliter in Gallia loqui, iratus Rex Monmorantio, consilij parum prudentis authori, eum ab aula depulit, & indignum suo conspectu iudicauit, Bellaius, Belcarius, Belleforestius, & alij, *Franciscus I. primo Iunij, Bellaquei edidit Regium diploma aduersus Hæreticos*, Belcarius, & Regiæ. Constitutiones. Carolus in Belgio Lutheri, & aliorum hæreticorum libros exuri iussit, eósque legi sub pœna mortis vetuit, *Cochlæus, Sleidanus.* Angliæ Rex Henricus VIII. anni initio duxit quartam vxorem Annam Guillelmi Cleuensis Ducis sororem Lutheranam, authore potissimùm Thomâ Cromuelo etiam Lutherano, qui ob id Camerarius Angliæ constitutus, vt eius Fisco prouideret, tot inter Ecclesiarum rapinas, egenti suasit Regi, vt Ordinem S. Ioannis Hierosolymitani aboleret in Anglia, eius bona vsurparet, inusitata vectigalia à suis extorqueret, diuites quosdam cæderet vt eorum bonis frueretur, & alia eiusdemmodi plena sordidissimæ crudelitatis. Sed cùm Rex Annæ Cleuensis tædio affici cœpisset, variis de causis, eam reiecit, vt Catharinam Hauardam quintam vxorem duceret elegantissimæ formæ fœminam. Cromuelo autem iratus, eum de variis criminibus accusatum securi publicè feriri iussit, cum magna Catholicorum, & Hæreticorum voluptate. Prætereà multos Catholicos addixit supplicio, quibus adiunxit Zuinglianos ingenti Catholicorum dolore, *Sanderus lib. 1. de Schismate, Sleidanus lib. 73. Guillelmus Budæus anno ætatis 79. die 20. Augusti obiit Parisiis, ob singularem eruditionem Magister libellorum supplicum factus, quem Erasmus* portentum Galliæ *apellare consueuerat:* vir admodum *Catholicus, & hostis Hæreticorum*, Paulus Iouius, & Historiæ Gallicæ Scriptores. Ioannes Vayuoda Rex Hungariæ dictus, permittente Ferdinando, mortuus est ex morbo, ætatis anno 53. Sepultus Albæ-Regali in Regum sepulchris. Reliquit filiolum, ab aliquot mensibus natum ex Isabella coniuge, filia Sigismundi Poloniæ Regis, sub tutela Georgij Episcopi Varadinensis, qui vocabatur *Monachus*, quòd fuisset Monachus S. Pauli Eremitæ, (non autem Benedictinus) vir profectò magnus, & dignissimus cui puer iste Rex committeretur, cuius regnum optimè administrauit, atque ex Ferdinandi manibus eripuit, tutelâ sapienter Soli-

mano commisſâ, à quo ſunt reiecti Legati, quos ad illum Ferdinandus, Hungariæ inhians, miſerat, *Paulus Iouius, Natalis Comes, Iſthuanffius, Io. Baptiſta Hadrianius, & alij.* Societas IESV anno ſuperiori, vt Inſtitutum Clericorum Regularium verbo duntaxat approbata, hoc anno 27. in feſto SS. Coſmæ, & Damiani confirmata eſt, Diplomate etiam Iudicio Cardinalis Guidiocionij, qui nouas Religiones admittendas eſſe denegabat, in hac autem ſicut & ipſe Pontifex, *Dei digitum* agnoſcebat, *Orlandinus lib. 2. & 3. & Pauli III. Conſtitutio* 48. Rex Luſitaniæ plus Religionis, quam Imperij ſui propagandi ſollicitus, petit à Pontifice, & S. Ignatio vt ſex minimùm eius Socij in Indiam mitterentur: ſed in tanta operariorum raritate miſſi Simon Rodericius, & S. Franciſcus Xauerius nobilis Cantaber, huiuſce ſæculi Thaumaturgus, qui ambo appulſi in Luſitaniam *Apoſtolorum* ſibi nomen fecēre, etiam eorum ſucceſſoribus relictum. Et Simone Rodericio in Luſitania hærente, S. Xauerius Indias petiit, in quibus tam multos in ouile Chriſti pertraxit, verbo, exemplis, miraculiſque potens, vt magni huius tractus *Apoſtolus* dici mereretur, *Orlandinus lib. 3. Turſellinus in S. Xauerij vita, & alij.*

Anno Chriſti MDXLI. *Caluinus Geneuam redit, ibique vſque ad obitum Calipham egit*, Sleidanus, ipſe Caluinus in Epiſtolis. *Menſe Iunio ad Caſtrum Heraldi Ioanna Regina Nauarræ deſpondetur Duci Cliuiæ, magno Ludorum apparatu*, Bellaius. Ferdinandus cum ingenti exercitu Budam obſidet, quæ detinebatur ab Iſabella Regina, & quam Georgius Monachus fortiter propugnauit, donec præfecti Turcarum, immò ipſe Solimanus in eius auxilium venit: tum grandis à Chriſtianis accepta clades 20. eorum millibus deſideratis, cum omnibus tormentis, & bellico apparatu, Solimanus ergo Puerum Regem accerſiit, & donis auctum remiſit ad matrem: iuſſit tamen tam matrem, quàm filium Hungariâ excedere, & ſe Tranſyluaniâ continere, iuramento firmans, ſe Hungariam Regi cùm adoleuiſſet, redditurum, *Belcarius, Iouius, Iſthuanffius, Neugebauerus, & alij.* Carolus V. Germaniam deſerit; fratrémque Ferdinandum Turcico implicitum bello, conſtituto Germanico *Interim*, vt pacis ſpecies in ea regione ſeruaretur, & ſuſcipit magno

gno apparatu Algerianam expeditionem. Appulit ergo ad hanc vrbem cum grandi classe, validóque exercitu, & sine dubio, eâ vrbe potitus esset, nisi in eum mare, cælum, & tempestates coniurassent. Tot enim imbres defluxêre, venti adeò atroces spirauêre, vt centum & triginta naues, cum 15. triremibus perierint; tam paucæ cymbæ superfuerint, vt vix transuehendis militibus sufficerent. Huc accessit cibariorum, atque tormentorum iactura; denique tanta accepta est clades, vt huic similem nullæ Historiæ à Christo nato suggerant, *Paulus Iouius, Nicolaus Vilgagnonius, Belcarius, Mariana, & alij. Franciscus I. iratus Carolo diuersis de causis, vt de denegato Principatu Mediolanensi, & maximè ob Rinconis, & Fulgosij cædem, quos Vastius in Padi transitu cædendos curarat, contra ius gentium, eum bello inuadere destinat. Excusare voluit factum suum Vastius, sed non potuit etiam à Scriptoribus gentis suæ damnatus; Rinco certè inuidiosum Legationis munus ad infideles susceperat; Fulgosius autem vir acer, & bellicosus Vrbis suæ Imperium affectare credebatur*, Martinus Bellaius, Alfonsus Vlloa in Vita Caroli, Hadrianius Florentinus, Mambrinus, & alij. Stephanus Gama Prorex Indiarum fratrem suum Christophorum Gamam misit in auxilium Claudij Æthiopum Regis aduersus Gradaametem Adelis, & Zeilæ Tyrannum, qui fretus auxilio Turcarum Æthiopes malè accipiebat. Ac primo quidem, alteróque certamine Lusitani cum Æthiopibus victores extitêre, sed tertio, quo auxilia Turcorum adduxit Gradaametes, fugati sunt, cum magna suorum strage, ipse captus Christophorus Gama saucius, primò virgis acerbissimè cæsus, demum ipsius Gradaametis manu capite minutus est, Martyr habitus ab Æthiopibus. Nec diu fructu victoriæ suæ vsus est Gradaametes. Dum enim se reficit ad Nili fluenta, Claudius suos, & Lusitanos ex fuga retractos in eum imparatum, & incautum duxit, cæsus Tyrannus, Mahumetani affatim cæsi, omnia tormenta bellica, & prædam perdidêre, quâ clade pax est Æthiopiæ concessa, *Maphæus Historiæ Indicæ lib. 11.* Santes Pagninus Lucensis, Dominicanus obiit Lugduni 24. Augusti, linguis Orientalibus excultissimus, *Sixtus Senensis*. Mortuus est & Salisburgi Philippus Theophrastus Paracelsus Medicus, 24. Sept.

in arte medica, vt à plerisque creditur, Hæreticus, *Bucholcerus, & alij.*

Anno Christi MDXLII. In Spirensi Conuentu expeditio contra Turcos decernitur, & committitur Ioachimo Electori Brandeburgico: sed ea malè cessit in Hungaria dissipato exercitu, Pestæ obsidio ex aduerso Budæ soluta est, efferatis barbaro facto cuiusdam Hispani Liscani in Petrum Perennium nobilem Hungarum contumeliâ, Hungaris, *Paulus Iouius, Isthuanffius. Caluini Institutiones in Gallia prohibentur à Senatu Parisiensi, sub grauibus pœnis, constitutis in Bibliopolas,* Decretum Senatus Parisiensis. *Franciscus I. bellum in Carolum V. decernit, & simul aggreditur Pedemontium, Comitatum Ruscinonensem, Ducatum Lucemburgensem, & Belgicas Prouincias: sed tantus belli apparatus, in varias partes dispersus, nihil egit quàm vt ostenderet Franciscum parum prudentem fuisse, & huic Carolo V. fuisse consilio, & prudentiâ superiorem,* Bellaius, Belcarius, Iouius., & alij. Henricus VIII. Catharinam Hauuardam adulterij apud Ordines accusatam, & conuictam capite multari iussit, cum suis adulteriis, & sextam vxorem ducit Catharinam Parram viduam; & inde se Regem Hiberniæ dixit, cùm anteà tantùm eius regionis *Dominus* appellaretur, *Sanderus lib. 1. de Schismate.* Bellum tunc exarsit inter Anglos, & Scotos, quod Iacobus Rex Scotiæ, ad Angliæ Regem vocatus accedere noluisset: Victus Iacobus in febrim incidit, ex qua obiit 13. Decembris ætatis anno 32. regni 30. non integris, relictâ filiâ Mariâ ante dies octo natâ: Iacobus Hamiltonius factus est regni moderator, cum Reginâ Mariæ matre, reluctante Cardinale Betonio Archiepiscopo Santandreano, qui id sibi muneris, ex Regia, vt aiebat, voluntate arrogabat. At enim facilitate Hamiltonij corrumpi Scotia cœpit; & dissentionibus quibus hoc regnum agitatum est, Matthæo Stuartio per Franciscum I. cum pecunia immisso, qui cum Hamiltonio contendit, & in his concertationibus pecuniam sibi datam impendit, *Leslæus, Buchananus, Sleidanus.* Paulus III. Concilium Tridentini indicit 22. Maij, & ad id omnes Christianos inuitat, *Acta Concilij.* Gaspar Cardinalis Contarenus obiit, Bononiæ 24. Augusti, Societati Iesu apprimè vtilis, & qui ex ea multum hausit pietatis, *Ioan. Casa*

in eius vita, Victorellus, & Vghellus in additionibus ad Ciacconium. Obiit & Romæ 1. Februarij Hieronymus Cardinalis Alexander, vir doctissimus, quondam Academiæ Parisiensis Rector, & præfectus Bibliothecæ Pontificiæ, qui in suis Legationibus, quas permultas fecit, nunquam munus accepit: obiit anno ætatis 61. diutiùs victurus, si medicamentis abstinuisset, quibus eius viscera corrupta sunt, *Paulus Iouius, Victorellus in additionibus ad Ciacconium.* S. Franciscus Xauerius Goam appellit 6. Maij, Legatus à Latere Pontificis dictus per Diplomata Pontificia, quæ cùm Alburquercio Episcopo Goano submisisset, plus ei profuère, quàm si eis vti summâ authoritate voluisset; vir doctrinâ, pietate, ac miraculis magnus, *Maphæus, Orlandinus Historiæ Soc. lib. 3. Turselinus in eius vita.*

Anno Christi M D X L I I I. Carolus V. filium suum Philippum annorum 16. Regem Hispaniæ renunciat, dátque ei vxorem Mariam Lusitanam sororis suæ filiam. Inde Genuam nauigat, vt hinc progrederetur in Belgium, quò reprimeret Ducem Cliuensem, victoriâ suâ elatum, quam mense Martio de Cæsarianis copiis retulerat, auxilio armorum Gallicorum. Hunc autem, appulsus in Belgium mense Septembri, deuictum petere veniam compulit, relinquere quem inuaserat Gueldriæ Comitatum, & fœderi Gallico renunciare, *Aliunde Galli aliquot oppida Cæsaris occuparunt; & Landrecium Cæsareo exercitu ingenti oppugnatum est; Nicia quoque capta à Turcis & Ænobarbo Algerij Rege, per Polinum, Gardiam, euocatis; arx tamen seruata, magno Francisci probro, qui tum Turcis defuit.* Intereà Solimanus, Quinqu'Ecclesias, Strigonium, Albam Regalem cepit egregiè munitas vrbes cum aliquot oppidis, *Sadoletus, Bellaius, Belcarius, Surius, Iouius, Isthuanffius, & alij,* Muleasses Rex Tunetanus pergit ad Carolum, Genuam accessurum, vt ab eo auxilia impetraret contra Turcos, & Ænobarbum: sed hìc audit filium Amidam ab eo defecisse, & occupasse regnum. Quare collectis raptim copiis redit Tunetum, commissóque prælio satis imprudenter, vulneratus & captus est, atque excæcatus cum aliis duobus liberis suis. Sed Amidam eiecit Thouarus Hispanus Goletæ præfectus, eiúsque loco Abdamelechum fratrem Muleassis sub-

ſtituit : hic autem obiit 36. pòſt die, ex morbo, eíque datus ſucceſſor filius Mahometes duodenis. At cùm eius Procuratores, regnum libidinosè, crudeliter, & auarè adminiſtrarent, reuocatus eſt à Tunetanis Amida, qui inimicos eſt vultus atrociter : fugit ad Hiſpanos Muleaſſes, *Surius in Commentariis; Iouius, Belcarius, & alij.* Hermannus Colonienſis Archiepiſcopus, ſpecie Clerum ſuum reformandi, Martinum Bucerum hæreticum Bonam Concionatorem inducit, & in auxilium inſuper Melanchthonem, & alios Hæreticos aduocat: reſtiterunt huic fortiter Colonienſes, atque ad Pontificem, & Cæſarem prouocarunt, *Surius, Rouerus Pontanus, & alij.* Pariſienſes Theologi 25. Capitibus Hæreſes huius temporis damnarunt, aduerſus quos Caluinus *Antidotum* ſcripſit, tum Genuæ ſecurus, & & huius vrbis Dominus, *Prateolus, Sleidanus, & alij.* Obiit hoc anno 9. Ianuarij Guil. Bellaius Langeus, frater Ioannis Cardinalis, & Epiſcopi Pariſienſis, atque Martini Hiſtorici, quo meliorem Ducem ſe non agnoſcere Vaſtius aſſerebat, *Iouius.* Ioannes Ekius acerrimus Lutheri hoſtis obiit Ingolſtadij, 10. Februarij, anno vitæ 57. & Albertus Pighius Kempis, *Iouius, Sadoletus, Tapperus, Bellarminus Poſſeuinus.* Prodière hoc anno Biblia Tigurina authore Leone Iudâ qui ex Iudæo factus Zuinglianus : hic cùm opus abſoluere non potuiſſet morte præuentus, vltimam manum huic adhibuit Theodorus Bibliander Heluetius, adiutoribus Conrado Pelicano, & Petro Cholino, quod opus etiam Lutherus grauiter improbauit, *Surius in Commentariis.*

Anno Chriſti M D X L I V. Ecclipſis Solis contigit 24. Ianuarij, pleno die, quæ totum hunc pœnè diem tenuit: viſæ ſunt Ecclipſes Lunæ quatuor, prima eodem menſe Ianuario, ſed non integra, aliæ duæ Iulio, & Nouembri omninò plenæ, quod raro accidere aſſerunt Aſtronomi, nec à Caroli Magni ætate. Habita ſunt Comitia Spirenſia, quibus interfuère Carolus V. Ferdinandus, cunctíque ferè Principes tam Catholici, quàm Proteſtantes, ad quæ etiam Pontifex miſit Legatum ſuum, precibus etiam indictis, & conceſſis Indulgentiis; *Acta Concilij Tridentini Archiepiſc. Aquenſis.* In his Comitiis Spirenſibus petiit Imperator au-

xilia ab omnibus Germaniæ Principibus, *Aduersus Franciscum I. contra quem multa dicta sunt, sed ea confutata sunt ab eius Legatis;* Præualuêre accusationes apud plerosque Germanos, quæ tamen non sunt auditæ ab Heluetiis, *Tom. 3. rerum Germanicarum Freheri. Ioannes Monlucius Episcopus Valentinus, vir doctissimus, & eloquentissimus in Senatu Veneto easdem diluit accuratè criminationes, ostendítque è re Christiana fuisse hunc Turcorum aduentum, qui aliter maiori damno in aliam partem Christianitatis detonuisset*, Blasius Monlucius in Commentariis. Barbarossa Francisci I. suasione, recepit sese, sed quâcumque transiit, regiones Carolo V. subiectas infestauit; abstinuit tamen à ditione Pontificia, quia sic Rex Gallus optabat, sic Polinius, eius perpetuus comes, præscribebat, *Iouius & alij.* In Conuentu Spirensi Imperator Volfangum Melchingum publicè inaugurauit Magistrum Teutonici Ordinis, quâ dignitate se indignum reddiderat Albertus Brandeburgicus lapsus in hæresim, & ductâ vxore, cui inaugurationi reclamauit Rex Poloniæ, quod tamen reiectum est. Ibidem Spiræ Carolus societatem iniit cum Regibus Angliæ, & Daniæ Hæreticis, in odium Francisci: quare si Rex Gallus labem inussit nomini *Christianissimo*, eandem saltèm illiuit nomini Catholico Carolus, cùm sic Hæreticis adhæsisset, *Belcarius, Surius, Pontanus, Sleidanus. Hoc anno commissa est pugna die Lunæ post Pascha 14. Aprilis ad Cerisolas propè Carinianum, quod obsidebat Franciscus Borbonius Anghuianus, frater Antonij Ducis Vindocinensis; cui Alphonsus Daualus Vastius Dux Cæsaris occurrit, tertiâ parte peditum superior. Rorarios ducebat Blasius Monlucius, qui in ea pugna egregiam nauauit operam, & pugnæ committendæ copiam à Francisco I. eloquentiâ suâ militari obtinuerat. Victi Cæsariani 12. millia perdidêre, Vastius vulneratus maturè fugit, ne pœnas lueret, ob occisos Regis Galliæ Legatos, capti bis mille quingenti Germani, Hispani 630. cum multis Ducibus, omnia arma, & bellica instrumenta; Galli tantùm ducenti cecidêre. Attamen captiuos omnes liberaliter dimisit Anghuianus; liberaliùs permutauit Duces, quibus rebus maximam sibi gloriam peperit, posteà miserabiliter cæsus dum in Gallia ludit.* Monlucius testis αὐτόπτης, Iouius, Belcarius, Cæsar Campana in Historia Philippi II. Langeus, & alij. *Cæsar, & Anglus*

inuadunt Galliam, & statuerant simul copias coniungere, Lutetiam obsidere, Franciscum ad decretoriam pugnam cogere, ac totam Galliam victores depopulari. In transitu ergo cepit Carolus Lucemburgum, Sandesiderium obsedit, diuturniori quàm putabat obsidione, & quâ non nisi dolo, & falsis litteris potitus est, deluso fortissimo propugnatore Comite Sancerrano. Eodem tempore Boloniam obsidebat Henricus VIII. Anglus., certus ab ea nisi capta recedere. His commotus Imperator 18. *Sept. pacem cum Francisco I. iniit, sed valdè implexam, & ex qua nihil boni expectaretur; edita est pax ista Crespiaci, vel, vt alij volunt, in Abbatia S. Ioannis de Vineis ad Suessionas, vbi tum Imperator habitabat; adscripta pax ista fuit Annæ Pisseleuæ*, de Pisseleu, *Stampensi, quam ab adolescentia Rex Franciscus in deliciis habuerat: at eâ pace comprehendi noluit Angliæ Rex, captâ Bononiâ deditione flagitiosâ Veruinij præfecti, qui ideò sub Henrico II. pœnas capite luit ignauiæ. Sed cùm obsideret Monstrolium per Ducem Norfolcium idem Henricus, recedere coactus est adueniente cum luculento exercitu Delphino Henrico*, Langeus, Belcarius, Belleforestius, Ferronus, Paulus, Iouius Nouocomensis Episcopus Nucerinus, qui in hac pace suam terminat Historiam libris 45. In Belgio animaduersum in Hæreticos, id curante Imperatore, *Surius, Sleidanus, Caluinus.* Pontifex Paulus III. indicit Concilium Tridenti, 15. Aprilis anni consequentis, *Acta Concilij.* Idem Pontifex misit Legatum suum in Scotiam vt Reginas consolaretur, ab Anglis vexatas, & vt impediret nuptias Mariæ Reginæ cum Principe Walliæ, ne religio damni aliquid pateretur; quæ nuptiæ sunt à Scotis reiectæ; vnde Henricus eos appetiit bello: *Verùm Franciscus I. misit Mongomerium Lorgium in Scotiam cum* 5. *millibus armatorum, qui iuncti Scotis Anglos repulêre*, incensum tamen fuit ab Anglis Edimburgum, seruatâ tamen arce, vnde hi reiecti, & posteà grandi acceptâ clade è toto regno expulsi, *Leslæus, Belcarius, & alij.* Sueciæ regnum fit hæreditarium in Comitiis Arosiæ celebratis, & addicta Corona familiæ Gustauiæ, *Chytræus Saxoniæ lib.* 16. In India ingens populorum est ad Christum facta accessio, S. Xauerio nauiter allaborante, *Maphæus, Orlandinus Histor. Soc. lib.* 4. *Tursellinus in vita S. Xauerij.* Theologi Louanienses Hæreticorum doctrinam, sub finem huius anni 32.

articulis damnant, quæ Carolus V. 14. Martij Bruxellis confirmauit, & acceptari; & prædicari per totum Belgium iussit, *Goldastus in Constitutionibus Imperialibus*; contra quos ineptissimè latrarunt Lutherus & Bucerus, sed vt canes aduersus Lunam, *Surius in Commentariis*.

Anno Christi M D X L V. Ecclipsis Solis hoc anno contigit die Martis 9. Iunij. Habitus est Imperij Conuentus Vormatiæ, cuius initio interesse non potuit Carolus V. podagrâ laborans, sed eius frater Ferdinandus; & cùm Protestantibus proponerentur commodæ ad pacem viæ, eas pertinaciter repudiarunt: nihil impetratum nisi vt anno sequenti fieret alter Conuentus Ratisponæ. Optabat & hic committere Doctores Theologos, cum Protestantibus, sed illi repudiarunt hanc disputationem, quam nouerant Catholicæ fidei semper nocuisse, cùm Conuentuum Acta homines mendacissimi semper corrupissent, *Cochlaus*. Hermanus Coloniensis vocatus est à Carolo V. Vormatiam, verùm id ægerrimè tulit Pontifex, atque hanc controuersiam sibi reseruauit. Quod autem Gropperus huius causa ab Hæreticis fingitur, commentum est, dignum capitibus heterodoxorum, *Rouarus Pontanus Carmelita*. Dux Brunsuicensis armis agens aduersus Saxonem victus, & captus est ab eo, & Landgrauio; qui simul coniunxerant vires, *Tomo 2. rerum Germanicarum*. Lutherus energumenam liberare volens à Dæmone, ferè ab eo strangulatus est, atque ægrè ex sacrario effugit fractâ securibus ianuâ, quam dæmon ita obturauerat, vt aperiri non posset: vbi tanto terrore perculsus est Lutherus, vt id fecerit, quod facere solent meticulosi, & vulpes cùm eas canes insequuntur, *Fridericus Staphylus* αὐτόπτης, *& tum Lutheri discipulus, Surius in Commentariis, & Genebrardus in Chronologia*. Nascitur Philippo II. Hispaniæ Regi Carolus, 9. Iulij, eiusque mater in partu obiit, *Mariana, & alij Historiæ Hispanicæ Scriptores. Carolus Aurelianensis designatus, propter nuptias in pace Crespiaca, Dux Mediolanensis, paulò post quàm salutasset Imperatorem in pestiferum delapsus morbum, morte peracerbâ extinctus est 8. Sept. defletus multùm à Gallis, sed longè magis à Mediolanensibus propter eximias animi, corporísque virtutes*, Langeus, Belcarius, Ferronus, Belleforestius, & alij, *Ioan-*

nes Minierius Oppeda, Præses Aquensis, Chassanei successor, pronunciatum Decretum in Hæreticos Merindolanos, & Cabrienses, Valdensium reliquias, armatâ manu exsecutus est, opem ei ferente Episcopo Cabellicensi, cùm aliquot eorum vici pertinerent ad Comitatum Venesinum: In eos acerbissimè sæuitum igne, atque ferro, non parcitum ætati, aut sexui, quod à multis est improbatum. Et verò causâ retractatâ in Senatu Parisiensi sub Henrico II. vnus Aduocatus Regius capite minutus est, cæteri iudices Aquenses absoluti. Eodem autem momento, quo sectum Aduocato caput Parisiis, visum est impressum Aquis Sextiis in eius vxoris manu, Belleforestius, Nostradamus in Henrico II. & alij. Dominica 3. Aduentus 13. Decembris inchoata est *Prima Sessio* Concilij Tridentini, quod tantum anno 1563. terminatum est, *Acta Concilij.* Maxima controuersia exorta est inter Cosmum Medicem Ducem Florentinum, & Pontificem, ob Dominicanos formam Regiminis Monarchici improbantes: qui à Duce admoniti, minùs paruerant. Eiecti sunt igitur Florentiâ, eorúmque Cœnobia Augustinianis assignata; sed Cosmus veritus iram Pontificis, & parata Ecclesiæ fulmina, rem in pristinum statum restituit, magnâ moderatione, atque pietate, *Hadrianius lib.3.*

Anno Christi MDXLVI. Mortuus est hoc anno Martinus Lutherus 18. Febr. Islebij in patria sua anno ætatis 63. ex crapula; vti creditum est, cùm pridie, & pransus esset oppiparè, & cœnasset lautiùs: sepultus est magnificentissimè, deductúsque quasi triumphali curru Wittembergam, eius pellice & tribus filiis cum magna equitum peditúmque turba, funus eius cohonestantibus, creditus à suis vti Sanctus eiúsque turpes, & fœtentes reliquiæ asseruatæ, *Cochlæus, Florimundus Remondus, &c.* II. Sessio Concilij Tridentini celebrata est die Iouis 7. Ianuarij in qua decretus est viuendi modus. III. Sessio die Iouis 4. Februarij. Sessio IV. die 8. Aprilis in qua emissum decretum de Libris Scripturæ Canonicis. Sessio V. 17. Iunij, vbi actum de peccato originali, & Verbi Dei prædicatione, receptus Petrus Danesius Orator Francisci I. *Acta Concilij.* Mortuus est hoc anno Marchio Vastius addictus Carolo V. vltra aras, apud quem calumniis oppressus, audiens sibi præfecturam abrogandam

rogandam esse & dandam Ferdinando Gonzagæ Mantuano, morbo insuper afflictus interiit, atque imminens certúmque vitauit dedecus, *Ripamontius lib. 7. Historiæ Mediolanensis.* Fridericus Palatinus Rheni fit Lutheranus, euocato Hidelbergam Paulo Fagio, *Surius in Commentariis, & Sleidanus.* Celebratum Colloquium Ratisponense 27. Ianuarij, cœptáque disputatio 5. Februarij, quod turpi fugâ Protestantium terminatum est, *Rouærus Pontanus, Surius, Cochlæus, & alij.* 16. Aprilis Pontifex excommunicat Hermannum Coloniensem Archiepiscopum, ob præuaricationem, & hæresim: quæ excommunicatio non est approbata à CaroloV. qui & ad eum scripsit, ille ad Carolum vicissim, & ad legitimum, vt aiebat, Germaniæ Concilium appellauit, *Bulla Pauli III. & Litteræ Caroli & Hermanni.* Imperator Carolus V. 20. Iulij, Ioannem Fridericum Ducem Saxoniæ, & Philippum Landgrauium Hassiæ rebelles denunciat, atque proscribit, itémque alios Scalmaldici fœderis Procerés, & exercitum in eos paratum committit Duci Albano Ferdinando Aluaro Toletano. Ac principiò Cæsareus exercitus impar Lutherano, se continuit munitioribus locis: sed cûm auxilia vndique venissent Imperatori, & ex Belgio, & à Pontifice, sensim diffluxit iste Protestantium exercitus; & quamquam hi pacem optarent, eam tamen iis negauit Imperator, nisi duris conditionibus. Tum autem Palatinus Rheni, eorum auxiliator, accidens ad eius pedes & veniam petens, eam tantùm grauiter increpitus obtinuit, *Lambertus Hortensius Monfortius, Ludouicus ab Auila, Sleidanus, Belcarius, Surius, & alij.* VII° *Iunij pax inita est inter Franciscum I. & Henricum VIII: reddita est ab Anglis Bononia, & arces in eius agro extructæ, cum omni bellico apparatu; à Francis octingenta aureorum millia, octo solutionibus, intra totidem annos: quo etiam tractatu Scoti comprehensi: nihilominùs continuatum inter eos, & Anglos bellum, Scotis funestum,* Bellaius, Belcarius, Tillius, Leslæus, Buchananus. Dauid Betonius Cardinalis Arch. Santandreanus cæsus est 30. Maij, sicariis immissis à Normano Leslæo Comitis Northusiæ filio, ob aliquod dissidium quod inter eum, & Cardinalem intercesserat: cæsus autem in proprio cubiculo, atque è fenestra in purpureo habitu suspensus; accessisse creditur &

alia causa quòd Visquertum quemdam, seu Sephocardium infamem hæreticum comburendum curasset: quare & creditus est Martyr, & eius sanguis ad fenestram, nullâ arte potuit obliterari, *Dempsterus in Martyrologio Scotico, Leslaus, Buchananus.* Vrbs Diu iterùm obsessa in India à Sophare Chio fidei desertore, nomine Mamudei Cambaiæ Regis, Nepotis Badurij, à Lusitanis aliàs necati. Hanc arcem seruauit Ioannes Mascarenias, defendítque constantissimè 7. ferè mensibus, multis hostium cæsis, atque ipso Sophare, cui filius Rumecam successit. At tandem adfuit Io. Castrius Indiæ Prætor 11. Nouembris, (primus Prorex Indiæ dictus, vt quidam putant) in eius auxilium, & nobilem de Barbaris retulit victoriam ope B. Virginis quæ hostium oculos hebetauit; cæsi hostium 4. millia, vix sexaginta Lusitani, vrbs eodem impetu capta, in quam atrocissimè sæuitum, non ætati, non sexui, non animantibus parcitum, *Damianus, Goësius, Iacobus Teuius, Maphæus, & alij.* Missus hoc anno à Carolo V. vt litem inter Pizarros, & Almagros componeret Petrus Gasca Iurisconsultus, vno tantùm famulo stipatus, qui prudentiâ suâ pacem intulit pecuniæ, rebellibus omnibus victis aut sublatis, armis minùs quàm sagacitate, *Vlloa in vita Caroli V. Natalis Comes, & alij.*

Anno Christi M D X L V I I. V I. Sessio Concilij Tridentini celebrata est 15. Ianuarij, quando promulgatum decretum de Iustificatione, item & de residentia. V I I Sessione 5. Martij, emissum Decretum de Sacramentis, & Beneficiorum collatione. V I I I. Sessione 11. Martij actum de transferendo Bononiam propter pestem Concilio. I X. Sessione Bononiæ ab iis qui eò secesserant (quidam enim Tridenti remansêre) 21. Aprilis prorogata Sessio, quia multi aberant Præsules, & quæstiones nondum satis paratæ & excussæ, quod & factum, *Acta Concilij.* X. Sessione 14. Septembris Petrus Ludouicus Franciscus Dux Parmæ, atque Placentiæ, à suis subditis, quos offenderat, animatis, prætereà maleuolo in eum Caroli V. animo, in arce Placentiæ 10. Sept. cæsus est, eiúsque corpus petulantiæ plebis expositum, statim Ferdinandus Gonzaga Præfectus Mediolanensis successor Vastij, Placentiam occupauit; ægrè

Parma Pontifici seruata est. Quidam huius cædis conscium faciunt Carolum V. qui nunquam consenserat donationi Pontificiæ duarum harum vrbium, pro Camerino, & Nepeto, quòd Parmam, atque Placentiam membra esse Ducatus Mediolanensis contenderet, *Natalis Comes*, *Folieta*. Tum autem Bononiæ cessauit Concilium, qua in Vrbe nihil decretum, tum ob mœrorem Pauli III. de nece filij sui, tum quòd Carolus non probaret eius Tridento Bononiam translationem, *Onuphrius in vita Pauli III.* Vlricus Wirtembergicus addictus fœderi Scalmaldico, orante pro eo Friderico Palatino, reconciliatus est Imperatori, quem multi alij Proceres, multæque ciuitates imitatæ sunt. Neque tamen Elector Saxonicus despondit animum, sed cùm eripuisset aliquot oppida Ferdinando, & Mauritium patruelem suum omni suâ ditione exuisset, quòd à Carolo staret. Eum autem inuasit Imperator cum hoc Mauritio, Ferdinando, & Marchione Brandeburgico, superatóque mirabiliter Albi fluuio conceptóque zelo ob Crucifixum in capite ab Hæretico hoste vulneratum, atque eum assecutus ad Mulbergam propè Syluam Lochanam, dum Witembergam se recipit, 24. Augusti coëgit prælium committere. Nouem horis acerrimè dimicatum, Saxo partes non Imperatoris modò, sed & militis obiit, & vulneratus in mala captus, oblatúsque ab Albano Duce Carolo V. à quo minùs benè susceptus est quàm vtriusque ratio postulabat. Portenta multa iactantur in hoc prælio vt Aquila visa Cæsarij castra circuire, nebula occultans Saxonibus Caroli aduentum, productus dies ad plenam victoriam, vt tempore Iosue, quæ pauci eruditi credunt: cæsi tantùm 50. equites ex Catholicis; peditum millia duo ex Protestantibus, equites 500. statim Carolus Witembergam perrexit, vbi capitis sententiam in captiuum tulit, quæ tamen mutata est, orantibus Ioachimo Brandeburgico, & Cliuensi Duce, in has conditiones durissimas, vt renunciaret suo, & liberorum nomine dignitati Electoris, Witembergam & Gotham arbitrio Cæsaris relinqueret, multum auri persolueret, bona omnia perderet, præter annua 50. aureorum millia; denique permaneret in Caroli, eiúsque filij potestate. Accepit has conditiones Saxo, quæ ad religio-

nem ſpectabant nunquam acceptare voluit ; quæ Cæſar non magni fecit. Parabat Carolus inuadere Haſſiam, ſed Brandeburgenſis Marchio , & Mauritius Landgrauium Imperatori reconciliarunt his conditionibus, peteret à Cæſare veniam prouolutus in genua , liberaret Henricum Brunſuicenſem cum ſuo filio, 150. aureorum millia penderet, pareret conſtituendæ mox Cæſaris Cameræ ; aliunde Cæſar liberabat eum à proſcriptione, & ſupplicio quod erat promeritus, ne eum carcere retineret: cùm ergo libertatem expectaret , detentus eſt , quoniam Albanus, & Granuellanus, duabus literulis germanicè *carcerem* ἁπλῶς, *in perpetuum carcerem* mutauerant , quod ingratiſſimum accidit fœderis ſequeſtribus Mauritio, & Ioachimo, & deinde magnarum turbarum cauſa fuit. Tum creatus eſt Elector, Saxoni loco, Mauritius: abducti ſunt in Brabantiam à Carolo , Saxo, & Langrauius , quingenta bellica tormenta abducta ex Germania, quæ Mediolanum, Neapolim , in Belgium, & Hiſpaniam , ſunt traducta, etiam frementibus Catholicis, quòd armis ſuis tantum patriæ ſuæ nocuiſſent, *Alfonſus Henriquez qui prælio interfuit, Epiſt. Princip. To. 3. Natalis Comes Auila, & omnes penè Europæ Scriptores.* Comitia Auguſtæ Vindelicorum celebrata 1. Septembris, in quam vrbem ingreſſus Imperator triumphans Iulio exeunte, diſpoſitis vndequaque militibus : reuocata in hanc vrbem religio Catholica, expulſa Lutheri Secta, quæ hîc tantùm vigebat: apparuerunt hîc Noui Electores Mauritius Saxoniæ & Adolphus Colonienſis Arch. quem Hermannus excommunicatus à Pontifice, & proſcriptus ab Imperatore, ſibi ſubſtitui paſſus eſt, ne regio armis deſolaretur ; ſícque reſtituta religio, quam hîc Bucerus propè euerterat ; *Acta. horum Comitiorum.* Genuæ inita coniuratio à Ioanne Ludouico Fliſco Lauiniæ Comite, natalibus clariſſimo atque in primis magnanimo, itémque à IulioCibo ex nobili familia prognato, & aliis aduerſus Andream Auriam, qui cædendus erat, & Reſpublica exuenda libertate. Sed detecti qui conſpirarant ſupplicio ſunt affecti, *Carolus Sigonius in vita Auriæ, Hubertus Folieta, Iacobus Bonfadius in Annalibus Genuenſibus à 1528. ad 1550.* Tumultus grauiſſimus concitatus eſt Neapoli propter Inquiſitionem quam Petrus Toletanus

Prorex in eam volebat inducere; & semel & iterùm renouata dissensio, quâ ad arma ventum est, displosa in ciues ex Arcibus tormenta, vitæ periculum adiit Prorex; at hæc sapienter à Carolo V. sopita, mulctatis terrore potiùs, quam damno tumultuum authoribus, *Mambrinus Histor. Neapol. lib. 4. Vlloa in vita Caroli V. & alij.* Henricus VIII. Angliæ Rex obiit 28. Ianuarij annos natus 57. cùm annis 37. regnasset cum 9. mensibus, & diebus sex: vir ingenio, & criminibus magnus, & cuius libido nulli regno magis, quàm Anglicano constitit. In extremis positus agere voluit cum quibusdam Episcopis de sua cum Sancta Sede reconciliatione; sed hi veriti ne eos tentaret, vt perderet, sicuti aliis contigerat, omnes tacuerunt, nec quod sentirent ausi sunt aperire, præter Stephanum Gardinerum Episcopum Vintoniensem, qui ei sapienter quid agendum esset exposuit, verùm eius monitiones à parasitis, & adulatoribus explosæ sunt. Iussit tamen paulò antequàm moreretur Missam solemni ritu celebrari, in æde S. Francisci quæ post euersum Cœnobium clausa remanserat Communicauit & paulò ante mortem sub vnica specie, vti semper fecerat, & magno, vti præ se ferebat, sensu pietatis, atque demissionis. De hæredibus suis ita statuit vt Eduardus primo loco ei succederet ex Semeira natus, deinde Maria ex Catharina, denique Elizabetha ex Anna Bolena. Successit ergo Henrico Eduardus annos natus 9. cum aliquot mensibus, qui ad Schisma Patris adiunxit hæresim Lutheranam, artibus Auunculi sui Eduardi Ducis Sommerseti, & Thomæ Crammeri Archiepiscopi Cantuariensis, conniuentibus Episcopis Catholicis mollioribus, vnâ Mariâ fortiter obsistente, *Sanderus de Schismate Anglicano.* Petrus Vermilius Martyr tum venit in Angliam, & Academiæ Oxoniensi præfuit, litteras sacras interpretatus: fuit is Florentinus Canonicus Regularis S. Augustini; qui corruptus cum aliquot sociis suis, ad Hæreticos transiit, magnus concionator, & post Caluinum Heterodoxorum primus, *Florimundus Remondus, & alij.* Socius eius Apostasiæ fuit Bernardinus Ochinus Capuccinus corruptus, vt Vermilius, à Ioanne Valdesio, Iurisconsulto Hispano Lutherano, & qui multos suis concionibus, atque sermonibus corrupit: præcipuus fuisse cre-

ditur author tumultuum Neapolitanorum de Inquisitione, *Annales Capuccinorum, Thomas Costus supplemento ad Mambrinum; & alij.* *Franciscus I. obiit Rambulieti*, Ramboüillet, 30. *Martij annos natus 52. cum 6. mensibus, & diebus 19. cùm regnasset annis 32. & tribus ferè mensibus, parens litterarum dictus, ob singularem in eruditos viros amorem, quod ei plurimum profuit. Quamquam enim in eo multæ virtutes eluxerint, multa tamen perspecta sunt vitia, quæ suis laudibus, & scriptis viri docti deterserunt. Successit patri Henricus II. inauguratus Rhemis 29. Iulij, monitis salutaribus instructus à patre, quæ ipse minùs seruauit. Statim enim Annebaldum Archithalassum ipsi commendatum à Francisco, & cui hic moriens ob integritatem, 100. librarum millia legauerat, & Cardinalem Turnonium, exquisitissimi iudicij virum, à se remouit, reuocauit Monmorantium stabuli Comitem, & Maiorem Domus, à quo regebatur, sicut à Diana Pictauensi, vxore quondam Ludouici Brezæi magni Normanniæ Seneschalli, quæ eum philtris credita est sibi deuinxisse. Permisit initio regni sui singulare certamen illustre inter Cabotium Iarnacium, & Franciscum Viuonum Castaneum, cui ipse interfuit apud S. Germanum, in quo cæsus, cui Rex fauebat, Castaneus, victor renunciatus Iarnacius; vnde Rex tantùm doloris concepit, vt iurauerit, se nunquam illiusmodi certamina permissurum*, Belleforestius, & omnes Historiæ Francicæ Scriptores. Mortuus est 18. Ianuarij annos natus 77. Petrus Bembus Cardinalis, quondam Leoni X. ab Epistolis, qui vectus equo, offendens ad parietem ex leui vulnere in febrem incidit, ex qua interiit, *Sansouinus, & Ioannes Casa in eius vita.* Item interiit mense Octobri septuagenarius Iacobus Sadoletus eloquentissimus Cardinalis Episcopus Carpentoratensis, cuius extant scripta omni laude maiora, *Antonius Florabellus in eius vita. Item Franciscus Vatablus Ambianensis, vulgò* Watebled 16 *Martij, cuius scripta corrupisse conuictus Robertus Stephanus Typographus Regius, aliunde Hæreticus, qui fugit Geneuam, subreptis Regiis Characteribus: huius imago flaminis publicè tradita est*, Genebrardus, & alij; *Eodem die 16. Martij mortuus est Iacobus Tussanus Rhemensis Græcæ linguæ Professor, eodem quoque die cooptatus cum illo in Collegium Regiorum Professorum.* Beatus quoque Rhenanus multorum Librorum illustrator obiit 20. Maij Argentorati, anno suo climaterico & Conradus Peu-

tengerus Auguſtanus Iuriſconſultus ætatis 82. Decemb. 28. *Bibliothecarij*. Ferdinandus Corteſius Nouæ Hiſpaniæ conditor ætatis ſuæ 63. die 2. Decemb. obiit Caſtelleiæ in Mexico cùm hanc regionem & viciſſet, & optimè ordinaſſet, & rexiſſet ſapienter, *Hiſtoria Noui Orbis*. Petiit Chriſtophorus Cardinalis Tridentinus miſſus à Carolo V I. vt Concilium Tridentinum reuocaretur : receptus Cardinalis Guiſius, poſteà dictus Lotharingius, & auditus perorans egregiè annos natus 24. conſultatum vtrùm voluntati Imperatoris acquieſceretur de transferendo Concilio Bononiâ Tridentum, *Belcarius*, *& alij qui de hoc Concilio ſcripſerunt*.

Anno Chriſti M D X L V I I I. Imperator Carolus V. Auguſtæ Vindelicorum in Comitiis promulgandum curat ſuum *Interim*, quem meliùs Catholici *Interitum* Religionis appellarunt, à Pontifice & Catholicis omnibus reprobatum, ob duo potiſſimùm capita, de coniugio Presbyterorum, & de communione ſub vtraque ſpecie Laïcis concedenda. Neque admiſſum fuit à Proteſtantibus, quos Carolus pœnis ſubiecit, itaque paſſim ſcripti libri aduerſus iſtud *Interim* à Catholicis & hæreticis, ſed hi de more inter ſe depugnarunt, vnde natæ ſectæ, *Adiaphoriſtarum*, id eſt, *indifferentium*, ſeu *interimiſtarum*, qui & dicti *molles Lutherani* (quorum caput fuit Philippus Melanchthon) & *Rigidorum Lutheranorum*, quibus præfuit Matthias Flaccus, ſeu Flaccius Illyricus dictus, quia ortus erat ex oppido Illyrici Albona, qui tum annorum 28. erat, ſed eruditus, & ardentiſſimi ingenij Atenim Interimiſtæ, iterùm in tres factiones diſtributi, in *Cæſareos*, qui Lutherum execrabantur, niſi in vſu Calicis & connubio Sacerdotum; in *Lipſicos*, à Lipſia Vrbe Miſniæ, qui aliquid in Cæſareo emendarunt, & aliquid de Lutheri placitis detraxerunt, & *Francicos* Marchionis Alberti concionatores, qui in Lipſico etiam aliquid immutarunt, *Surius in Commentariis*, *Hoſius & Lindanus in tractatibus de hæreſibus*, *Prateolus*, *Reſcius*, *& alij*. Die Paſchatis 1. Aprilis obiit Sigiſmundus Poloniæ Rex annos natus 72. cùm 42. annis regnum prudenter, & iuſtè adminiſtraſſet. Cui ſucceſſit filius Sigiſmundus Auguſtus, iam ante annos 18. anno eius decimo à Polonis electus, & inauguratus in regni ſucceſſorem, *Staniſlaus Orikonius*, *&*

Martinus Cromerus Episcopus Varmiensis in Sigismundi Oratione funebri, & vita. Mauritius 24. Februarij in Comitiis Augustanis solemni ritu Elector inauguratur; quam celebritatem etiam spectauit ex fenestra generosè Ioannes Fridericus, eâ dignitate exutus, *Sleidanus, Natalis Comes, Scardius.* Protector Angliæ vt faciliùs Catholicam abrogaret fidem compingit in carcerem Stephanum Gardinerum Episcopum Vintoniensem, Cuthbertum Tonstallum Episcopum Dunelmensem *de Durham*, Edmundum Bonetum Londinensem, itémque Cicestrensem, & Vigorniensem Præsules, sibi obsistentes, excitatus maximè epistolâ Caluini admonentis, vt ferrò ageret aduersus eos, qui Religionem Antichristi (sic vocabat Papam) tuerentur, *Sanderus lib. 2. de Schismate.* Maria Stuartia Scotiæ Regina mense Augusto deducitur in Galliam locanda coniugio Franciæ Delphino: missa & Francorum auxilia in Scotiam, quibus repressi per Dessium; & eius successorem Thermeum Angli victores Scotis insultantes, eísque multa erepta oppida, quæ occuparant, *Leslæus, Buchananus. Antonius Borbonius, Dux Vindocinensis Molinis 20. Octobris, ducit vxorem Ioannam Alebretam filiam Henrici Regis Nauarræ, & Margaretæ Valesiæ, ex quo natus est Henricus Magnus, per quem regnum Franciæ in domum Borboniam transiit*, Belcarius, & alij. *In Aquitania, & Burdegalæ potissimùm magna est seditio concitata ob vectigal Salinarium, & extraordinaria tributa; propter quæ multi exactores vel cæsi sunt, vel egregiè vapularunt; quibus turbis dum obsistere conatur Tristanus Monenius Antonij Borbonij Legatus, trucidatus est, laceratus, salitus, & in cœnum proiectus. Ad hos motus comprimendos missi cum exercitu Monmorantius, & Dux Aumallus, posteà Guisius, cum luculentis copiis, quæ per muri labem subierunt: vrbs omnibus suis priuilegiis exuta, campanæ seditionis indices sublatæ, Senatus quia mollior, exauthoratus, cadauer Monenij, erutum vnguibus ciuium, & magnificè tumulatum à Decurionibus, Primarij ciues 120. iussi cum funalibus nudo capite, & 50. millia ciuium cum cereis ei parentare, reliqui coram Comitis-stabuli domo misericordiam coacti flexis genibus implorare, & gratias agere, quòd tam miti supplicio mulctarentur: sic eis indultum, & aliis populis, qui fuerant tumultati, facilitate Francis Regibus innatâ*, Belleforestius, Belcarius,

carius, & omnes Francici Scriptores. Exercitia spiritualia S. Ignatij, postulante Francisco Borgiâ Duce Gandiæ, à Paulo III. approbata sunt, & commendata vltimo Iulij, magno fructu Christianitatis. Hic Dux Gandiæ viso cadauere coniugis Caroli V. olim pulcherrimæ, posteà ad horrorem deformi, excitatus ad pietatem, relicto sæculo factus est tertius Societatis IESV Generalis, in Beatorum album posteà relatus, *Orlandinus in Historia Societatis, vita B. Francisci Borgiæ, Bulla Pauli III. &c.* Solimanus mouet in Persas, & eorum Regem Thammasum, cum 350. hominum millibus, vel, vt alij volunt, cum 200. millibus. Turcæ aiunt rediisse, nullâ re gestâ, sed multis suorum lue consumptis; Persæ victum esse auxilio Lusitanorum cum tormentis bellicis, & amisisse 130. millia, etiam Solimano vulnerato, & qui rediens magnam copiarum partem amiserit, & hanc cladem Turcis antequàm Constantinopoli exirent prænunciatam fuisse, Lunâ cruore faciem obductâ, *Annales Turcici, Leunclauius, Maurocenus Venetus lib.* 7.

Anno Christi M D X L I X. Sommersetus præfectus Angliæ fratrem suum Thomam, virum Catharinæ Parræ relictæ Henrici VIII. 20. Martij cædi curat, cuius auditâ morte Catharina expirauit. Inde tumultus orti in Anglia, quibus vsus Henricus II. Castella & arces circa Bononiam occupauit, hanc vrbem in magnas redegit angustias; quamobrem Io. Comes Waruicensis, Sommersetum in carcerem compingendum curauit 14. Octobris, in quo 4. mensibus vixit, iterúmque inclusus, ac dimissus, tandem capite minutus est, *Anglicæ Scriptores Historiæ.* Synodi celebratæ sunt in Germania Coloniensis ab Adolpho, Moguntina à Sebastiano, Treuirensis à Ioanne Archiepiscopis, *In Tomis Conciliorum. Henricus II. 10. Iunij Catharinam Mediceam coronandam curat, & post publicam supplicationem 4. Iulij renouat edicta sua in hæreticos. Item fœdus renouat cum Heluetiis quibusdam, non tamen omnibus, & non cum iis quos religio impediit,* Historiæ Gallicæ Scriptores, *Margarita Regina Nauarræ Soror Francisci I. obiit Adosij in Bigerronibus 21. Decembris, anno ætatis fermè vndesexagesimo, egregia fœmina, quæ ab hæreticis tantum non in præcipitium inducta, sed sapienter retraxit pedem, dicta 10ª Musa & 4ª Charis, ob egregias*

corporis, animíque dotes, Florimondus Remondus lib. 7. cap. 4. de origine Hæreſeos. *Huc pertinent initia Theodori Bezæ Vezelienſis, qui pæderaſtiæ accuſatus, vendito Beneficio ſuo pluribus emptoribus, fugit Geneuam, in Sentinam Apoſtatarum*, Florimondus Remondus, Vita Bezæ, & alij. Obiit Paulus III. 10. Nouembris annos natus 82. cùm annis 15. & 28. diebus ſediſſet in Petri Sede; moriens dixiſſe fertur (quod multi Pontifices dicere debuerunt) illud Pſalmi 18. *Si mei non fuiſſent dominati, tunc immaculatus eſſem, & mundarer à delicto maximo, Vita Pauli III.* In Conclaue ingreſſi Cardinales ſtatuebant eligere Reginaldum Polum Anglum Cardinalem, ſed modeſtiſſimè hic dignitatem tantam recuſauit: at cur vltrà non pergerent impediit tantùm moroſitas Petri Caraffæ Cardinalis Theatini, qui ſuſpicionem Lutheraniſmi in ſancto hoc homine, conſiderandam putauit, *Hadrianus lib. 7.* S. Franciſcus Xauerius Iapponiam ingreditur, & primùm peruenit Cangoximam primariam regni Saxumæ, patriam Angeri, qui dictus eſt Paulus à S. Fide, 15. Auguſti, vbi primùm Chriſti fidem annunciauit, indéque Meacùm tranſgreſſus primariam Iaponiæ Vrbem, diſputationibus, miraculis, & patientiâ illuſtris, ſementem Euangelij hìc diſſeminauit, quæ poſteà vberes fructus protulit, ſed multo ſanguine irrigatos, *Orlandinus, Sacchinus, Maphæus.*

Anno Chriſti MDL. Ioannes Maria de Monte Cardinalis creatur Pontifex 8. Februarij, dictus Iulius III. coronatus 22. eiuſdem menſis, poſt duos dies portam Iubilei Sanctam recluſit, atque iterùm inſtitutum SOC. IESV confirmauit. Prohibuit legi hæreticorum libros, & indixit continuationem Concilij Tridenti in 1. Maij ſubſequentis, *Conſtitutiones Iulij III. Orlandinus Hiſt. Soc. lib. 10. Acta Concilij Tridentini.* Mauritius Elector Saxoniæ, nihil ampliùs à Cæſare expectans, ea profert, quæ Religionem Catholicam & Concilium turbarent: Gerit bellum atrox in Magdeburgenſes, & eorum Vrbem obſidet ineunte Octobri, quæ obſidio in annum ſequentem durauit, finiítque datâ pecuniâ, & duris aliquot acceptis conditionibus, *Sebaſtianus Belſemeierus, Sleidanus, Thuanus.* Carolus Imperator bellum Aphrodiſienſe committit Ioanni Vegæ Siciliæ Proregi, & Andreæ Do-

ciæ. Nam Dragutes Raïsus Aphrodisium nunc dictam *Africam* in regno Tunetano, cum aliquot aliis vrbibus occuparat & munierat; sed hinc expulsus est tertio pòst obsidionis mense magnâ hostium clade, multísque captiuis, ac prædâ receptis, at victoriâ in primis cruentâ, *Io. Christophorus Caluetus Stella, Bosius, Natalis Comes.* Affinitatem inter se contrahunt, depositis odiis, & firmant per matrimonia Sommersetus, & Waruicensis: *Videbant enim rem Anglicam ad Bononiam, & in Scotia virtute Thermei defluere: Itaque pacem cum vtroque regno sanciuêre, is conditionibus, vt Angli Bononiam redderent, & arces ab iis in Bononiensi agro extructas, cum omni bellico apparatu, Franci quadringenta aureorum millia duabus solutionibus dependerent; quæ pax vtrique populo vehementer placuit, ob interrupta diu commercia. Iacta quoque tum semina belli inter Henricum & Carolum, quæ anno insequenti tristes fructus peperêre*, Belcarius, Belleforestius. Reuersus est in Hispaniam hoc anno, rebus in Peruuia sapienter, & fortiter compositis, Petrus Vasca cum magna vi auri, ipse tamen inops, cùm ditissimus inter tot thesauros esse potuisset, & cum eodem, quod intulerat pallio, nisi magis detrito: qui paulò pòst factus est Episcopus Palentinus, & deinde Seguntinus, *Vlloa in vita Caroli V. Natalis Comes, Thuanus, & alij.* Andreas Alciatus Mediolanensis 12. Ianuarij obiit Ticini anno vndesexagesimo: *Sicut & Eguinarius Baro Leonensis Armoricus 22. Augusti, Biturigibus*, magni ambo Iurisconsulti, ac pænè Iuris reparatores. Item mortuus est Io. Pierius Valerianus Virgilianis lectionibus, quàm suis Hieroglyphicis illustrior, *Bibliothecarij.*

Anno Christi M D L I. Tridenti Sessio X I. celebrata est 1. Maij, vbi actum de prosecutione Concilij. Sessione XII. 1. Sept. Litteræ Regis acceptæ ab Amioto, in quarum titulo nomen *Conuentus* pro *Concilij*; magnas turbas excitauit. Sessione X I I I. 11. Octobris decretum emissum de Eucharistia: Sessione X I V. 28. Nouembris actum de Pœnitentia, & extrema Vnctione, *Acta Concilij.* Iulius I I I. iunctus Imperatori Octauium Farnesium Parmæ Ducem aggreditur, *Cuius patrocinium suscepit Henricus I I. & misit in eius auxilium Petrum Strozzium Florentinum, & Horatium Farnesium, Octauij fratrem, & Regis generum ductâ eius filiâ nothâ,*

item Blasium Monlucium , ibique gestum est bellum , Gallis ferè semper praualentibus. Eodem tempore Franciscus Cliuius Dux Niuernensis , præfectus Campaniæ Belgium aggrediebatur versus Lotharingiam , & Antonius Vindocinensis Hannouiam, & Flandriam, Gallicæ Historiæ Scriptores, Belcarius, &c. *Eodem tempore fœdus inibatur periculosius Carolo V. videlicet Henrici II. cum Protestantibus Germaniæ, licèt id visum sit turpissimum , vt Hæreticis faueret in Germania , cùm eorum fratres in Gallia flammis addiceret. Sed quid agas ? sic Religionem Principes nundinantur. Agebatur de liberando Lantgrauio Hassio ; itaque ictum fœdus, vt Henrico cederent Cameracum, Virdunum , Tullum, Metæ, immò & Argentoratum, si Henricus his potiri posset : quod inchoatum hoc anno sequenti, mense Ianuario confirmatum est*, Guicciardinus , & alij Gallici Scriptores , & Germani. Turcicum quoque bellum exarsit, cuius causam Carolus atque Ferdinandus dixêre Henricum II. cùm tamen eius author vnus Ferdinandus extiterit, oppidis aliquot receptis , quæ olim Turcæ occuparant. Immissis ergo à Solimano classis Ducibus Sinane Bassa , & Dragute, quæ factâ in Siciliam excensione Augustam vrbem expilauit, & incendit ; Melitam tentauit, sed frustrà, Gozum vicinam diripuit ; inde traiecit in Africam , ac Tripolim acerrimâ oppugnatione ad deditionem compulit Augusto mense , *Belcarius, Bosius , Belleforestius.* Georgius Monachus industriâ suâ modò in Turcam, modò in Ferdinandum propendens, pupilli sui ditionem tueri conabatur. Ferdinandus ergo sibi ab eo timens , eum impiè cædi curauit per sicarios & proditores 18. Decembris septuagenarium, in Rincio Castro , in quo degebat. Id autem Castrum ædificarat Georgius , in eodem loco , vbi Cœnobium fuerat , quod cùm dirueretur, eius Præfectus tunc præcinuit, quæ posteà peracta est, cædem : Georgij morte, cœpit in Transyluaniam hæresis irrepere, quam hic Præsul diligenter arcuerat, *Natalis Comes, Isthuanffius, Flauius Ascanius Centecius.* Hoc denique anno Cazanum ciuitas, Metropolis regni cognominis, quæ defecerat à Basilio Magno Duce Moschorum, ab eius filio Ioanne Basilide bello acerrimo vexata, tandem vi tormentorum , & frequenti impressione capta est cum arce ; magna ciuium

pars Baptiſmo eluta; qui recuſarunt, aut minuti capite, aut aquis obruti; ſed coactorum iſtorum pars magna ad idola rediit, præcipui Ruthenico Schiſmate impliciti Chriſtum coluêre, *Guaguinus in Tartaria, Oderbonius in vita Ioannis Baſilidis*.

Anno Chriſti MDLII. Seſſione XV. 25. Ianuarij actum de expectandis Proteſtantibus, qui propediem adfuturi nunciabantur. Seſſione XVI. 28. Aprilis actum eſt de Concilio, propter Germanicum bellum, ad biennium ſuſpendendo, *Acta Concilij*. Mauricius Saxo, Albertus Marchio Brandeburgicus, & Guillelmus Haſſius, fœdere inito cum Henrico II. Galliæ Rege bellum indicunt Imperatori, prætextentes Germaniæ, & Landgrauij captiui libertatem. Auguſtam Vindelicorum capiunt 5. Aprilis, & verſus Oenipontem *Inſpruch*, mouent, vbi tum agebat Imperator; ſuperatíſque anguſtiis Alpium, & Erebergâ arce, quæ credebatur inexpugnabilis captâ, tantùm terroris illatum eſt Imperatori, prorſus imparato, vt quamuis aduerſâ tentatus valetudine, cœlo pluuioſo, nocte cùm fratre Ferdinando effugeret 23. Maij, relictis impedimentis, & magnâ procerum & nobilium parte pedibus inſequente. Emiſit tamen priùs quàm Oeniponte diſcederet, Ioannem Fridericum Saxonem, ne id per vim feciſſe videretur, qui tamen Imperatorem, in fuga comitatus eſt Villacum, vbi ei obuiam occurrit Orator Venetus cum equitum luculento præſidio, quod non ad auxilium miſſum eſſe ſuſpicioſus Imperator credidit, atque omnia circumſpiciens, vix ac ne vix quidem ex pauore collegit ſeſe, in proſpetis tumens, in aduerſis afflictiſſimus, *Belcarius, Thuanus, & Hiſpanici Scriptores. Aliunde Henricus II. Aprilis menſe Monmorantium immittit in Lotharingiam, qui iuniorem Ducem Carolum, cum Delphino inſtituendum Pariſios miſit, ac Tullum, Metas, & Virdunum ſine vi cepit; Argentoratum dum occupare parat, prudenti ciuium conſilio repulſus eſt. Inter hæc Henricus pacem iniit cum Pontifice, operâ Cardinalis Turnonij: inſuper rogatus à Moguntino, & Treuirenſi Electoribus, ne vltrà eius copiæ pergerent, & Mauritius cum Ferdinando conueniſſet, exercitum reduxit in Galliam, atque vt populationes Campaniæ iuſſu Mariæ Reginæ, Belgij procuratrice, factas compeſceret. Ipſe viciſſim agrum*

Lucemburgensem depopulatus, vsque ad Iulium exeuntem; pluuiis copiosioribus redire compulsus, Belcarius, Thuanus, & alij Gallici Scriptores. Carolus V. pacem init cum Mauritio parum honestis Imperio atque Religioni conditionibus; extinctum est istud INTERIM tot motuum causa; libertati restitutus Landgrauius, omnes rediêre in Caroli V. gratiam. Albertus tamen Brandeburgicus eâ pace noluit comprehendi, immò & bellum gessit aduersus Mauritium; qui cùm multa damna intulisset Germaniæ, maximè Ecclesiasticis, quasi in partes Gallorum transiisset, flagitiosè relictis Gallis ad Carolum transiit, *Chytraus, Goldastus, & alij. Receptis ex hac pace animis Carolus V. ad recipiendas vrbes Tullum, Virdunum, & Metas animum appulit; Itaque perrexit Augustam Vindelicorum, vbi omnia restituit: dimisit à se Fridericum Saxonem, qui eum numquam reliquerat, humanissimis verbis exceptum: Inde transiit paruis itineribus in Lotharingiam obsessurus Metas, sed refertus omnibus copiis, & quales numquam eduxerat, nisi cùm Vienna Austriæ obsessa est. Fauit & ipsi Marchio Brandeburgensis proditor Gallorum, homo versipellis, & nullius fidei, ideò deinceps etiam spretus à suis, quanquam ei initio huius belli egregiam nauasset operam antecessoribus Gallis, quibuscum amicè agebat, deletis, eorúmque Duce capto Abimalâ perfidiòsè. Sed Metas ingressus est Franciscus Guisius, cum multis Proceribus, & egregia nobilitate, qui tandem par Carolo fuit, licèt hic adduxisset 12 equitum millia, præter domesticos, & supra peditum 100. millia, ac supra centum tormenta bellica. Ita ad Metas certatum, vt nusquam generosiùs: tandem victi, Guisij virtute, Germani, & asperitate hyemis, 30. vel 40. suorum millibus desideratis, turpiter exeunte Decembri soluerunt obsidionem: Carolus se recepit in Belgium victo similis, in castris relictis ægrotis, quibus Guisius egregiè subuenit, eósque sanandos curauit, & sanatos viatico remisit instructos, sic ad hanc vrbem Carolus V. metas posuit suæ fœlicitati*, Bertrandus Saligoniacus, Belcarius, Natalis Comes, Sleidanus, & alij. Turcæ in Hungaria Vesprinum, Temesuuariam, Lippam capiunt. Ad Agriam cùm accessissent, eámque grauiter oppugnassent, præsidiariorum virtute repulsi sunt, *Sambucus in Appendice ad Bonfinium, Natalis Comes, Isthuanffius, & alij.* Classis Turcica sub Sinane & Dracuto, à Gallis euocata, & Principe Saler-

nitano, grauiter offenſo à Petro Toletano Neapolitani regni Prorege mare Tuſcum ingreditur, per quam pænè oppreſſus Andreas Doria ægrè effugit, ſine dubio vincendus, atque capiendus, niſi ſe maturè ſubduxiſſet; & ſi tum acceſſiſſet Salernitanus, Neapolis perierat; ſed tardiùs adueniens, negotium diſturbauit, *Sigonius, Belcarius, & alij.* Senenſes implorato Gallorum auxilio, arce deſtructâ, Hiſpaníſque eiectis, recuperant libertatem ſuam, *Litteræ Principum Tomo 3. Gallici Hiſtorici.* Mortuus eſt 2. Decembris ad Sinas S. Franciſcus Xauerius, atque in calce viua ſepultus, poſt 15. menſes integer repertus, relatus eſt Goam, vbi plus annis centum viuo ſimilis viſus eſt: vir planè magnus, qui manu ſuâ octies decies centena millia Indorum dicitur ſacris aquis eluiſſe, tot mortuis ſuſcitatis, vt vix inueniant fidem, tot patratis miraculis vbique locorum, vt verè huius ſæculi Thaumaturgus poſſit appellari, *Orlandinus, Turſelinus, Maphæus, Iarricus, & alij.* Obiêre hoc anno Io. Cochlæus, Paulus Iouius, Fridericus Nanſia, Ambroſius Catharinus, Petrus Apianus, Lazarus Bonamicus, Lilius Giraldus, Ferdinandus Nonius Pincianus: ex hæreticis Oſiander, & Sebaſtianus Munſterus, omnes in litteris illuſtres, *Bibliothecarij.*

Anno Chriſti M D X L I I I. Albertus Brandeburgicus expilatis aliquot regionibus, & Eccleſiaſticis malè habitus, vocatus ad Cameram Imperatoris, & vbique damnatus, ad arma ſe conuertit; cuius inſequendi datur cura Mauritio Saxoni Electori, qui eum aſſecutus ad Viſurgim fl. in agro Luneburgenſi, deuicit poſt atrox certamen, in quo ipſe ſclopo vulneratus Mauritius poſt dies duos obiit. Succeſſit ei in Electoratu & bonis frater Auguſtus, ſua nequicquam repetente Io. Frederico olim Electore, qui tamen aliquid ſibi & liberis ſuis obtinuit. Pax quoque facta cum Alberto, ſed impacati vir ingenij, iterùm arma reſumpſit, omnibus odioſus Germanis, fugere coactus ad Henricum II. quem ad Metas prodiderat, ac tandem erro, & profugus mortuus eſt apud Marchionem Badenſem Pfortzhemij 1557. annos tantùm natus 35. longiore adhuc proditoris, & improbi vitâ, *Chytræus, Sleidanus, Simon Stenius in eius vita, &c.* *Capta Teriiana ab exercitu Imperatoris, atque funditus deleta, cu-*

ius Episcopalis Sedes olim Morinorum, translata Bononiam, Diœcesis pars Audomarensi, & Iprensi contributa. Capta & arx Hesdinensis, vbi occidit Horatius Farnesius. Rex collectis tardiùs copiis obsedit Cameracum, vnde repulsus, pluuiis aliunde superuenientibus, ob grauem tempestatem, redire coactus maturius quàm sperabat. Illata tamen ad Dulendium hosti clades, quâ cæsus Spinoius, captus Philippus Croius, Belcarius, & alij Francici Scriptores. Petrus Toletanus Senas recuperare nititur, sed moritur Florentiæ, eique successit filius Garsias; verùm cùm audisset Dragutem & Principem Salernitanum cum classe Turcica accedere, ad sua defendenda recessit. *Thermes Regiis copiis præfectus, Senis ordinatis, Corsicam occupat auxilio Turcicæ classis,* quâ abscedente, Andreas Doria, licèt annos natus 87. sed adhuc impiger aliquot recepit oppida, *neque tamen Gallos indidem potuit expellere. Bella quoque Gallis in sub Alpina regione cessêre feliciter.* Obiit Vercellis 16. Augusti Carolus Dux Sabaudiæ, vir placidi ingenij, & aduersâ semper vsus fortunâ: huic successit filius Emmanuel Philibertus, qui posteà cum Rege contraxit affinitatem ductâ eius sorore, & sic hæreditati paternæ restitutus, *Hadrianius, Natalis Comes, Thuanus.* Solimanus dementatus ab vxore sua Roxolana filium suum Mustapham magnæ expectationis iuuenem iussit strangulari, per Mutos suos, quæ nex multas in eius domum perturbationes intulit, multùm gaudij Christianis ab eius ingenio, & odio plurimùm sibi reformidantibus, *Leunclauius, Belcarius, Thuanus, Busbequius, &c.* Eduardus VI. Rex Angliæ moritur 6. Iulij, annos natus 16. cùm annis septem regnasset, exauthoratis consilio Dudleij Ducis Northumbriæ Sororibus suis, vt filia Henrici Suffolcij hæres institueretur. Auditâ fratris sui morte Maria se Reginam dicit; at Dudleius Ioannam Graiam Suffolciam creandam curat inuitam atque renitentem, & eius causam armis tueri parat; verùm ad Mariam plures confluxêre, & Proceres Regni Northumbrium proditorem declararunt Londini, ibique relictum Suffolcium, & Ioannam incluserunt, sicut & Thomam Cranmerum Archiepisc. Cantuariensem & alios. Hinc mutata rerum facies, Catholici restituti, expulsi Hæretici: Maria abiecit titulum turpem, *Capitis Ecclesiæ Anglicanæ*, restituta fides Catholica, atque disciplina;

disciplina; euocatus Reginaldus Polus Cardinalis Legatus in Anglia, qui regnum Angliæ redderet Ecclesiæ, *Sanderus, Belcarius, Florimundus Remundus, Chytræus, & alij.* Caluinus Michaëlem Seruetum Hispanum renouantem hæreses Pauli Samosateni, Arij, & Macedonij, exurendum curat Geneuæ 27. Octobris, *Caluinus in Epistolis, Beza in vita Caluini, idem Caluinus conatus est falsò mortuum fingentem se ad vitam suscitare, sed huic veram eripuit vitam*, Bolsecus, & Langeus. Obière hoc anno Io. Dubrauius Skala Coloniensis Episcopus 6. Sept. Io. Baptista Egnatius Venetus octogenarius 4. Iulij: Hieronymus Fracastorius Veronensis septuagenario maior 6. Augusti, *Bibliothecarij. Natus est denique 13. Decemb. Pali in Benebarnia Henricus Borbonius ex Antonio Borbonio Duce Vindocinensi, & Ioanna Regina Nauarræ, qui meritò posteà ob regnum hæreditarium virtute sibi partum, dictus est Magnus*, Historia Gallica omnis.

Anno Christi M D L I V. Maritus quærebatur Mariæ Reginæ Anglorum, & tres proponebantur, Reginaldus Polus Cardinalis, nondum sacris initiatus, Curtenæus Deuoniæ Comes Reginæ gratissimus, & Philippus II. filius Caroli V. cæteris prælatus est Philippus, vnde magnæ turbæ sunt concitatæ in Anglia, atque etiamnum ad arma deuentum: ob has & futurarum metum, cæsus Suffolcius, & eius gener Gilfordus, cum vxore sua Ioanna, anteà Regina proclamata licèt inuita, eruditissima fœmina, cuius mors plurimis displicuit. Posteà datus in carcerem Curtenæus, & Elizabetha Mariæ soror. Nuptiæ Mariæ cum Philippo, creato à Patre Rege Neapolitano, celebratæ magnâ Pompâ Vintoniæ 25. Iulij. Cardinalis autem Polus Dilingæ detentus, creatus Pontificis *Legatus à latere*, permissus est ire in Belgium, sed hìc iussus est hærere, donec nuptiæ Philippi cum Maria essent consummatæ. Tum Angliam ingressus die S. Andreæ 30. & vltimo Nouembris omnes Anglos absoluit, missáque est Romam perhonorifica Legatio; relicta laïcis bona Ecclesiastica, ne turbæ concitarentur, denique præstitit omnia quæ ad disciplinam Ecclesiæ necessaria esse videbantur, *Natalis Comes, Thuanus, Belleforestius, Vlloa*, &c. *Bellum acriter in Belgio, atque in Italia gestum; Fauquebergensi prælio virtute Francisci Guisij copiæ*

Imperatoris fusæ sunt, atque profligatæ, vnde multa capta oppida, multæ Arces, Mense Augusto. Contrà in Italia victus Strozzius grandi clade, suâ culpâ, à Marchione Meleniani copiarum Carolinarum ductore; & Cosmo Florentiæ Duce, belli huius incentore; hæc contigit clades 2. Augusti, qui dies Sancto Stephano Martyri sacer est: Ideò à Cosmo institutus Ordo Equitum S. Stephani. In Pedemontio meliùs res successit Gallis Duce Brisaco, etiam occupatis aliquot Vrbibus, nec malè in Corsica Thermeo. Senas obsessas à Cæsarianis, Blasius Monlucius fortissimè tutatus est, Historiæ Gallicæ Scriptores, & ipse Monlucius. Aphrodisium oppidum munitissimum, ante annos 4. captum à Carolo V. oblatum est Equitibus Melitensibus; cui seruando cùm se impares iudicarent, ob inopiam, iussu Imperatoris dirutum est, *Hadrianius, Natalis Comes, Ludouicus Guicciardinus, Bosius, & alij.* Astracanum Regnum, & ciuitas eius cognominis nobile Emporium, ad vnum ex 70. aut 80. ostiis fluminis Volgæ, olim Rha, à Ioanne Basilide Moschorum Duce occupatum est; ibi inuentos Tartaros omnes, aut sacris aquis elui iussit, aut discerpi, vel aquis suffocari, vt Cazani præstiterat, eodem successu, *Gaguinus in Tartaria, Oderbornius in vita Ioannis Basilidis.*

Anno Christi MDLV. Multi hæretici combusti sunt in Anglia, atque inter cæteros mense Februario dignissimus hoc supplicio Thomas Cranmerus Arch. Cantuariensis, ab Episcopis ex authoritate Pontificis damnatus, & iudici sæculari traditus, annos natus duodeseptuaginta, in eius locum substitutus est Reginaldus Cardinalis Polus. Obiit 12. Nouembris Stephanus Cardinalis Wintoniensis Episcopus, creatus Regni anteà Cancellarius, *Sleidanus, Natalis Comes, Sanderus, & alij.* Edictum emisit Henricus II. *Parisiis de puniendis Hæreticis, & eorum prouocatione, cui Senatus Parisiensis intercessit, & cui cædes illæ minùs placebant: & verò eæ tunc non satis prodesse videbantur, etiam virginibus sponte ad flammas currentibus, Dæmonis scilicet Martyribus,* Sleidanus, Thuanus, & Historiæ Gallicæ alij Scriptores. In Germania libertas conscientiæ permissa in Comitiis Augustanis, sed tantùm pro Religione Catholica, & Augustana, cæteris exclusis. Quibus etiam paratum nobile, atque ex-

quisitum remedium, Catechismus à Petro Canisio Iesuita concinnatus, opus absolutissimum, & quod in Germania veram seruauit fidem, *Sleidanus, Goldastus, Orlandinus.* Mortuus est in Vaticano 23. Martij Iulius III. annos natus 67. cùm 6. mensibus, & diebus 14. vbi sedisset annis 5. mense vno, & diebus 16. (vti plerique credidêre) quòd dum fingeret morbum, tenuiori cibo vteretur; certè dum totus esset in extruenda villa Iulia extra portam Flaminiam, *Onuphrius Panuinius in Iulij III. vita.* Electus est in eius locum 9. Aprilis Marcellus II. anteà dictus Ceruinus, vir sanctissimus, & tali Sede dignissimus, qui tantùm Ecclesiæ ostensus est, mortuus post vnum & 20. dies, ætatis anno 54. minùs diebus 5 Is fuit auunculus Roberti Cardinalis Bellarmini, cuius mater pientissima fœmina Marcelli soror dicitur eodem vultu accepisse nuncium de Pontificatu, & morte sui fratris. Creditur fuisse veneno sublatus per Chirurgum impium, corruptum ab inimicis tantæ virtutis, quod venenum indidit occulto vlceri, quo iampridem Marcellus vexabatur, *Onuphrius, Genebrardus, & alij.* Datus est ei successor 23. Maij annos natus 79. Ioannes Petrus Caraffa (quondam Archiepiscopus Theatinus, author Congregationis Theatinorum, quem Sleidanus malè Iesuitam finxit) dictus Paulus IV. coronatus 26. Maij. Is primùm omnibus terribilis propter austeritatem vitæ, sensim magnificentiæ assueuit, nepotes suos vti Principes viuere voluit: multa tamen vtilia Ecclesiæ constituit, *Onuphrius in Pauli IV. vita. Blasius Monlucius ad vltimam redactus famem, cum Senensibus obsessis, Senas dedere cogitur, & honestissimis acceptis conditionibus cum suis Gallis abscessit. Bellum in Sub-alpina regione paulò feliciùs gestum fuit, atque insuper fœdus initum est à Pontifice cum Gallis aduersus Carolum V. cui erat perinfensus, ob insidias aduersus authoritatem suam, & fortè vitam paratas. Quare aliquot Cardinales in custodiam dati, copiæ Pontificiæ paratæ, omnia ad bellum spectauêre*, Belcarius, Onuphrius, Natalis Comes, Thuanus. Ioanna Imperatoris mater, post mortem viri sui Philippi, mente debilitata, ideóque inclusa, annos nata 73. obiit 12. Aprilis die sextâ Parasceues, cui B. Borgia qui eam inuisit, procurauit verbis suis & orationibus, vt saltem Extremâ Vnctione digna iudicaretur, & nihil

impedierit quominùs Euchariſtiam reciperet, quàm nauſea ſtomachi, quâ tum laborabat, *Orlandinus in Hiſtoria Societatis.* Ioannæ filius Carolus V. videns res ſuas ruere, fortunámque ſuam ſecum ſeneſcere, ſtatuit deponere Principatum, quod & præſtitit Bruxellis, in quam vrbem filius eius vnicus legitimus Philippus II. Mariæ Reginæ Angliæ maritus, ex Anglia menſe Septembri aduenerat. Die ergo 25. Octobris, in publicis Belgij Comitiis id peractum, & deinceps coram Rectoribus Prouinciarum idem fecit, de reliquo ſuo dominatu in Europa & Indiis, reſeruatâ ſibi centum millium Aureorum penſione; ſtatuerat & tum nauigare in Hiſpaniam, ſed eum aſperitas hyemis, & bellum Gallicum retinuit, *Guillelmus Godeleuæus in Hiſtoria Carolinæ abdicationis, Famianus Strada in ſua Hiſtoria, & alij.* Societas IESV acerbiſſimè vexata eſt Cæſarauguſtæ, vnde Socij Anathemate perculſi, expulſi ſunt, mox tamen cum honore reuocati, *Sed Pariſiis etiam atrociùs edicto Sorbonico, quod nec ſapientes viros, nec Chriſtianos ſaperet, verùm hæreſeos tum ſerpentis fautores:* atenim hoc edictum tempore ipſo euanuit, nihil eius authoribus reliquit præter infamiam, *Orlandinus in Hiſtoria Societatis.* Et verò id temporis ex eadem Societate Pontifex miſit in Æthiopiam Patriarcham Ioannem Nonnium Barretum, & Epiſcopos duos Melchiorem Carnerium, & Andream Ouiedum, Patriarchæ adiutores, atque ſucceſſores, viros, qui primis Eccleſiæ temporibus Præſules eſſent, digniſſimos, *Nicolaus Godengus, & Hiſtoria Societatis. Nicolaus Durandus*, cognomine Villagagnonius *miles S. Ioannis, & tamen hæreticus, miſſus eſt à Gaſpare Colinio Thalaſſiarcho, Caluinianæ dogmatis acerrimo propugnatore in Americam, vt hoſtium vires diſtraheret, & ſimul Hæreſim diſſeminaret, quod & præſtitit, impetratis à Caluino duobus miniſtris, qui hîc nihil religioſè peregerunt. Regio hæc dicta* Taupinambultiorum & Margaiarum, *de qua multa conficta ſunt, ſemel & iterùm in hæc loca nullo fructu repetitâ nauigatione,* Belcarius, Thuanus, Ioannes Lerius Æduus, Andreas Theuetus, & alij. *Mortuus eſt denique hoc anno Henricus Lebretanus Rex Nauarræ, qui mortuus eſt verè Catholicus, quamquam aliquando in fide titubaſſet: ſed reliquit hæredem filiam Ioannam nuptam Antonio Borbonio, quem penè corrupit, ipſa facta*

est Caluiniana secta Patrona, Florimondus Remondus, & alij.

Anno Christi MDXLVI. *Factæ sunt Induciæ quinquennales inter Philippum II. & Henricum II. 5. Februarij, quæ vehementer Paulo IV. displicuerunt, vt pote quæ se inscio pactæ essent. Pontifex aliunde pressus ab Hispanis, Gallorum implorauit opem, qui in eius auxilium accurrerunt, Ducibus Monlucio, & Strozzio, qui Hispanos irruentes in Pontificem imparatum, retuderunt. Secutus est cum maioribus copiis Guisius, his tamen summo iure præfuit Hercules Ferrariæ Dux, Imperator fœderati exercitus, & vtrimque certatum toto anno, vario exitu: multa oppida capta, receptáque, Venetis in neutram partem inclinantibus, sed expectantibus fortunam*, Belcarius, Hadrianius, Maurocenus, Mambrinus, Monlucius αὐτόπτης, &c. Initio Martij visus est ingens Cometes, & lucidus, in 8. gradu Libræ, diebus duodecim, ortum Solis aliquantùm anteuertens, *Vita Caroli V.* Idem Carolus abdicat se Imperio Gandaui 27. Augusti, cùm id possedisset annos 37. menses duos, dies 10. ab electione, atque ad Electores perhonorificam Legationem mittit. Exinde soluens à Zelandia cum Eleonora Regina Galliæ, & Maria Hungariæ, sororibus, appellit Laredum Biscaiæ: inuisit nepotem suum Carolum Vallisoletum, atque inde pergit in Cœnobium S. Iusti Hieronymianorum in Extremadura, non longè à Placentia, 12. ministris, & vno equo contentus, vbi se totum operibus pietatis addixit, *Guillelmus Godeleuæus, Thomas Fazellus qui hîc Siculam suam Historiam terminat, & alij.* Mauri hoc anno geminam à Christianis cladem accepêre, vnam ad Oranum in Africa, quam obsederant, fortiter ab Hispanis repulsi, alteram in Hungaria ad Sigethun *Zigeth*, fortitudine Marci Horuathi vrbis præfecti. In Transyluania infelix fuit Ferdinandus: Isabella enim vrbes omnes recepit auxilio Turcorum, Transyluanis rapinas Germanorum minimè ferentibus, *Mariana, Sambucus, Isthuanffius.* Argentorati Ioannes Sleidanus (sic dictus ab oppido Vbiorum) anno ætatis 51. obiit, hîc quoque terminans Historiam suam, hostis capitalis Catholicorum, cui tantum credas, quantum Lutherano, atque Caluinistæ, *Crusius, Genebrardus.* Sanctiùs Romæ abiit è viuis S. Ignatius de Loyola, Societatis

IESV Fundator, quam viuens audiit per totum Orbem dispersam, in prouincias tredecim diuisam, in quibus ferè centum Domus numerabantur, vir in vita & post obitum miraculis clarissimus, & Christianæ politices, vt asserebat Cardinalis Richelæus, mortalium omnium peritissimus, *Orlandinus, Maphæus, Ribadenira, & alij.*

Anno Christi M D LVII. *Guisius, & Albanus in Italia bellum gerunt, hic sapienter, ille fortiter: neque Galli profecêre satis, quia Caraffæ promissis suis defuêre. Vtilius erat Brissaci consilium Mediolanum aggrediendi, vt eò Albanus vocaretur, ac faciliùs vinceretur: sed præualuit Guisij sententia eundi Romam, & Pontificem in Latio iuuandi. Aggressus ille Ciuitellam, obsidione soluere compulsus est, & quamquam offerret potestatem pugnæ Albano, hanc ille sapienter repudiauit, quòd Gallorum vires deficerent, Hispanæ augerentur. Tandem nunciata est Sanquintiana clades, quæ Guisium reuocauit in Galliam. Itaque is suasit Pontifici, vt Hispanis reconciliaretur, quàm optimis posset conditionibus,* quod est factum 14. Septembris, ac redditæ Ecclesiæ non tantùm vrbes captæ, sed & Albanus Regis sui nomine veniam petiit à Pontifice, *Belcarius, Natalis Comes, Thuanus, Hadrianius, Mombrinus.* Maria Regina Angliæ suadentibus Hispanis, denunciat bellum Gallis 7 Iunij. Paulus IV. Legationem Anglicanam adimit Polo Cardinali, quod illius existimationi plurimùm nocuit; certè Maria vetuit Polum exire ex Anglia, & ostendit Pontifici, quid damni crearet Ecclesiæ Anglicanæ, nondum constitutæ, & adhuc fluctuanti, *Tillius Goduinus in Præsulibus Angliæ, & Archiep. Cantuariensibus, Belcarius, & alij. Emmanuel Philibertus Dux Sabaudiæ collectis ingentibus copiis obsidet Fanum S. Quintini in Veromanduis: cùm vrbi obsessæ auxilium clàm ferri non posset, propter hostium acrem vigilantiam, misit Rex Monmorantium cum* 16. *peditum millibus, quatuor equitum, & tormentis bellicis* 14 *qui copias, & puluerem tormentarium in vrbem immitteret, quod & præstitum; dum leuibus præliis Comes-stabuli Hispanos distinet. Sed recedens interdiu, non noctu (vt militiæ leges præscribebant)* 10. *Augusti in festo S. Laurentij, ad Albam fossam, fusus est, audaciâ Comitis Egmondani, & prudentiâ Sabaudi: Montmorantius captus, cum multis Proceribus; cæsus Io. Borbonius Dux Anghuianus, & alij Proce-*

cere ac bis mille quinquenti Galli, reliquiæ ægrè Faram se recepêre. De hac victoria monitus Carolus V. rogauit vtrùm filius Philippus iam ageret Lutetiæ. Qui tum maturiùs recessit Bruxellas, delapsis Anglis, & Germanis iniuriam sibi factam in prædæ diuisione meritò querentibus. Ipse posteà in gratiam huius victoriæ S. Laurentij Escurialis domum exædificauit, *Inde expugnatum vi Sanquintinum 27. Augusti, post acrem propugnationem Gasparis Colinij, & fratris eius Andelotij, qui capti sunt cum multis aliis nobilibus: in ciues sæuitum ferro, ac deprædatione. Henricus statim implorato Dei numine per supplicationes, sapientissimè rebus suis prouidit, euocatis Heluetiorum 14. millibus, & Germanis equitibus, ac Gallicâ nobilitate. His omnibus copiis præfectus Guisius, qui alacritate suâ turbatam tunc Galliam restituit*, Belcarius, Thuanus, Lud. Guicciardinus, & omnes Francicæ Historiæ Scriptores. *Parisiis in Hæreticos sæuitum, aliquot viui combusti, multi priùs fracta laquea gulâ: remisêre tamen paulò pòst hæc supplicia, orantibus Palatino, Heluetiis, & Germanis, quibus Henricus tum indigebat*, Belcarius, Thuanus, & alij. Ioannes III. Rex Lusitaniæ obit Olysippone ex Apoplexia ætatis 55. Regni 36. vndecimo Iunij. Successit ei filius Sebastianus triennis sub tutela Matris Catharinæ Caroli V. Sororis, *Historiæ Lusitanicæ Scriptores.* Turbata erat tum Africa à Buacone Rege Fessæ, & Mahomete Xeriphio: Buaconi data auxilia à Lusitanis, sed hæc victa à Salaraïsio, Algerij, nomine Solimani, præfecto; de Salaraïsio questus Buaco, ille vicissim de Buacone, hic ab illo restitutus est, sed mox quasi Christianis faueret Buaco, reuocatus Xeriphius, à quo cæsus in prælio Buaco. Xeriphius à Turcis confossus, cui successit tandem Abdala filius amplâ ditione Fessæ, Maroci, viciníſque regnis potitus, *Ludouicus Marmolius, Caruaialius, Antonius Herrera, & alij.*

Anno Christi MDLVIII. *Primo die Ianuarij Dux Guisius Calesium obsidet, eóque intra dies octo potitur, cùm in Anglorum ditione annis ducentis, ac decem hæsisset. Guina quoque se mox dedidit, Angli Hamo relicto fugére. Calesium captum rem Gallicam in Italia reparauit; Dux Ferrariensis ditionem Senensem egregiè tutatus est, donec pace ictâ, medius inter Gallos, & Hispanos consistere è re sua iudicauit. Theodonis-villa ab eodem*

Guisio capta, ad quam casus Strozzius Mareschallus, in cuius locum electus Thermeus; Blasio Monlucio, viro strenuissimo, commissus Gallicus Peditatus, loco Colonij Andelotij, fratris Admiralij, propter impium & audax de Missa responsum; qui casus non est in gratiam Monmorantij, & Dianæ Pictaniensis. Tum decantati passim Psalmi Clementis Marotti, qui tum à Rege prohibiti sunt occini: vix tamen obsecutum Regi, quoniam his cantoribus immixti erant Antonius Rex Nauarræ, eiúsque vxor Ioanna, quibus Caluinus Epistolis suis animos addidit, Historiæ Gallicæ Scriptores. *Thermeus Mareschallus Dunkerkam capit; sed prædam seruare cupiens eam, & victoriam perdidit, victus ab Egmondano Philippi Duce*, iidem Scriptores. Parisiis nuptiæ Delphini Francisci cum Maria Regina Scotiæ 19. Aprilis atque exinde consentientibus Scotis, Franciscus dictus est Rex Delphinus. Hæretici in Scotia Catholicis, & Reginæ regenti insultant, atque Edimburgi imaginem S. Ægidij in supplicatione delatam 1. Septembris raptant, atque comminuunt, *Leslæus lib. 10. & Buchananus lib. 16. Historiæ Scoticæ.* Maria Angliæ Regina moritur 15. Nouembris, & statim Maria Stuartia Regina Scotiæ se Angliæ Reginam dixit, sumpsítque regni insignia. Sed Elizabetha ex Anna Bolenna filia Henrici VIII. in regnum intruditur Catholicam se fingens metu Mariæ, at animo hæretica; quæ aliunde verita, ne quid ei molestiæ parerent Ecclesiasticæ Leges, de natalibus suis, Catholicam Religionem ex Anglia exterminare apud se statuit, *Sanderus lib. 3. de Schismate Anglicano.* Horis sexdecim post Mariam Reginam extinctus est Reginaldus Cardinalis Polus, alterum Ecclesiæ Anglicanæ columen ætatis anno 58. cum 6. mensibus, vir modestiâ, doctrinâ, mansuetudine, prudentiâ insignis. Legauit bona sua testamento suo Ludouico Priolo, Patritio Veneto veteri amico suo, qui nihil reseruauit sibi præter Breuiarium, & Diurnale, reliqua in pios vsus impendit, *Ludouicus Becatillus Archiep. Ragusinus, & Andreas Dudisius Tinicensis in eius vita, Goduinus de Præsulibus Cantuariensibus, Camdenus, & alij.* Die festo S. Matthiæ 24. Febr. Electores admisêre dimissionem Caroli V. Francofurti, & 14. Martij elegerunt Imperatorem Ferdinandum eius fratrem, annos natum 55. Paulus IV. Caroli renunciationi sese opposuit,

fuit, negauítque fieri poſſe niſi ſibi, & nunquam quoad vixit, Ferdinandum agnouit Imperatorem, etiam defuncto Carolo V. *Guillelmus Godleuæus de abdicatione Caroli, & electione Ferdinandi.* Obiit Carolus V. eximperator 21. Sept. in Monaſterio S. Iuſti annos natus 58. ferè cum 7. menſibus; vtrùm autem obierit in manibus Bartholomæi Caranzæ à Miranda Archiep. Toletani dubium reddunt *Sandoualius in Vita Caroli*, & *Campana in Vita Philippi*: *Spondanus* in opinionem *Campanæ* propendet magis, *præfati authores, & Alphonſus Vlloa.* De Nauarra quid ſtatuerit, incertum, qua de re vide hîc *Spondanum* num. x. & anno 1513. num. 29. Hiſpanus Orator Franciſcus Varga apud Venetos præcedere voluit Legatum Franciæ Regis, lis pependit, donec Ferdinandus Imperaror Legatum ſuum Venetias miſit; tum authoritate prudentiſſimi Senatus aſſignatus primus Legato Gallico, poſt Imperatorium, locus, *Menochius Iuriſconſultus, Baldus, & alij.* Melchior Zobellus Herbipolenſis Epiſcopus, vir egregius, à 15. equitibus armatis cæſus eſt ſclopo; tandem deprehenſus eſt ſceleris author immiſſus à Grumbakio, qui mulctandus, ſibi laqueo gulam fregit; Grumbakius poſt multa ſcelera captus, in quatuor partes ſectus eſt, *Huius cædis Hiſtoria, in rebus geſtis ſub Maximiliano. Obiit hoc anno Iulius Scaliger Aginni 21. Octobris, vbi medicum agebat, qui tamen ſe ortum ex Scaligeris Veronenſibus impudenter confinxit, annum agens 74. Sicut mortui ſunt Pariſiis Io. Fernelius Ambianus Archiatrus ætatis anno 52. & Andreas Tiraquellus Fontenæus, qui ſingulis annis & prolem vnam, & Librum vnum dicitur edidiſſe*, Poſſeuinus in Apparatu, & alij Bibliothecarij.

Anno Chriſti MDLIX. Paulus IV. nepotes ſuos expulit Româ, & quemque in exilij aſſignati locum cum ſuis demigrare iuſſit 26. Ianuarij in Conſiſtorio publicè queſtus, & iratus iis qui eos defendere conarentur. Vectigalia quoque noua, quaſi ſe inſcio indicta, ſuſtulit, nouam Curiam cui ipſe præeſſet inſtituit; Scrinium in æde Sancti Petri collocari iuſſit, cuius ipſe vnus clauim haberet, in quo quiſque libellos turò poſſet proiicere, tum publicè profeſſus hunc annum ſui Pontificatus verè primum eſſe, *Gabriel Saluagus Epiſtola ad Genuenſes*, *Victorellus*

Additionibus ad Ciacconium in Paulo IV. & alij. Constitutiones quoque grauissimas edidit in Hæreticos, Præsules à suis Diœcesibus absentes, Monachos errones, vt statim ad sua redirent Monasteria, quorum aliquot exleges ad triremes damnati. Eorum qui parere nolebant, aut reiiciebantur à suis Præpositis, triginta millia Venetias dicuntur confugisse, quorum aliqui ad Turcos profecti sunt, alij in Germaniam profugêre, *Onuphrius in Paulo IV. Eius Constitutiones.* Idem Papa Goanum Episcopum Archiepiscopum creauit & ei Episcopos Indiæ subiecit vt Metropolitæ. Nouos etiam Archiepiscopatus erexit in Belgio, Cameracensem, Wltraiectensem,& Mechliniensem; alióſque nouos 13. Episcopos, Antuerpiensem, Harlemensem, Dauentriensem, Leouardiensem, Groningensem, Middelburgensem, Buscoducensem, Ruremundensem, Namurcensem, Audomarensem, Iprensem, Gandauensem, Brugensem, quos tamen creatos esse iniquissimo animo tulerunt hæretici, aientes initium esse Inquisitionis, *Bullæ Pauli IV. Chronicon Belgicum Loërij, & alij.* Elizabetha Religionem Catholicam eliminat ex Anglia, prætexens Pauli IV. litteras, quibus eam se gerere Reginam prohibebat; summum sibi Pontificatum assumit, persecutionem inchoat, summam inducit in Angliam Ecclesiæ perturbationem, *Sanderus in Schismate Anglicano. 3. Aprilis pax inita est in oppido Castro-Cameracensi, inter Henricum, & Philippum, Gallis periniqua, vt pote qui redderent Hispanis centum nonaginta octo vrbes, pro tribus, Sanquintino, Hamo, & Castelleto: sed id præstitit Monmorantius, carceris sui pertæsus, cæteri omnes improbarunt,* Belcarius, Lud. Guicciardinus, Monlucius, Rouæreus, & alij. Henricus II. Religionis in suo regno sollicitus 10. Iunij Parlamenti Curiam ingressus, iubet inquiri in Senatores, labe Hæreseos infectos, detecti Faurius, & Annas Burgius, dati sunt in carcerem, cum aliquot aliis. Actum & de Iacobo Spifamio Niuernensi Episcopo, qui ductâ vxore fugit Geneuam, vbi molitor factus est: hic autem capite minutus est, quòd Catholicis fauere crederetur. *Iudices dati Burgio, quorum iudicium variis tergiuersationibus elusit*, Belcarius, & plerique Franciæ Scriptores. *29. Iunij Henricus II. vulneratus est in hastiludio à Mongomerio filio Lorgij Scoti in nuptiis Eli-*

zabethæ filiæ cum Philippo II. in hoc enim, hastæ fractæ schedium bucculam Galeæ ingressum ab oculo ad occiput penetrauit, vnde obiit 10. Iulij cùm regnasset annis 12. cum 3. mensibus & diebus vndecim, vixisset annis 40. 3. mensibus, ac diebus 11. quæ mors tantùm doloris Catholicis attulit, quantùm lætitiæ hæreticis. Successit ei Franciscus II. agens annum 16. cum dimidio, coronatus Rhemis die Dominicâ 17. Sept. Monmorantius Comes Stabuli à negotiis publicis remouetur, Diana Pictauiensis ex Aula pellitur, Dux & Cardinalis Guisij omnia apud Regem possunt, vt pote Auunculi Reginæ coniugis, restitutus Cancellarius Oliuerius, Cardinalis Bertrandi missus Romam, vnde reuocatus Cardinalis Turnonius, vt eo in suis Conciliis Rex vteretur: Monmorantius relictâ sponte Maioris Domus Regiæ dignitate, ne ipsi per vim eriperetur (quæ statim data est Francisco Guisio) domum secessit. Burgius tandem post multas tergiuersationes, & appellationes diuersas, addictus est igni ætatis anno 38. atque ab Episcopo Parisiensi spoliatus insignibus Diaconatus & Subdiaconatus, brachio sæculari traditus gulâ fractâ combustus est. Quod supplicium accelerauit Minardus Præses sclopo ante 3. dies traiectus, & Magistro Senatus Principi, & Santandreano item Præsidi intentata nex, Belcarius, & omnes Historiæ Francicæ Scriptores. Philippus feliciter appellit in Hispaniam, sed in portu graui tempestate vexatus, multam supellectilem perdidit: in Hæreticos grauiter animaduerti iussit: Bartholomæum etiam Caranzam Archiep. per Inquisitores, in custodiam dari passus, vbi diu detentus tandem Romam deductus est, vbi absolutus, suspectus tamen iudicatus sub Gregorio XIII. remissus est in Cœnobium Dominicanorum Mineruæ sui Ordinis, vbi paulò pòst piè obiit, atque religiosè; author fuit Summæ Conciliorum, defensus accuratè & assiduè à Martino Aspilcueta Nauarro, perpetuo comite, necquicquam in eum frementibus Philippo, eiúsque ministris, *Thuanus, Fauinus in Historia Nauarræ, Mariana, & alij.* Ioannes Knoxus Scotus hæreticus valdè Scotiam turbat improbis concionibus suis, quem egregiè confutauit Nicolaus Pelleuæus Ambianensis Episcopus, posteà Archiep. Senonensis, secum ductis tribus Doctoribus Sorbonicis, per quos repressi hæretici, sicut & per Gallicas copias, *Leslæus, Buchananus.* Christianus III. Rex Daniæ, & Noruegiæ obiit

anno ætatis 56. Regni à Coronatione 22. Lutheranus, sed pacis amantissimus, antequàm moreretur reconciliatus in carcere Christierno, qui 23. post die item obiit anno ætatis 78. carceris 27. Successit Christiano Patri Fridericus II. annorum 25. qui minùs imitatus Patrem, statim bellum gessit in Ditmarsos, Holsatorum Principibus rebelles, quos tandem in seruitutem redegit, *Historia Regum Daniæ.* Romæ mortuus est 18. Augusti Paulus IV. annos natus 83. cum mense, & 22. diebus; vbi sedisset annis 4. mensibus 2. & diebus 24. in eum Populus Ro. exarsit concitatus à sceleratis quibusdam, eius statuæ in Capitolio præscisum caput cum manu, & rotâ vrbe iactatum. Diu de eius successore disceptatum, designatus etiam Laynius præpositus Societatis IESV: tandem electus Io. Angelus Medicinus 26. Decembris, & tantùm coronatus 6. Ianuarij anni sequentis, dictus Pius IV. *Onuphrius in vita Pauli IV. Victorellus Additionibus ad Ciacconium, Sacchinus, & alij.* Obiit item Romæ Robertus Nobilis Cardinalis annos natus 17. Iulij III. ex sorore pronepos, adolescens sanctissimus 17. Ianuarij. Item Romæ mortuus est designatus Cardinalis Ioannes Gropperus 14. Martij, qui hanc dignitatem modestè recusauit, suâ humili sorte contentus, & Archidiaconatu Coloniensi. Item Aloysius Lepomanus Episcopus Veronensis, author vitæ Sanctorum; Ruardus Tapperus Belga, Doctor Louaniensis; *Ioachimus Perionius Theologus Parisiensis; educatus Cormeriaci in Turonibus, & ibidem mortuus; Franciscus Duarenus, Briocensis in Armoricis Iurisconsultorum Princeps, & Robertus Stephanus Parisiensis Typographus, vir magnus nisi Caluinâ labe esset infectus. Bibliothecarij, Genebrardus, & alij.* Selimus & Baiazethes Solimani filij de Imperio contendunt, victúsque Baiazethes cum liberis ad Thaumasum Regem Persarum confugit; sed veritus Solimanus, qui Selimo fauebat, ne Baiazethes aut eius liberi auxilio Persarum negotium Selimo facesserent, muneribus & minis obtinuit à Thaumaso, vt coram prægustatore suo ad id misso, neruo strangularentur, *Leunclauius, Busbequius, &c.*

Anno Christi MDLX. Ecclipsim Solis 11. Martij obseruauit Christophorus Clauius Iesuita, vir Mathematicis studiis excultissimus. Pius IV. perstrictus à Paulo IV. in Consi-

ſtorio, quo hic nepotes ſuos expulit, in carcerem detrudendos curat nepotes,& affines eiuſdem Pontificis Caraffas; &. Cardinalem Caraffam in mole Hadriani per tortorem ſuffocari laqueo iubet 6. Martij; Ioanni eius fratri caput demi in carcere Turris Nouæ, vnà cum Comite Aliſano vxoris fratre, aliíſque nonnullis; Alfonſum Cardinalem tantùm multat graui pecuniâ, & Cameræ Apoſtolicæ præfecturâ. Coniecit etiam in vincula aliquot alios Cardinales, quos opulentiſſimis Beneficiis priuauit. Non defuêre tamen qui aſſererent Caraffas iniuſtè cæſos eſſe: & verò ſub Pio V. eorum cauſa rettactata eſt, Caraffarum familia ad ius honorum, atque dignitatum reuocata eſt, *Onuphrius in Pio IV.* Qui autem adeò ſeuerus fuerat, in nepotes Pontificios, etiam ſuos euexit, in quibus quanquam peccauerit, in vno certè feliciſſimus extitit, S. Carolo Borromæo, ſororis ſuæ Margaritæ, ex Gilberto Borromæo Aronæ Comite filio, qui tum vitæ alterum & vigeſimum agebat, cum menſibus quatuor, vir ſupra ætatem & ſapiens, & doctus, & pius, quem ſtatim auunculus negotiis omnibus Eccleſiaſticis præfecit, vt fratrem eius Fridericum Comitem Aronæ rebus militaribus, *Onuphrius in Pio IV. Flagrabant odio tùm Guiſij in Francia, maximè apud hæreticos, quos Caluinus & Beza ſuis litteris ad rebellionem inflammabant: verùm iis Dux deerat. Quanquam enim Antonius Nauarræ Rex Guiſios perditos volebat, mitioris Princeps ingenij, nolebat turbari Galliam; Itaque frater eius Ludouicus Condæus ardentiori vir ingenio iratus Guiſiis quòd ei Picardiæ denegata eſſet præfectura, aliunde egens & à pecunia imparatus, Ducem coniurationis ſe præbuit, taceri tamen nomen ſuum voluit, & ſe* Mutum Caput *& Imperatorem appellari. Sed datus ei Vicarius homo acerrimus*, Godefredus Barrius Renaudius, *qui ſibi* Syluani, *ſeu* Foreſti *nomen aſſumpſit. Hic Namnetis coniurationem informauit, & 1. die Februarij adeſſe ſimul ſectarios indixit. Cùmque tùm ibi Senatus Armoricus reſideret, vbi lis magni momenti dirimenda eſſet, atque aliunde in hoc nobile Emporium multi mercatores confluerent; denique hîc nuptiæ cuiuſdam nobilis viri celebrarentur, locus hic aptiſſimus iudicatus eſt. Quaſi igitur Status trium ordinum conueniſſent, habitâ per Renaudium inuectiuâ in Guiſios, ex quorum tyrannide Rex liberandus eſſet, at-*

que omnium bonorum conscientiæ, statutum præmittendos esse multos inermes qui Regi libellum supplicem offerrent, pro libertate Religionis, deinde delecti equites adessent 10. *die Martij, qui admitterentur Blesas à conscius, tum* Caput Mutum *locuturum. Verùm detecta est coniuratio per Petrum Auenellum Causidicum Parisiensem, cui eam aperuit Renaudius; Guisij sapienter Regem Ambaciam transtulerunt; nobiles multos euocarunt, per quos coniuratorum aduenientium magna facta est cædes; cæsus Renaudius pependit ex patibulo, dissipata est ista conspiratio; ideò Franciscus Guisius dictus est à Senatu Parisiensi* Patriæ Protector. *Sic repressa tantisper Hæreticorum audacia, qui tum dicti Hugonoti, vel ab Hugone Rege, Turonum Lemure, vel à voce Heluetica* Eydgenossen, *quâ exprimitur* fœdus Helueticum, *quasi dicas* Henoticum, vel meliùs ab *voce Teutonica* Hensguenano, *id est*, homines seditiosi, Belcarius, Thuanus, & omnes Historiæ Gallicæ Scriptores. Scotia turbatur ab Hæreticis, quibus auxilium miserat Elizabetha, iis tamen Galli auxiliatores fortiter obstiterunt; Verùm Reginâ Scotiæ Regente mortuâ, pax inita est inter Scotos, Anglos, & Francos, quâ pace vsi Proceres magna ex parte corrupti, Hæresim promouerunt, *Leslæus, Lud Guicciardinus, & alij. Oliuario Cancellario demortuo successit Michaël Hospitalius, saltèm Hæreticorum fautor, repugnantibus tamen quibusdam sapientibus, cuius pater fuerat Medicus Renatæ vxoris Antonij Ducis Lotharingiæ, Auus, natione & professione Iudæus Auenione vixerat. Tum exiit Edictum Remorantinum quo crimen hæreseos tributum est Episcopis, vt Clero fieret satis, & Inquisitionis vmbra tolleretur. Post hæc inita noua in Guisios coniuratio, cuius Duces erant Antonius Rex Nauarræ, Lud. Condæus, Monmorantius, Castilionei, in quorum sensus Catharina inclinare videbatur tantùm ex ambitione, non ex impietate, quia Guisios potentiores videbat. Igitur conuentus Principum, Bellaqueum conuocatus est, vbi multa à varijs de Religione dicta, sed in primis à Io. Monlucio Episcopo Valentino non satis Catholicè, à Guisiis religiosè, atque sapienter; cúmque Colinius intentasset Regi* 40. *Heterodoxorum millia, Cardinalis Guisius vicies centena millia Catholicorum iis opposuit. Sic solutus conuentus, indictáque Regni Comitia ad* 3. *Ianuarij Meldis. Inter hæc Hugonoti Lugdunum, Valentiam, & aliquot vrbes occupant; sic Comi-*

tia Meldis indicta transferuntur Aurelias, ne vrbs ista Catholicis, & Regi periret, in qua multi esse Hæretici dicebantur. Ad ea cùm venisset Condæus, datus est in custodiam, euocatísque Lutetiâ iudicibus addicitur neci, ob nouam coniurationem detectam ab eius Secretario, sed dilatum est eius supplicium ob Regis valetudinem, qui hîc mortuus est 4. *Decembris anno ætatis* 17. *cum* 10. *mensibus & diebus* 15. *Regni mense* 16. *cum diebus* 25. *non sine suspicione veneni, huic infusi in aurem per Ambrosium Chirurgum suum Caluinianum, quia sic eius partes exigebant; certè boni Principis memoriam libellis sparsis lacerarunt: Funus eius neglectum, quod magno probro fuit Aulicis, & maximè Guisiis, quos ad maximos honores promouerat; Dictus est* Rex Innocens, *ac* Rex sine vitio. *Successit ei frater Carolus dictus IX. aliter Carolus-Maximilianus, anno ætatis* 10. *cum dimidio, cuius tutela commissa est Matri Catharinæ Medicææ, quæ suis artibus & Principes diuisit, ac Proceres, & sibi hoc pacto tutelam vindicauit; fæmina solers, sed malitiosa: Antonius* Rex *Nauarræ dictus est Legatus Regis per vniuersum Regnum. Liberatus Condæus secessit in Picardiam, innocens declaratus tam in Sanctiori Regis consilio, quàm Parisiensi Senatu, magnus deinceps Hæreseos fautor, tutórque futurus. Aureliana Comitia sine vllo fructu dimissa sunt, in quibus acriter contra Ecclesiasticos inuectum est, ab Oratoribus Plebeij Ordinis, & Nobilitatis; nec inficiatus est Orator Ecclesiastici Ordinis, sed veram causam attigit huius in Ecclesiasticis corruptelæ*, Belcarius, Auila, Historiæ Francicæ Scriptores. Expeditio Tripolitana suscepta sub auspiciis Philippi II. de consilio Parisoti Magistri Hospitalariorum malè cessit, Hispanorum cunctatione, morbis, & tempestate discussa. Sed prima eius mali causa, mora facta in insula Lotophagite seu Menynge nunc *Gerbi*, ad arcem extruendam, contra omnium sapientum mentem per Ioannem Cerdam Ducem Medinæ Cæli, Siciliæ Proregem; sic enim datum tempus Turcæ expediendæ classi, Ducibus Piali, & Cæcâ Mustaphâ; qui Christianos subito impetu inuasêre, & oppressêre; periêre eorum duodeuiginti millia, triremes 28. onerariæ 14. & quod caput fuit honor & fama bellicæ virtutis. Capta quoque obsidione Arx à Piali, qui magnificè triumphans receptus est Constantinopoli, *Antonius Franciscus Cirnius, Hubertus Folieta, Petrus Machiauellus, Plinius Tho-*

macellus, Ludouicus Guicciardinus, & alij. Passus est hoc anno Martyrium Gonsaluus Sylueria Iesuita, iussu Regis Monomotapæ in Caffraria, qui ab eo baptizatus fuerat, & à Mahumetanis in transuersum actus, de Christiano factus est persecutor, *Sachinus, Vita Gonsalui Syluerię.* Gustauus Sueciæ Rex obiit 29. Sept. annos natus 70. regni sui 38. cuius operâ inducta in Sueciam hæresis, Tarquinius Sueciæ dictus, cùm vniuersam nobilitatem Sueciæ sustulisset, ne occupatum Tyrannide regnum perderet. Successit ei filius Erricus eius nominis XIV. initio bonus, posteà vanis illusionibus dementatus, *Chytræus, Natalis Comes, Lud. Guicciardinus, Florimundus Remundus, & alij.* Mortuus tum quoque Philippus Melanchthon Wittembergæ 19. Aprilis, anno suo Climacterico, statuerat secedere in Poloniam, interim dum cogeretur Concilium, eíque interesse, & moriens dixisse, perhibetur Marri nouam Religionem plausibiliorem esse, antiquam securiorem, *Prateolus, Florimundus Remundus.* Edi cœpêre hoc anno Centuriæ Magdeburgenses, initio ducto à quarta, authoribus, Principe Matthiâ, Flaccio Illyrico, & Ioanne Wigando, Matthæo Iudice, & Basilio Fabro, adiectis posteà huius vegrandis operis adiutoribus, Tomis XIII. Quos duodecim Tomis Cæsar Cardinalis Baronius eruditissimè confutauit, *Bibliothecarij. Obiit tum & Io. Cardinalis Bellaius Princeps sacri Collegij, Guillelmi, & Martini frater, Romæ 16. Februarij:* denique mortuus est 25. Nouembris Andreas Doria ætatis anno 83. Dux belli Maririmi scientissimus, sine liberis, relicto nominis sui hærede Io. Andreâ Auriâ, filio Ianetini sui patruelis, neque enim huic bona reliquit, cùm obæratus obiisset, ditior gloriæ, quàm pecuniæ, *Sigonius in eius vita.*

Anno Christi M D L X I. *Carolus IX. inauguratur Rhemis 15. Maij die Ascensionis per Carolum Cardinalem Lotharingum Archiepisc. huius vrbis*, Belcarius, &c. *Pius IV. recepit obedientiam Regis Nauarræ per Petrum Albretanum Episcopum Conuenarum, magno cum stomacho Philippi II. qui id obsistere possessioni Regni Nauarræi iudicabat, quare non facilè accepit diploma de continuatione Concilij Tridentini, & in eo quæsiuit nodum in scirpo*, Epistola Ossati ad Vllaregium 92. *Religio Catholica malè in Gallia habebatur: Quare Monmorantius Stabuli Comes verè*

Catho-

Catholicus, deserit Condæum, & Colinios, atque ex animo Guisiis reconciliatur. Iussu quoque Regis Condæus & Guisius in speciem sese complexi sunt, sed veram amicitiam prohibebant Religio, & ambitio, pestes pacis, & amicitiæ capitales. Odettus Cardinalis Castilioneus, Bellouacensis Episcopus eiurat Catholicam fidem, & cum paucis in Sacello suo priuato die Paschatis sub vtraque specie communicat: Rex sanciuit edicto vt nomina ista Papistæ, & Hugonoti abolerentur, soluerentur vincti ob hanc hæresim, reuerterentur ob hanc causam exules, quod promulgari Parisiis Senatus vetuit; soluti tamen qui carcere tenebantur. Comitia Regni Pontisaræ celebrata sunt, vbi verita Catharina ne tutela Regis ei tolleretur, & daretur Regi Nauarræ, omnia pollicita est Admiralio, vt sibi faueret, quod & hic præstitit. Colloquium Pisciacum de Poissy *celebratum est, pro Concilio Nationali, quod aliqui exoptabant, & cui multi Proceres, & Episcopi interfuerunt; sed & Hæretici Marloratus, Theodorus Beza, Petrus Martyr, & alij: 2. Sept. inchoatum est, vbi Hospitalius Cancellarius, se quis esset ostendit; impudenter dixit Beza, sapienter Cardinalis Lotharingus, fortiter Laynius Iesuitarum Generalis: dissolutum hoc Colloquium 25. Nouemb. quod plus obfuit, quàm profuit, multis Catholicorum ad Caluini sectam deficientibus. Ex eo etiam Hæreticis in Gallia creuit audacia; petiit Admiralius templa duobus millibus, & centum ac quinquaginta Ecclesiis, pollicitus eos omnes gratis militaturos Regi: sed rogatus eorum inire numerum, aut non potuit, aut noluit. Ioannes Tanquerellus ineptissimas proposuit, & alienissimo tempore positiones in Sorbona, de potestate Papæ in Principes, ad eos ditionibus exuendos; sed eæ damnatæ sunt à Senatu, iussúsque ineptus iste Baccalaureus palinodiam occinere, quod eo fugâ dilapso, per Bidellum præstitum est 2. Decemb. veniam à Rege duo doctores petiêre. Contigit 27. Sept. in æde S. Medardi in suburbio Sammarcelliano Caluinistarum audax facinus, qui concionante Ioanne Malone Apostatâ, & campanarum pulsu turbato, irrupêre in sacram ædem, disiecêre imagines, SS. Eucharistiam pedibus conculcarunt, Sacerdotes vulneratos in carcerem duxerunt, præfectis regionum armatis præsentibus, qui eos tegere iussi erant à Regina. Sequenti die concionem eodem loco triumphantes habuêre ducibus Andelotio & Bezâ: sed exarsit iustus Catholicæ plebis furor, quæ eos contudit, & perrexisset vlteriùs, nisi aliquot seditiosorum vi-*

lium supplicio huic factum esset satis, Belcarius, Auila, & alij Gallicæ Historiæ Scriptores. Legati Pontificis missi sunt ad Coptorum Patriarcham Iesuitæ duo, qui nihil profecère, cùm frustrà anno toto expectassent, *Sachinus lib.* 5. Poloniæ Rex Sigismundus hoc anno Liuoniam obtinuit, sponte se ipsi dedentibus Liuonibus, & Magistro Ordinis Teutonici Gothardo, qui insignia Ordinis deposuit, creatus Dux Curlandiæ, & Semigalliæ cum iure has ditiones in hæredes suos transferendi, repugnante vno Christophoro Duce Megapolitano, Guillelmi Brandeburgici Archiepiscopi senis coadiutore, qui multas deinceps hìc turbas commouit, *Neugebauerus, Chytræus, & alij.* Iacobus quidam origine Græcus Alexandrum Moldauiæ Vaiuodam deturbare parat, qui tùm tyrannicè rerum potiebatur; ac primò Iacobus graue capitis periculum adiit, subinde latebras mutans: tandem à vicinis Principibus Alexandro traditus est. Denique receptus ab Alberto Lasko, Palatino Siradiensi, in Scepusiensi prouincia, atque eius armis adiutus, Alexandrum depulit: hic ad Solimanum confugit, verùm maioribus muneribus collatis, antepositus est Alexandro; post duos autem annos, à Valachis cæsus est, ac tandem restitutus Alexander, *Leunclauius, Neugebauerus, Isthuanffius, &c.*

Anno Christi M D L X I I. Maximilianus filius Ferdinandi, inauguratur Rex Bohæmiæ 20. Sept. Rex Romanorum 20. Nouemb. & Hungariæ Rex 8. Sept. anni insequentis, *Historia Domus Austriæ.* Sessio XVII. Concilij Tridentini celebrata est die Dominicâ 18. Ianuarij; quâ resumitur Concilium. Sessione X V I I I. 26. Febr. contentio orta est inter Oratores Regum Hungariæ & Lusitaniæ, de superiori loco. Sessione XIX. 14. Maij controuersia agitata de residentia. Sessione X X. 4. Iunij, disputatum de Communione Calicis. Sessione X X I. 16. Iulij, Decreta edita de Communione; de reformatione; & in ea grauis orta difficultas de loco Laynij Soc. IESV Generalis: assignatus ei locus inter Episcopos vltimus, eâ lege vt vltimus Generalium sententiam diceret. Sessione X X I I. 17. Sept. Decreta exière de Sacrificio Missæ, & de reformatione: lectæ quoque litteræ Abdyzu Patriarchæ Musulæ in

Assyria vltra Euphratem: Abdyzu autem, id est, Seruus IESV: actum & de Sacramento Ordinis, & receptus magnificè 13. Nouembr. Cardinalis Lotharingus, *Acta Concilij.* *Hæretici in Gallia 17. Ianuarij insurgunt in Edictum Iulianum, eorúmque Primarij, Regina Nauarræ, Princeps Condæus, & Castilionei, cum Hospitalio, adeò vrgent Reginam propè nolentem, vt hoc Edictum antiquaretur, eiúsque loco substitueretur Ianuarium dictum, quo eis licitum extra Vrbes conciones, & preces habere. Intercessit huic Senatus Parisiensis per Christophorum Thuanum primum Præsidem, qui ter libellos obtulit Regi, sed tandem ei parere coactus est 5°. Martij. Diuionensis numquam paruit, reliqui Senatus Galliæ nisi ægrè, pauci in Acta retulêre. Rex de eo se apud Pontificem excusauit. Colloquium Tabernense, cui interfuit Cardinalis Lotharingus, ideò tantùm procuratum ab eodem Cardinali, vt Augustani à Caluinianis diuellerentur, ne illi his minantibus bellum, ferrent auxilium. Hoc tempore contigit Vassianus tumultus 1. die Martij, hoc est, ad Vassiacum Campaniæ, vbi aliquot vtrimque cæsi, sed plures ab Hæreticis, qui domesticos Francisci Guisij Ministrum modestè vocantes ad Dominum suum malè acceperant: dum autem hi vt pote viri fortes repugnant, illi vt multi paucos aggrediuntur, cecidêre plures ex iis qui faciebant, quàm qui accipiebant iniuriam, Guisio tamen quantum potuit tumultum comprimente, de quo Hugonoti tantas tragœdias excitarunt. Paulò post conuenientes Rex Nauarræ, Comes Stabuli, Guisius, & Santandreanus Mareschallus, statuunt Regem Lutetiam reducendum esse, vbi Condæus erat viribus inferior: statim hic eiúsque sectarij hæretici conclamant, Regem & Reginam captiuos detineri, & ad arma conuolant, exorsi à captis Aureliis, vbi atrociter in res sacras sæuiunt: Idem Rothomagi, Lugduni, Pictauij, Andegaui, Turonibus, Biturigibus præstitêre: ne Tholosa caperetur Monlucius accurrens impediit, admodum Catholica ciuitas, & inimica Hugonotorum: vbique in sanctorum maximè reliquias sæuitum & sacras ædes; nec Bibliothecis parcitum, quarum præstantissima Cluniacensis, magno rei litterariæ damno, per Posenacum deflagrauit. His artibus stabilire conati sunt Hæresim suam in Gallia Caluinus & Beza, duæ Patriæ faces, & funera. Armat ergo Rex Catholicos suos, Biturigas recipit 1. Sept. & Rothomagum 26. Octobris, ad quam vulneratus Antonius Rex Nauarræ obiit 17. Nouembris Andeliaci,*

munitus Sacramentis, & cum magno sensu pietatis, relicto filio hærede Henrico, qui postea eius nominis Quartus Rex Franciæ fuit. Ludouicus Condæus aliquot acceptis cladibus pænè desperatus recipit à Germanis auxilia ab Andelotio sub Hassiæ Mareschallo, & ad Lutetiam accedit; in quem pugnare volebant Comes-Stabuli, & Guisius, sed sapienter impediit Regina. Pergit igitur Condæus versus Normanniam vt auxilia Anglorum reciperet, quibus Portus Gratiæ concessus erat: verùm in Drocensibus campis patentibus pugnare cogitur 19. Decembris: primo impetu victi Catholici, captus vulnere accepto Monmorantius, cæsus proditoriè Santandreanus item iam captus. Sed dum Heluetij supra homines pugnant, superueniens, cum residuis copiis, & collectis fugitiuis Guisius nobilissimam victoriam retulit, quâ captus ipse Condæus, perhumaniter habitus à Guisio; non ita Monmorantius, celerrimè, & immaniter traductus Aurelias. Philiberto Emmanueli Duci Sabaudiæ restituitur Taurinum, & aliquot aliæ vrbes, quas Gallus seruare non poterat, cùm præsidiis exinde reuocandis Rex indigeret, Belcarius, Auila, & alij Franci Scriptores. Obière hoc anno Cardinales, *Turnonius annos natus* 13. *apud S. Germanum in Ledia Sylua* 22. *Aprilis:* de la Cueua Hispanus vltimo Iunij ætatis 63. Ioannes Medices filius Cosmæ Ducis Florentiæ ætatis 19. 20. Nouembris, *Victorellus Appendice ad Ciacconium:* Sed de morte Ioannis Medices duæ Sententiæ; prima mortuum esse ex grauitate aëris, cum fratre suo Garsia; altera cæsum à fratre adolescente truculento, orta inter eos rixa, patrémque Cosmum Garsiam eodem, quo ceciderat fratrem gladio interemisse, *Hadrianius, Natalis Comes, Thuanus, Victorellus, & alij.* Mortuus quoque Ægidius Magister Senatus Parisiensis Princeps, cui successit Christophorus Thuanus Catholicus optimus, atque piissimus, Pater Iacobi Augusti Thuani Historici, multùm dissimilis Patri, *Historiæ Gallicæ Scriptores.* Obiit denique Petrus Martyr Vemilius 12. Nouembris, Sacramentarius Tiguri, cùm legisset librum quo eum impugnarat Ioannes Brentius Lutheranus.

Anno Christi MDLXIII. *Dux Guisius fructum victoriæ suæ perdere noluit, sed statim Aurelias obsidet, magnum Caluinianorum Azylum, quam vrbem Andelotius propugnabat. Eò res adducta erat vt propediem capienda esset; sed Io. Pol-*

trotus Mereus Nobilis Engolismensis excitatus à Beza, & Colinio, qui ei etiam equum Hispanum ad fugam dederat, lethaliter ex insidiis sclopo eum vulnerauit 18. Februarij. Ex hoc vulnere sanctissimè obiit 14. Februarij, à multis & vbique & nondum satis laudatus, & à quibusdam, vti Martyr habitus, quòd Religionis causâ interiisset. Poltrotus missus Parisios, postquam necis huius causam in BeZam & Admiralium refudisset, quatuor equis decussatis laceratus est. Moriens autem suasit Reginæ Guisius, vt pacem cum hæreticis iniret quibus quàm honestis posset & vtilibus Ecclesiæ, atque regno conditionibus. Et verò pax Hæreticis data 19. Martij, & edictum Ianuarij, multorum malorum causa, nonnihil emollitum, & subinde variis expositionibus temperatum, quoniam Catholicis vehementer displicebat, de quo etiam Rex sese excusauit apud Pontificem, atque Concilium, Belcarius, Auila, & alij Galli Scriptores. Summus Pontifex Cardinalem Castillionem, qui deposito Episcopi nomine, se Comitem Bellouacensem nuncupabat, aliósque Præsules aut hæreticos, aut hæreseos suspectos Romam citat, & Cardinalibus quibusdam eorum iudicium committit, *Constitutio 67. Pij IV. Homerus Tortora, Thuanus. Excitata est controuersia in Concilio Tridentino magna de loco inter Comitem Lunensem Oratorem Philippi II. & Oratores Gallos Caroli IX. quos primò præcedere volebat, deinde etiam iis in ceremoniis æquari: tandem ne Concilium turbaretur passus est, non satis prudenter, Cardinalis Lotharingus, vt separato sederet loco. Sed iterùm recruduit controuersia propter thurificationem, & pacem; & obtinuerat Lunensis à Legatis Concilij, vt eodem tempore & Gallo, & Hispano fieret thurificatio, eodem tempore pax offerretur, sed id discussum est, neutri facta thurificatio, nulli pax oblata, qua de re questus est Ferrerius Legatus, immo & ipse Guisius paulò ardentiùs, & intentatæ minæ etiam Pontifici, quæ non ab omnibus sunt probatæ: visæ tamen sunt Cardinali Lotharingo in tali casu necessariæ*, Thuanus, Valdesius, Belcarius, & alij. Sessio XXIII. Concilij Tridentini celebrata est 15. Iulij, in qua emissum decretum de Sacramento Ordinis, & reformatione circa idem Sacramentum. Difficultates quoque magnæ propositæ de matrimoniis clandestinis, & impedimentis Matrimoniorum, & aliis rebus. Sessione XXIV. 11. Nouembris editum est decretum de Matrimoniis clandestinis, de

Episcoporum authoritate, & petitus Concilij finis. Sessione XXV. & vltimâ, die Veneris 3. Decembris actum de Regularibus, eorúmque reformatione; lecta Decreta de Indulgentiis; & Sabbato sequenti terminatum Concilium per solitas acclamationes atque subscriptiones, cùm fuisset indictum Mantuæ à Paulo III. 1536. sed irrito conatu, sicut & anno sequenti Vicentiæ, & Tridenti 1542. & cœptum tantùm 1545. ac 7. sessionibus ibidem celebratum 1547. translatum Bononiam toto quadriennio quieuit. Tum sub Iulio III. ressumptum Tridenti 1551. & 1552. suspensum donec sub Pio IV. renouatum 1562. tandem hoc anno 1563. absolutum est, *Acta huius Concilij*. In Calabria Marcus quidam Bernardus Consentinus se Regem dixit, & contra se missum Proregis Legatum superauit: sed posteà victus & captus, dissipatis eius copiis, aureo vinctus caput diademate, laqueo insuper ex auro & serico suspensus est, *Hadrianius, Costus, Natalis Comes*. Ioannes Basilides Lithuaniam incursat, & multa crudelitatis in ea vestigia relinquit: sed eum anno sequenti Radziuilius, Vilnensis Palatinus ingenti clade deleuit, *Res gestæ sub Ferdinando, Neugabauerus*. Sodalitates B. Virginis hoc anno sumpsêre exordium, per Ioanem Leonium Belgam vltimæ Grammaticæ Magistrum, quas meritò religiosarum familiarum, & eximio in sæculo pietatis Seminaria meritò dixeris, *Sachinus Hist. Soc. lib. 7. Bulla Georgij III.* Obière viri docti *Ioannes Brodæus Turonensis ætatis anno 60. Turonibus: Arnoldus Feronus, Senator Burdegalensis, Pauli Æmilij continuator, ad obitum Francisci I. ferè quinquagenarius*: ex Heterodoxis Wolfangus Musculus Lotharingus, ex Monacho Benedictino & Sacerdote factus Apostata, mortuus est Bernæ ætatis anno 66. Augusti 30. Sebastianus Castalio annorum duodequinquaginta Basileæ 29. Decembris, *Bibliothecarij*.

Anno Christi MDLXIV. Quamquam Ministri Curiæ Romanæ obsisterent, quominùs Concilium Tridentinum obseruaretur & confirmaretur à Pontifice, his tamen neglectis damnis, quæ inde in reditus sanctæ Sedis redundare videbantur, id confirmauit 26. Ianuarij, & iussit obseruari 1. die Maij. Statim in id insurrexerunt Heterodoxi; aduersus illud Examen suum scripsit Martinus Kemnitius, opus viru-

lentum, & dignum eius ingenio, ac improbitate. Ne quid autem peruersis interpretationibus in hoc Concilio mutaretur, constituit Pontifex 8. Cardinales ad quos referretur, si quid difficultatis occurreret, vetuítque quemquam ex suo sensu id interpretari: sed ad Sanctam Sedem recurrere, si quid dubij occurreret, *Bulla Pij IV. & Historia huius Concilij.* Atque initio non est susceptum ab omnibus Principibus hoc Concilium: Imperator enim & Bauarus petebant vsum Calicis, & nuptias Sacerdotum; Philippus II. dolebat impositum esse finem Concilio, sine suo consensu, & prætereà volebat obtinere sessionis supra Gallos prærogatiuam; *sed supra reliquos repugnauêre Galli, apud quos nondum susceptum est, quoad capita reformationum, nisi quæ fuerunt in Comitiis Blesensibus constituta. Certè Carolus Molinæus Gallus Iurisconsultus consultationem edidit contra istud Concilium: sed ob id iussu Senatus Parisiensis datus est in custodiam, vnde tamen Regis iussu liber abiit. Is autem si Hæreticus fuit, quod est similius vero, Lutheranus sanè fuit, non Caluinianus; dicitur tamen proximus morti resipuisse, & errores suos detestatus esse coram tribus Theologis, & obiisse sexagenario maior 28. Decemb.* 1558. Sanderus, Genebrardus, & alij. *Fœdus inter Gallos, & Heluetios renouatur; Anni item initium in Gallia affigitur Kalendis Ianuarij, vt apud alias gentes, cùm anteà hîc à Paschate annus inchoaretur. Iter suscipit Rex per vniuersum Regnum (pace proclamatâ inter ipsum & Elizabetham Angliæ Reginam) vt eius malis prospiceret. Peragratis multis Prouinciis Russilionem venit, vbi Edictum condidit 4. Aug. quo superiora Edicta de Hugonotis explicabantur, inde dictum Russilionense, de quo grauiter conquestus Condæus, sed verbis à Rege placatus est: hæc autem hyems asperrima fuit, ideòque aulicis ingratissima, tunc temporis cum Rege peregrinantibus*, Belcarius, Auila, & alij Franci Scriptores. *Romæ iterùm coram Pontifice agitata est controuersia de primo loco Gallorum Legatorum, supra Hispanos, sed iustissimus Pius IV. eam Gallis adiudicauit,* Onuphrius, Hadrianius, Antonius Herrera, Campana, Contra Valdesium, amicam hanc fuisse compositionem asserentem, vide Spondanum hoc anno 1564. numeris 114. 15. 16. 17. Hispani expeditionem suscipiunt Africanam, ad recuperandum Pinolium, vulgò *Le Pignon de Velez*, quod à Barbaris fuerat occupa-

tum: sed arx ista per Garsiam Toletanum nullo negotio recepta est, præsidiariis Afris turpi fugâ dilapsis, *Iacobus Bosius in Historia Hospitaliorum.* Ferdinandus Imperator obiit Viennæ 25. Iulij annos natus 60. cum 9. mensibus, & aliquot diebus, ferè diebus sex ab obitu fratris Caroli V. successit Patri Maximilianus II. Rex Hungariæ & Bohæmiæ, & Austriæ Archidux, cæteris ditionibus inter fratres diuisis, *Scardius in Epitome rerum gestarum sub Ferdinando, & alij.* Coniuratio grauis in Pium Pontificem detecta, cuius author, & caput Benedictus Accoltius, cum aliquot aliis oppressis ære alieno, qui sic rem facere suam cogitabant, Româ Pontificis morte perturbatâ. Hunc spiritum cædis à Theodoro Beza hausisse ferebantur: subiectíque quæstioni nihil fassi sunt, nisi quod Accoltius dixit se ab Angelo persuasum esse, *Natalis Comes, Thuanus, &c. Mortuus est hoc anno 27. Maij Geneuæ, anno ætatis 55. Caluinus, vir flagitiosè nequam, atque ex sanguine concretus, quem copiosè fundendum curauit in Gallia; obiit autem inter blasphemas voces, Dæmoni se deuouens, cruciatibus maximis tortus, quidquid Theodorus Beza garriat, qui ei in Caliphatu Geneuensi successit,* Franciscus Balduinus, Hieronymus Bolsecus, Iacobus Langeus Scotus, Prateolus, Raymondus, &c. Maria Regina Scotiæ denupsit 29. Iulij Henrico Stuartio Darlæo filio Comitis Lenoxij, & Leuiniæ, annorum 22. formosissimo Principi, atque Catholico; sed mox in vtrumque insurrexit Iacobus nothus Morauius Comes, cum rebellibus, qui victi in Angliam profugêre, *Scoticæ Historiæ Scriptores.* Obiit Romæ Michaël Angelus Bonarota Florentinus anno ætatis 90. Princeps picturæ, statuariæ, & Architecturæ, quicum disputauit Raphaël Vrbinas, sed eo mortuo in ætatis flore, sine dubio, sibi primas vindicauit, *Libellus de pictoribus.*

Anno Christi MDLXV. Dissidium ortum inter Mareschallum Monmorantium, & Cardinalem Lotharingum Guisium, cui Rex perditis hisce temporibus satellites habere concesserat: *Inter vtriusque famulos armis decertatum, sed Rex litem composuit*, Belcarius, Auila. *Iesuitæ petiêre à Senatu Parisiensi facultatem docendi; opposuit sese Academia, pro illis orauit Versorius eloquentissimus, contra illos Paschasius, vir confusissimæ, & friuolæ eruditionis; Menilius Procurator Regius vtroque*

Oratore

Oratore increpito, Academiæ fauit; causa sic ampliata à sapientissimo Senatu, facta potestas interim Iesuitis iuuentutem instituendi 5. Augusti, quod erat tunc contra Hæreses præsens certúmque remedium, Sacchinus in Hist. Societatis. *Carolus IX. magnificentissimè vbique suscipitur, Narbone, Tholosæ, Burdegalæ, Baionæ, vbi eum Elizabetha Hispaniæ Regina inuisit, inde Molinum venit, hîc hyemem traducturus, quò Regni Comitia in annum sequentem indixerat*, Belcarius, Auila. Pertinent ad hoc tempus initia tumultuum Belgicorum, cùm in ea regione multi essent infecti hæresi, & primùm extorquere precibus conati sunt à Philippo conscientiæ libertatem, quod à Carolo IX. in Gallia armis expresserant; sed ab eo reiecti sunt, iussum obseruari Concilium Tridentinum; & alia quæ ad seruandam auitam religionem valerent, *Florentius Vander-Haër de initiis tumultuum Belgicorum.* Obsidetur Melita Insula per Mustapham, & Pialim Bassam cum 30. aut 40. hominum millibus, nauigiis ducentis. Expugnarunt hi Arcem S. Hermetis, iactis in eam duodeuiginti globorum millibus tormentorum bellicorum: sed tam acriter restitêre Equites vt 4. Turcorum millia ceciderint, & in cæteros Dragutem; duo millia tamen Christianorum in ea interiête, inter quos centum & decem Equites. Inde nihil commotus Io. Valeta Parisotus magnus Magister auxilium petit à Garsia Prorege Siciliæ, à quo vix sexcentos milites accepit; tandem pænè captis Arçe S. Michaëlis, & Burgo, & virtute tantùm Parisoti, & Equitum defensis, conuicio Equitum, qui huic aderant, Garsias impulsus, & iussione Philippi, cum octo millibus ad Melitam appulit 7. Sept. desperatis Turcis, & iam recedentibus; iísque expositis statim ipse recessit, ad nouas copias subuehendas. Verùm Turcæ animaduersâ auxilij paucitate decem suorum millia exscensionem facere iubent; verùm occurrentibus eis Christianis animatis à Parisoto, dedêre terga, raptímque conscensis nauibus, & suorum aliquot relictis vela fecêre 12. Sept. frustrà contritis in hac obsidione 4. mensibus, 78. millibus globorum nequicquam explosis, desideratis militum 15. millibus & octo millibus classiariorum. Solimanus accepit nuncium huius cladis fortiter, Pontifex religiosè, Philippus II. iustè, exautorato Garsiâ, ob pericu-

lum Melitæ ex eius cunctatione, *Hieronymus Comes Alexandrinus, Hubertus Folieta, Cælius Secundus Curio, Io. Antonius Viperanus, Natalis Comes, Laurentius Surius, Iacobus Thuanus, Iocobus Bosius, Hadrianius, & alij.* Pius IV. Pontifex obiit 9. Decembris, annos natus 67. cùm in Petri Sede annis ferè sex sedisset, *Onuphrius in eius vita, & alij.* Eius nepos S. Carolus Borromæus agens annum 27. primum Concilium Mediolanense celebrauit mense Octobri, vt & alia passim celebrata, *in Tomis Conciliorum.* Puritani hoc anno in Anglia exordium sumpsère, sic dicti quod se puriores cæteris Hæreticis præstarent, omissis quibusdam ceremoniis externis, quæ erant apud alios in vsu; hi autem *puritani rigidi* dicti, vocabant cæteros, *molles, Parlamentarios, & Caluinos Papistas, Sanderus de Schismate, & de Visibili Monarchia. Franci Hæretici iussu Colinij in Floridam nauigant, & arces aliquot excitant: sed Hispani eas exscindunt, & inuentos in eis Gallos crudeliter necant; verùm iis anno 1568. Georgius reposuit vicem*, Thuanus, Theodorus de Bry, & alij.

Anno Christi M D L X V I. Antonius Michael Gislerius Dominicanus electus est in locum Pij IV. 7. Ianuarij dictus Pius V. hoc nomine dignissimus, coronatus 17. Februarij, in cuius initiis Onuphrius Panuinus Eremita S. Augustini, finit Vitas Pontificum, additas Vitis Platinæ, quas dicauit eidem Pio anno sequenti, & 1568. obiit Panormi 16. Martij, vix annos natus vndequadraginta. Pius Caraffas statim restituit, in reformationem Vrbis & Curiæ incubuit; multa sanctè instituit, vt confessionem ægrorum antequàm alterâ vice à Medicis inuiserentur, &c. *Massonus in vita Pij V.* Turcæ occupant Insulam Chium, iam à Iustinianis Genuensibus à ducentis & ampliùs annis possessam, festis Paschalibus. Iustiniani translati Theodosium *Caffa* in Tauricam Chersonesum: vnus & viginti pueri ex ea familia Constantinopolim traducti in Ephebium Turcicum, & vi circumcisi, omnes retinuère fidem, omnes inter immanes virgarum cruciatus interierunt, veri Martyres innocentes, *Bosius in Historia Hospitaliorum.* Solimanus expeditionem suscipit in Hungariam, & Albæ Græcæ, seu Belgradi humaniter suscipit Io. Sigismundum Vayuodam Transyluaniæ, ac muneribus exornatum dimittit: inde

Zigethum obsidet, quam fortissimè defendit Comes Zrinius, seu Serinius, Vrbéque veteri, ac Nouâ captis, recessit in Arcem, ex qua igne in eam iniecto, vestibus pretiosis ornatus, in Turcas fecit impetum, & gloriosè occubuit;. Triduo antequàm Zigethum occuparetur omninò, Solimanus obiit ex Apoplexia 4. Sept. sed eius occultata mors, à Mahomete Bassa, genero Selimi, donec veniret in castra Selimus filius Solimani, ex Asia, vbi versabatur. Mortuus est Solimanus I I. anno ætatis 76. Imperij 46. successit ei Selimus annos natus 42. longè moribus dissimilis Patri, voluptati deditus, ebriosus, fœdifragus. Induciæ inter illum & Maximilianum huic percommodæ initæ sunt, *Samuel Budixa Laubacensis, Franciscus Forgachinus, Petrus Bizarrus Sentinas in bello Panonico, Isthuanffius, Leunclauius, Belcarius, & alij.* Vnus ex filiis Thammasi collectis paruis copiis Babylonem, seu *Bagdet* recuperare parat, sed detectus, à Præfecto Turcico, & pugnare coactus, pænè omnes suos perdidit, cuius factum pater excusauit, negauítque se conscio id factum esse, *Bizarrus rerum Persicarum lib.* 11. Mense Ianuario Molinis habitus est Conuentus Procerum, in quo reconciliati Colinius Admiralius, & Cardinalis Lotharingus, ac vidua Francisci Guisij, nam tum aberat Henricus Guisius, bello *Hungarico distentus*, Belcarius, Belleforestius. *Simon Maius audax latro statuit Regem & Reginam occidere; hic detectus & captus asseruit se ab Admiralio inuitatum esse ad hoc facinus; cùm id probare non posset, metu maioris mali, in rota vt latro confractus est*, iidem qui suprà. Gueusiorum initia huc pertinent, cum circiter 500. atque ex iis multi nobiles cum veste cinericia, scutella lignea, & numismate ex collo, in quo hæc verba, *Iusques à la Besace*, supra duas manus Manticæ superpositas, 5. Aprilis quaterni prodeuntes ad Margaritam Regentem accesserunt Bruxellis: quibus visis cùm dixisset Carolus Comes Barlæmontius, *Que veulent ces Gueux*, inde Hæreticis Belgis hæsit nomen, Gueusiorum, vt in Francia Hugonotorum, qui eadem sacrilegia cum Hugonotis Francis perpetrarunt, easdem rebelliones mouerunt, *Belcarius, Metaranus, Surius, Scardius, Natalis Comes, Meyerus, Wanderhaerius Traiectinus.* In Scotia Maria Regina valdè turbata est, per Henricum fratrem nothum,

quem Elizabetha fouebat. Is Reginam insimulauit quasi fidem coniugalem falleret, & Dauidem Riccium Taurinensem Musicum, turpiter amaret: persuasêre ergo Hæretici Henrico Regi, vt hunc Dauidem manu suâ coram Regina interficeret, vt vicina partui abortum faceret, atque moreretur. Cæsus ergo Dauid coram Regina, ipsa cubiculo inclusa: in quo cùm de ea cædenda ageretur; eam adiit facti iam pœnitens Henricus Rex, coniurationem aperuit, veniam obtinuit, delusísque custodibus in Arcem Dumbarum fugit, vnde collectis copiis rebelles aggressus, eos in Angliam recedere compulit. Verùm iis malitiosè reditum, & veniam impetrauit Elizabetha, vt miseram Mariam in suos casses deduceret, *Scardius de rebus gestis sub Maximiliano, Chytræus, Remundus, Thuanus, & alij.* Eadem Maria Regina enixa est Iacobum eius nominis VI. qui 18. Decembris Catholico more baptizatus est, ægrè tamen id impetrauit mater, quam litteris suis consolatus est Pius V. misso etiam ad eam Legato, magnæ prudentiæ viro, & quod ei magis profuit, viginti millibus aureorum, *Florimundus Remundus, Genebrardus, & alij.* Ioannes Fuccius author Chronici quod ad annum 1553. produxit, hæreticorum meram officinam, ex concionatore prædicante factus Consiliarius Ducis Prussiæ, vltimo supplicio est affectus, quòd aliqua consilia dedisset aduersus Regem Poloniæ supremum Prussiæ Dominum, annos natus 48. *Chytræus Saxoniæ lib. 21. Energumena Laudunensis* de Laon, *Nicolea Aubry Veruiniensis per S. S. Eucharistiam à Dæmone liberata est coram 10. hominum millibus & ampliùs, inter quos erat Florimundus Remundus, de Hæretico factus Catholicus,* Idem Florimundus lib. 2. c. 12. Nascentis Hæreseos. *Franciscus Belcarius Peguillio Episcopus Metensis ad hunc annum suam perduxit Historiam, orsus à 1462. Mortuus ipse 1591. 14. Febr. anno ætatis 91.* Bibliothecarij. *Hoc quoque anno obiit Michaël Nostradamus Salonensis in Prouincia, ætatis 62. cum dimidio, 2. Iulij, cuius multa prophetice dicta inaniter iactantur, & in dies ab otiosis hominibus conficiuntur,* Historia Prouinciæ.

Anno Christi MDLXVII. Ecclipsis Solis contigit 9. Aprilis. Henricus Nothus Mariæ Reginæ frater Henricum Regem tollendum curat, supposito eius cubiculo puluere

tormentario per Iacobum Heburnum Comitem Bothuelium, cui ab illo, & cæteris coniuratis promissæ erant Reginæ nuptiæ: & verò hic illam rapuit, & duxit. Verum illicò Henricus Nothus & Sectarij vtrumque obsederunt, at illi mutato habitu Dambarum confugerunt, & Regina collectis raptim copiis occurrit rebellibus. Negant illi sibi rem esse cum Regina, Bothuellem dimittat, illam tutam fore. Illi miseram Edimburgum in triumphum raptant, includunt domo Iudicis rerum capitalium, & post biduum 14. Iunij traductam ignominiosè per vrbem includunt in Arce Leuinia *Lokleuin*, in medio lacu. Hîc addicitur neci, quam vitauit tantùm deposito in speciem regño, & filio infantulo commisso, qui 29. Iulij Rex Scotiæ inauguratus est Sterlingæ eius nominis Iacobus VI. Omnia egêre sceleratissimus Morauius, & hæretici huic coniunctissimi, vt Reginam cædis mariti ream arguerent, sed id numquam præstare potuêre, *Camdenus in Elizabetha contra Buchanani calumnias, quas hic statuerat abnegare si superuixisset.* In Belgio concitati Gueusij nonnihil sunt repressi, captis Valencenis, & rebellibus quibusdam laqueo suffocatis, *Famianus Strada.* Mittitur in Belgium Ferdinandus Aluarus Toletanus Dux Albæ homo ferus & sæuus à Philippo II. vt rebellionem Flandricam Gueusiorum extingueret, qui Bruxellas venit 22. Augusti, vbi monuit omnes arma deponere, & auitam Religionem seruare. Nec ita multò post 9. Sept. Proceres aliquot Belgas mittit in carcerem Lamoralum Egmundanum, & Philippum Monmorantium Hornanum Comitem (qui etiam egregiam nauarant operam, ad tollendam rebellionem) multósque alios in custodiam dedit, quare multi metu perculsi in Angliam, Galliam, Germaniam ad 30. millia confugêre, *Natalis Comes, Auila, Famianus Strada, & alij. In Gallia Admiralius, & Condæus iterùm rebellant in Regem, eúmque Meldis intercipere parant, sed per Heluetios, inuitis rebellibus, & nobiles aliquot Parisios reducitur 28. Sept. Condæus ergo Lutetiam obsidere parat, aut saltèm, huic incommodare, sed eum in Sandionysianis campis Comes Stabuli Monmorantius inuasit, qui quâ parte stabat, victus & grauiter vulneratus sex plagis post duos dies obiit annos natus 80. eius filius qua parte pugnabat Hugonotos prostrauit, & victoriam recepto patre re-*

tulit, Condæo tantùm non cæso 10. Nouembris. Hic tamen Condæus, auctis copiis Carnutum obsidet, vbi imago B. Virginis in porta numquam potuit sclopis violari, quamuis in eam frequentes ab Hæreticis disploderentur. Tandem hîc pax inita dicta à loco Carnotensis; *sed hæc diuturna non fuit, nam Truchares Vrbu Maior Rupellam Condæo prodidit, quæ deinceps facta est Azylum Hæreticorum, atque rebellium vsque ad annum 1628. quo à Lud. XIII. recepta fuit*, Auila, & alij Historiæ Gallicæ Scriptores. *Dominicus Gurguesius nobilis Vasco Momnarsanus, malè tractatus ab Hispanis, vt eis noceret, in Floridam filius Senatoris Burdegalensis nauigat cum 200. militibus selectis., præter nautas; soluit cum tribus nauibus ex portu Burdegalæ, quasi vela facturus in Brasiliam 22. Augusti. In Floridam cum appulisset fœdus init cum Regibus Barbaris, quos Hispani malè tractabant, Carolinam arcem Gallis ereptam, & alias duas occupat, omnes Hispanos cædit aut captos suspendit ex arboribus, ex quibus Galli pependerant., ipse cum tormentis, & magnâ prædâ triumphans rediit: latere tamen compulsus apud amicos, ob querelas Philippi II.* Marcus Lescarbotus in Historia Nouæ Franciæ, Augustus Thuanus, Theodorus de Bry.

Anno Christi M D LXVIII. Carolus Infans Hispaniæ, filius Philippi II. ex prima coniuge Maria, à patre suo in cubiculo arctè includitur; quam ob causam satiùs est fateri se ignorare, quàm vaticinari. Hoc certiùs mo- litum esse fugam cum Ioanne Austrio, ideóque inclusum esse. Mori volebat, & dicitur adamantem vorasse, vt eius angulis viscera frangerentur; cùm id non succederet, modò magnâ inediâ vtens, modò cibo sese ingurgitans, haustâ insuper aquâ copiosâ, resoluto stomacho ex dysenteria obiit 24. Iulij, magnificè sepultus Madriti iussu parentis, *Natalis Comes, & Narratio Italica de hac morte.* Cætera quæ de hac morte dicuntur, aut incerta sunt, aut falsa. Regina Scotiæ Maria operâ Georgij Duglassij, cuius fratri commissa erat Arcis custodia, clàm nauiculâ se subducit ex arce Leuinia 2. Maij. Sed comitibus eius victis à Morauio, confugit ad Elizabetham, apud quam accusata à Morauio cùm innocens videretur, annis 19. Tuburiæ in carcere seruata est, *Camdenus contra impium Buchananum.* Coniurati Flandri copias educunt aduersus Albanum, sed

25. Aprilis deleti sunt ad Dalemum. At in Frisia Comitem Arembergensem profliganr 24. Maij, Duce Ludouico Comite Nassouio, Arausicani fratre; in eo tamen prælio cæsus est Arembergij manu Adolphus frater Iunior Arembergij, qui & vicissim à quibusdam militibus cæsus, multíque Hispani suspendio necati. His auditis Albanus Comites Egmondanum, & Hornanum securi percuti iubet; qui erat Egmondano à Secretis, viuus 4. equis disceptus est, quidam suspecti viui combusti, alij atrocibus suppliciis sublati, adeò vt plerique fugerent, ipse Albanus audiret, *Belgij Busiris*. Cùm autem Guil. Nassouius Arausicanus Princeps cum magnis Germanorum copiis in Belgium irrupisset, & traiecisset Mosam, Albanus effecit prudentiâ, & cunctatione suâ, vt abscedere cogeretur; quare ei Pontifex gratulatus est, missis muneribus, maximè quòd Synodum Tridentinam promulgari iussisset. Nec ipse sibi Albanus defuit, erectâ sibi æneâ statuâ ex ære tormentorum hostilium. Recedens in Germaniam Arausicanus inuitabatur à Gallis Hæreticis, qui cum eo militabant, Ianlio, & aliis, sed deterritus est à Gaspare Schombergio, quem Carolus IX. ad eum miserat; itaque Argentorati venditâ supellectile, oppigneratísque bonis, Ducibus suis vtcumque satisfecit, & militem dimisit, *Auila, Famianus Strada, & alij. Cancellario Hospitalio adimuntur sigilla, quæ primùm Moruilierio Episcopo Aurelianensi, deinde Birago Cardinali commissa sunt. Condæus in Cardinalem Lotharingum Guisium insurgit, eiúsque fautores* Politicos *vocat; simúlque Hæretici vi aut fraude Santonensem, Engolismensem, & Pictauiensem agros occupant, & per Aquitaniam, Occitaniam, Delphinatum delectus habent; petunt & auxilium à Germanis, ab Elizabetha pecunias recipiunt; immò & Turcos aduocant, vtpote à religione sua minùs, vt aiebant, abhorrentes. Sic exortum Tertium bellum Hugonoticum*, Auila, Florimundus Remundus, Petitus, Franciscus Balduinus, &c. Ioannes Finlandiæ Dux, contra fratrem suum Erricum insurrexit, eum compingit in carcerem, vbi post annos 10. obiit, & se inaugurandum curat vltimo Septembris, Ioannem huius nominis tertium appellat; pacem cum Danis abrumpir, quibuscum post biennium arctiùs iungitur, *Scardius, Chytræus*. Denique funda-

tum hoc anno primum Carmelitarum discalceatorum Cœnobium in loco *Duruello* prope Abulam, cùm iam Virginum aliud in ipsa vrbe Abula conditum esset, vtrumque operâ S. Theresiæ Virginis Sanctissimæ. Duruellense autem, institutum est die festo S. Andreæ 30. Nouembris, cuius primi fuêre Religiosi *Antonius* Heredius, dictus *Ioannes à* IESV, & *Ioannes* de Yepez dictus *de Cruce* dati à Deo Sanctæ Virgini auxiliatores ad tantum opus, *Vita S. Theresæ, vita Io. à* IESV, *Miræus, & alij.*

Anno Christi M D L X I X. Ecclipsis Lunæ contigit 3. Martij, *Rex Carolus IX. committit exercitum suum Catholicum fratri suo Henrico Andium Duci, cui comites dati Henricus Guisius, Brissacus & alij Duces optimi, quibus erant oppositi Sectarij, Ducibus Ludouico Condæo, Coliniis, hoc est, Admiralio, & Andeloto, itemque Lanoio & aliis; pugnam ij commisêre inter Iarnacum & Castrum-nouum ad Fluuium Carentonum, & totis decem horis decertatum; hîc cæsus Condæus à Montesquio Andium Ducis Prætorianorum ductore, eiúsque corpus impositum Asellæ ad contumeliam, est Iarnacum deportatum; Fugêre Colinij ad Fanum S. Io. Angeriaci, qua de victoria habitæ sunt Deo gratiæ solemnes, & in Gallia & Romæ. Reparat nihilominùs bellum Admiralius, ad quem summa rerum delata est (sub Henrico Benearnensi & filio Lud. Condæi) qui paulo post prælium perdiderat fratrem Andelotum, Sacerdotum ad insaniam hostem, vtpote qui ex eorum auribus sibi aptare torquem, omni auro, vt aiebat, nobiliorem; in Admiralij auxilium venit Wolfangus Bauarus Dux Bipontinus cum 7600. equitibus & totidem peditibus; sed antequàm Admiralio iungeretur, obiit ex crapula 11. Iunij, relicto Ductore Volrado Mansfeldio. Interim dum copiæ Regiæ reficerentur, Hæretici quaqua versus excurrebant, & capiebant vrbes: sed nobilissima fuit Gabrielis Comitis Mongomerij excursio per Aquitaniam, Fuxíque Comitatum, in qua Tarbam cepit, & ditionem Benebarnensem recuperauit, captam à Io. Lomanio Terida, qui captus cum aliquot nobilibus iussu Ioannæ Reginæ cæsus est. Admiralius autem Pictauium obsedit, magnam vrbem, quæ virtute potissimùm, & alacritate Henrici Guisij seruata est. Hugonoti enim post 50. dierum grauissimam oppugnationem, recesserunt quasi suppetias laturi Castro Eraldi, quam vrbem Henricus Andium Dux obsidebat. Nec ita multò post pugna inita est ad Moncon-*

Moncontarium 3. *Octobris, cui prælusum erat aliâ pugnâ & victoriâ Catholicorum ad vicum S. Claræ in agro Pictauiensi* 30. *Septembris. Hic ergo planè victi Hæretici, excussus equo Henricus Audegauensis periculum adiit: virtute maximi Henrici Guisij parta victoria, per quem vulneratus in maxilla Admiralius, cùm leui capitis inflexione ictum sclopi in fronte declinasset: multi ex Germanis cæsi, maximè ab Heluetiis; capta omnia tormenta bellica, omnia peditatus signa*, 10. *Hæreticorum millia aut (vt alij volunt)* 17. *perierunt*, Auila, Hadrianius, & Francici Scriptores. *Inde capitur Fanum S. Ioannis Angeriaci*, 17. *diebus, etiam coram Rege à Pilio defensum. Principes Nauarrus, Condæus, & Admiralius Montem-Albanum recesserunt, ibíque hyemarunt, recreati copiis Mongomerij victoris ex Bencharnia redeuntis. Aliunde Hæretici Nemausi crudelitati fræna laxarunt, vbi Catholicos, aut iugulatos, aut semineces, aut viuos in puteos coniecêre; vix parcitum Vrbis Episcopo, eius Vicario se pro illo offerente. Dum autem volunt iidem Hæretici Turrim magnam Bituricensem occupare malè mulctati sunt*, Auila, & alij Francici Scriptores. Pius V. fouet turbas in Anglia concitatas occasione discordiæ inter Philippum II. & Elizabetham, quæ appulsam ad Anglicum littus pecuniam missam ad Albanum in Belgium, detinuerat: & Catholici inde libertatis spem concepêre: sed dum timidiùs agunt, nihil obtinuêre, quàm vt plerique eorum aut cæderentur, aut exuerentur bonis, aut ex Anglia fugere compellerentur, *Vlloa, Cambdenus, Sanderus de Visibili Monarchia, &c.* Idem Pius Iudæos pellit ex statu Ecclesiastico præterquàm Româ, & Anconâ: Cosmúmque Medicem Magnum Etruriæ creauit Ducem, ac Regiâ Coronâ donauit, quâ tam ipse, quàm eius successores vti possent, intercedentibus tamen Maximiliano Imperatore, & Philippo II. nihilominùs Romæ peracta est cerimonia Dominicâ Lætare 4. Martij, *Hadrianius, Thuanus, Pij Constitutiones, &c.* Ioannes Austrius Nothus Caroli V. Philippi II. frater ab eo mittitur aduersus Mauros Granatenses, qui permissi erant subsistere in Andalusia. Hi pressi nimiâ seueritate Præfectorum, & edicto Philippi, quo iubebantur vestes & insignia veteris ritus ponere, spe auxilij Turcici rebellarunt, selecto sibi Rege Ferdinando Valocio, quem Aben-Humeiam dixêre; sed hic captus est,

proditione mulierculæ, quam alius amabat, & ſtrangulatus eſt. Eius loco ſuffectus Abdala Aben-habus ex veteri Regum Granatenſium proſapia, qui Rex Granatæ, & Andaluſiæ dictus, aliquot vrbes occupauit, Hiſpanis militari licentiâ penitus corruptis; quibus tamen animos fecit Io. Auſtrius. At cùm ſæpè audirentur voces Maurorum excuſantium præterita, Philippus ad veniam eis dandam viſus eſt propenſior; atenim negotium turbauit Melicus quidam facinoroſus, quo demùm in prælio cæſo, prudentiâ Ducis Aracoſij res compoſita eſt, Philippo reformidante ſapienter, ne licentia militaris Hiſpanica ad ditiones ſuas alias intempeſtiuè tranſiret, *Hadrianius, Thuanus, Mariana, & alij.*

Anno Chriſti MDLXX. Pius V. auditis ſceleribus Elizabethæ Reginæ 25. Februarij eam excommunicat, ſubditos eius à ſacramento fidelitatis abſoluit: quam ſententiam publicè Londini ad fores Epiſcopi affixit Ioannes Feltonus, vir nobilis; nec monitus fugere voluit, & ſupplicium fortiſſimè pertulit, deteſtatus Elizabethæ Papatum, *Bulla Pij V. & Sanderus de viſibili Monarchia.* Henricus Nothus Comes Morauius Mariæ Scotæ perſecutor, in medio ſatellitum ſuorum ſclopo interficitur à Iacobo Hamiltonio; quem hic, vt addictum Reginæ, perſequebatur; & mortuus eſt inter imprecationes, & execrationes 23. Februarij. Hamiltonius Lutetiam fugit, vbi factus eſt Catholicus, *Sanderus & alij contrà mendacem Buchananum.* Nec ſopiti tumultus eius morte, ſed accenſi: ſæuitum in Hamiltoniorum familiam; propoſitæ graues conditiones Mariæ ab Elizabetha, quas ipſa exploſit, deinceps duriùs habita, *Cambdenus, Sanderus, & alij.* Selimus Cyprum inuadere deſtinat, omiſſis Hiſpanis, & Regno Granatenſi, in quod à Mauris inuitabatur: prætextus fuit quòd Piratæ infeſtantes Turcos Cypriis portubus exciperentur. Ineunte ergo Iulio Cyprus inuaditur, & obſidetur Nicoſia 26. Iulij, quæ non ſatis ſapienter à Nicolao Dandulo Præfecto vrbis parata fuerat; ſed is demum animoſè periit cum 20. millibus Nicoſianorum, vrbe per vim captâ 9. Septembris poſt 45. dierum acerrimam oppugnationem. Inde ſelectæ virgines, matronæ pulcherrimæ, pueri formoſiſſimi tribus nauigiis

missi ad Selimum omnes periêre, cùm Matrona Cypria vnam ex nauibus, in qua ferebatur, incendisset, quibus flammis duæ quoque aliæ inflammatæ sunt. Famagustam sensit Mustapha non facilè expugnari posse, imminente hyeme. Quare relictis ad eam onerariis aliquot, recessit, pugnaturus aduersus classem Christianorum maximam, in auxilium Nicosiæ missam, quæ facilè Turcos superare potuisset, nisi Auria salutare consilium discussisset; eo enim authore hæc magna classis in Occidentem redire statuit, quasi tantùm missa esset ad vnam Nicosiam liberandam, *Hubertus Folieta, Petrus Bizarus, Andreas Maurocenus, Natalis Comes, Hadrianius, Iacobus Bosius, & alij. Pax initur in Gallia cum Hugonotis, iisque traditæ 4. vrbes, Rupella, Montalbanum, Cognacum, Charitæum. Carolus IX. agens annum 21. ducit vxorem Elizabetham Maximiliani II. filiam*, Historiæ Gallicæ Scriptores. Humiliatorum Ordinem deprauatum emendare voluit S. Carolus Borromæus, at ab eorum vno appetitur bombardâ dum orat, nec ei globus nocuit, quare hic Ordo extinctus 7. Februarij, 174. Monachis Episcoporum curæ commissis, *Vita S. Caroli & Constitutio Pij V.* 38. Iesuitæ cum P. Ignatio Azebedo eorum Superiore à Iacobo Sora Caluiniano pirata Deppensi ad insulas Fortunatas cæsi sunt, dum in Brasiliam nauigant, vt Christi fidem disseminarent. Azebedo imago B. Virginis nullo modo eripi potuit, quare cum ea proiectus in mare, *Sacchinus in Historia Societatis*. Concilium Mechliniense celebratum 4. Iulij, nomine Cardinalis Granuellani, *Tomi Conciliorum*.

Anno Christi M D L X X I. Obsidetur Famagusta circa Maij medium, à Mustapha cum 50. millibus armatorum, 40. millibus fossorum, & defensa fuit à M. Antonio Bragadino, quo modo à viro fortissimo & sapientissimo propugnari potuit; sed euersis muris, 75. dierum verberatione octoginta bellicorum tormentorum, & centum quinquaginta ictuum millibus, & deficiente puluere tormentario, sese dedere vrbs coacta est satis bonis conditionibus 2. Augusti. Atenim seruatæ non sunt, Bragadinus illusus mutilatis auribus, excoriatus est viuus, cadauer eius feris obiectum, quoniam in ea obsidio-

ne 80. vel certè 60. Turcorum millia perierunt; *iidem qui suprà Scriptores, de bello Cyprio.* Veneti cum Summo Pontifice, & Hispanis fœdus ineunt aduersus Turcos, & parata ingens classis 200. triremium, & 100. onerariarum, quibus imposita 50. peditum millia, equitum 4500. & eis omnibus præficitur Io. Austrius; ab ea pugnatum ad Echinadas, & Naupactum vulgò *Lepante* 7. Octobris die Dominicâ: victi Turcæ ingenti clade (sed ope diuinâ, vento mirabiliter conuerso) 30. hominum millia perdidêre, cum plerisque Ducibus, & Hali Bassa, centum 17. triremes, biremes 13. tantùm 50. euasêre, reliquæ aut combustæ, aut ad scopulos allisæ, aut demersæ sunt, 15. millia Christianorum remigum soluti; periêre Christianorum septem millia sexcenti. Pio hæc reuelata victoria, ideò institutus dies festus primus dies Dominicæ Octobris, sub nuncupatione Rosarij. Et si victoriâ vti voluissent Christiani, capta erat Constantinopolis, tantùm metus Turcos, & Selimum ipsum incesserat, *Omnes omnium Gentium Christianarum Scriptores, præcipuè Natalis Comes, Maurocenus, Vita Pij V.* Ioannes Sigismundus Transyluaniæ Princeps, inito fœdere cum Maximiliano obiit Albæ Regiæ 16. Martij, annos natus vnum & triginta, Arianus, & fautor Ariani Dogmatis, acerbissimis tortus intestinorum cruciatibus, vt Magistro suo Ario similis moreretur; ex Lutherano factus Arianus, *Isthuanffius Hist. Hungaricæ lib.* 24. Successit ei sine liberis mortuo, populi communibus suffragiis, atque etiam Selimi commendatione Stephanus Bathorius, formâ principatu dignus, rebúsque gestis, sed longè magis Religione; statim approbatus à Maximiliano, & Selimo, sed occultis vtrimque pactis; qui etiam posteà dignus visus est, qui Rex à Polonis eligeretur, *Isthuanffius, Scardius, & alij. Admiralius tandem, venit ad Carolum IX. licèt sæpè anteà venire recusasset, exceptúsque à Rege perhonorificè & adhibitus sanctiori consilio, atque restitutus pristinis honoribus, ac pecuniâ donatus, ad sua nomina dissoluenda, damnáque sarcienda accepta bello. Tum quoque Hæretici malè mulctati à Catholicis Rothomagi, iussu Regis sunt à Monmorantio vindicati, aliquorum morte, vel exilio, vel pœnâ pecuniariâ. Sed Lutetiæ exortus est tumultus maior ob Crucem Gastineam disiectam, sic dictam, quoniam in domo Philippi Ga-*

ſtinei Mercatoris Caluiniani, atque ex eius morte damnati pecunia erecta fuerat, iuſſu Senatus, cum ſententia eius Baſi in ære inciſa: ſed iuſſu Regis, rogante Admiralio, hæc ſublata eſt noctu, & in Cœmeterium S. Innocentij tranſlata, cum alia inſcriptione in honorem S. Crucis. Re tamen acceptâ à pueris, & mulierculis faber cæſus, eius incenſa domus, aliquot hæreticorum expilatæ ædes qui tumultus paucorum cæde, & homuncionis vnius ſuſpendio ſedatus eſt, Belleforeſtius lib. 6. cap. 114. *Mortuus eſt hoc anno 4. Octobris Claudius Eſpencæus magnus Theologus, & de cuius fide immeritò à quibuſdam dubitatum eſt*, Genebrardus in Chronologia.

Anno Chriſti MDLXXII. Ecclipſis Lunæ contigit 25. Iunij; & menſe Nouembri apparuit noua ſtella in ſigno Caſſiopeæ ſuperans fulgore Iouem, quæ poſt octauum menſem paulatim viſa extenuari, initio anni 1573. penitus euanuit, *huius temporis Aſtronomi*. Mortuus eſt 1. Maij Pius V. ætatis anno 68. ſedis 6. cum 3. menſibus, & diebus 24. vir pientiſſimus, & ſuo nomine digniſſimus, cuius precibus Selimus ipſe Naupactinam adſcribebat victoriam: ei Panegyricum dixit M. Antonius Muretus Lemouix; cuius virtutibus & miraculis auditis ab Auditoribus Rotæ decretum anno 1615. vt eius anniuerſario die deinceps non diceretur defunctorum Miſſa, ſed SS. Trinitatis, quod ab Vrbano VIII. confirmatum Decreto, *Gabutius in eius Vita, Victorellus Additionibus ad Ciacconium*. Succeſſit ei 13. Maij Hugo Boncompagnonus dictus Gregorius XIII. & 25. eiuſdem menſis coronatus, cuius operâ claſſis in Turcos comparata, nihil præſtitit, Ioannis Auſtrij & Hiſpanorum cunctatione, *Folieta, Petrus Bizarus, & alij Ioanna Regina Nauarræ 10. Iunij, moritur Pariſiis, quò venerat ad nuptias filij ſui Hæretici cum Margarita Valeſia Caroli IX. ſorore, ex Apoſtemate in latere. Inepti enim ſunt qui hîc venenum per Chirothecas obtrudunt*, Auila, & alij Galli Scriptores. *Celebratæ ſunt nuptiæ inter Henricum Nauarræ Regem, & Margaritam permittente Gregorio, quod ſemper denegarat Pius V. 18. Auguſti, Pariſiis ad Eccleſiæ Maioris valuas, quibus interfuêre Condæus, Admiralius, Rupifucaldius, & omnes Hæreſeos anteſignani. Sed die Veneris 22. Auguſti Admiralius ex vicina domo vulneratus eſt duobus in locis: non eſt repertus author facti, dictus Moreuellius,*

ſed ſclopus inuentus, ipſe equo velociſſimo, per poſticum effugerat. Huius caſus factus certior Rex vulneratum inuiſit, iram teſtatus in percuſſorem, & Admiralium iuxta Luparam adduci iuſſit, vt eſſet tutior. Sed Hæretici cum eo noctu ſecreta habuêre conſilia; quibus Rex permotus San-Bartholomæas matutinas imperauit, id eſt, Hugonotorum cædem horâ noctis 12. ante Feſtum huius Apoſtoli, & huic præpoſitus Henricus Guiſius, cum præfectis regionum vrbis. Ac primùm cæſus, & deturbatus è feneſtra Admiralius, in cuius corpus ſæuitum: pependit enim è furcis Monfalconeriis igne ſuppoſito à plebecula: cum Admiralio multi alij interfecti, pauci euaſêre (inter quos Mongomerius) vel fugâ, vel à Rege, vel ab amicis ſeruati. Inter alios occidit Petrus Ramus: Dionyſius Lambinus morbum lethalem auditâ eius cæde contraxit, ob occultas cum Carpentario ſimultates. Oxyacanthe in Cœmeterio SS. Innocentium penè arida refloruit, tempore non ſuo. Nauarræus & Condæus hæreſim eiurauêre. Inde cædes multa per totum regnum facta Hæreticorum, quibus impliciti quidam Catholici, multi ex Hæreticis in 4. Vrbes ſuas, aut in Belgium, vel in Angliam confugêre. Rex teſtatus eſt id factum eſſe ſe imperante, non propter Religionem, ſed rebellionem, quam machinabantur, Auila, & Catholici Gallici Scriptores, atque alij omnium penè gentium. Sigiſmundus Auguſtus Rex Poloniæ obiit 7. Iulij Kniſſinij anno ætatis 52. regni ab obitu Patris 25. vltimus Iagellonidarum, qui 200. ferè annis in Polonia regnauerant, & obiit ſine liberis: quare eius regnum multi prenſarunt, inter cæteros Monlucius Epiſc. Valentinus pro Henrico Andegauenſi, *Scardius, Iſthuanffius*. Rodolphus filius Maximiliani II. coronatur Rex Hungariæ 25. Sept. magnâ pompâ, *Quartum bellum Hugoniticum exarſit in Gallia, quoniam hi rebelles poſt Matutinas Pariſinas, auxilium Elizabethæ, & Anglorum implorabant. Rex miſit Lanouium Hæreticum, qui aberat tempore cædis Pariſinæ, & Montes in Belgio propugnabat, vt Rupellam rebellem ad officium reuocaret, ſed vrbem ingreſſus, eius defendendæ aduerſus Regem curam ſuſcepit. Itaque Rupella obſeſſa eſt, ab Antonio Gontaldo Bironio, rei tormentariæ præfecto, ſub medium Decembrem; ſicut & Cereris Sacrum ſeu* Sancerra, *per Claudium Caſtreum*, de la Chaſtre, *Biturici tractus præfectum*, Auila, Belleforeſtius, & alij Francicæ Hiſtoriæ Scriptores. Ordo S. Mauri-

tij Martyris institutus est hoc anno in Sabaudia ab Emmanuele Philiberto, assentiente Gregorio XIII. vel potiùs idem Ordo renouatus est, olim institutus ab Amedeo, qui tunc temporis vsu viluerat, *Constitutio Gregorij XIII.*

Anno Christi MDLXXIII. Ecclipsis Lunæ visa est 8. Decembris. Veneti post perditam Cyprum, ne quid grauius sibi contigeret pacem cum Selimo faciunt, quæ & à Gregorio XIII. & Philippo II. probata est, *Maurocenus.* Ioannes Austrius suscipit Tunetanam expeditionem, & Tunetum occupat mense Octobri, ac nouam arcem inter Guletam & vrbem extruit, quam committit Gabrieli Serbellono, húncque Vicarium suum, & Proregem constituit Philippus II. in Africa: præfecit etiam regno sibi vectigalem Machmetem, aliter dictum *Muleassem Iuniorem.* Eodem impetu Bisertâ potitus est, Turcis præsidiariis per ciues occisis; rebúsque compositis Io. Austrius Neapolim rediit, *Hubertus Folieta.* Harlemum à Friderico Toletano, Albani filio, iam anno superiore obsessum post 8. mensium obsidionem redditum est, tam benè defensum, quàm oppugnatum, columbis etiam nunciis per aëra volantibus, vt olim in obsidione Mutinæ ab Antonio. Quâ vrbe captâ reuocatus est in vrbem Albanus; Datus ei successor Requesenius, appulit Bruxellas 16 Nouembris, *Famianus Strada, & alij Belgicæ Historiæ Scriptores. Fanum Cereris seu* Sancerra *frustrà vi tentata à Castreo, compulsa est ad deditionem fame, quâ nulla est vnquam audita atrocior, etiam si producas Samaritanam atque Hierosolymitanam: Octauo demum mense reddita est, & reliqui pauci propugnatores, recepti satis honestis conditionibus, nec ex desperatione aliquid inexpectatum auderent,* Auila, & alij. *Rupella quoque tum obsidebatur, & ciuium pertinaciam fouebant Ministri, concionibus suis. Venit & in eorum auxilium Anglicana classis, Duce Mongomerio, sed illa infectâ re abire compulsa est; atque suis auspiciis missam esse negauit Elizabetha, sed piratarum dixit esse, in quos Rex posset animaduertere. Tandem cùm esset ad vltimas angustias vrbs redacta, præuaricatione Monlucij Valentini Episcopi, Hæreticorum fautoris, qui Regnum Polonicum, Henrico Andium Duci parauerat eâ conditione, soluta est obsidio, Maio exeunte,* Historia Domus Guisiæ Manuscripta, *Electus est porro à Polonis Henricus*

Dux Andegauensis 9. Maij, & in regnum suum proficiscitur 28. Sept. cum magno nobilium comitatu, ægrè tamen discedens, & non nisi vrgente fratre; peruenitque in Poloniam sub finem Ianuarij anni proximi, Belleforestius, Auila, & alij Franciçæ Historiæ Scriptores. *Aduentu Polonorum Legatorum facti sunt Hugonoti audaciores, & seditiosos edidêre libellos: viguit & tum impia Doctrina de interficiendis aduersariis sparsa per Ministros Caluinianos*, Thuanus lib. 56. Cambdenus, & alij. Puritanos quoque in Anglia turbantes, vti seditiosos, & turbulentos Elizabetha repressit, *idem Cambdenus*. Gregorius XIII. Collegium Germanicum olim à Iulio III. institutum, & tum pænè derelictum restituit, eius curâ Patribus Societatis commissâ, *Bulla Gregorij XIII. & Sachinus in Hist. Societatis*. Obiit hoc anno Michael Hospitalius anno vitæ circiter 70. 13° Martij, hæreticorum fautor acerrimus, & fortè hæreticus, aut aliquid peius, vt arguunt eius Testamenti tabulæ. Item Franciscus Balduinus, vir doctissimus, quondam Caluini socius, posteà Catholicus optimus, & qui Caluinum egregiè confutauit. Denique tum scribere desiit Laurentius Surius Lubecensis Carthusianus, multorum Librorum editor, mortuus tantùm 1575. 23. Maij Coloniæ.

Anno Christi M D L X X I V. *Henricus Andegauensis 25. Ianuarij fines attingit Poloniæ, ac 18. Februarij magnâ Pompâ Cracouiam ingreditur, atque coronatur ac inauguratur ab Archiepiscopo Gnesnesi 24. eiusdem mensis in Festo S. Matthiæ. Intereà turbabatur Gallia factionibus; cum Alenconius* Politicorum *seu* Offensorum, *vulgò* des Mal-contens, *se Ducem præfecisset: sed eis Carolus IX. opposuit tres exercitus, & multos ex iis captos in arctam, aut liberam custodiam tradi iussit: ex his fuêre Alenconius, & Nauarrus; Condæus verò fugit in Germaniam; multi ex patibulis suspensi, aut gladio percussi. Mongomerius captus à Matignonio Danfronij, Parisiósque missus paulò post Regis obitum perduellionis reus, iussu Senatus perdidit caput. Inter hæc obiit Carolus IX. 30. Maij die Pentecostes post longos & graues dolores, in quibus Hugonoti triumpharunt; eius vitam scripsit Arnaldus Sorbinus, ei à concionibus, in cuius manibus obiit, vt & Iacobi Amioti Episcopi Antissiodorensis eius Magni Elemosynarij, ætatis ferè 25. regni 13. cum dimidio ferè; multis virtutibus ornatus,*

natus, sed iracundior, ideóque iuramentis obnoxius, quæ ab aulicis impiis didicerat, Auila, Belleforestius in eius obitu suam claudens Histotiam, idémque in vitis nouem Carolorum, & alij. *Auditâ fratris morte Henricus Poloniæ Rex de relinquenda Polonia cogitat, cùm hunc nuncium intra 14. dies Cracouiæ accepit. Ipse delusis Polonis, & indictis Comitiis in mensem Augustum 18. Iunij concubiâ nocte euolauit, frustrà eum Polonis insequentibus, Viennæ magnificè exceptus atque Venetiis, peruenítque Taurinum 24. Augusti, magnificè susceptus ab Emmanuele Philiberto Duce, cui duas Vrbes Henricus reddidit Pinarolium, & Sauillianum; denique Lugdunum ingressus est 6. Septembris, vnde regnum ordinare cœpit: Ac primo recepit in gratiam Alenconium, & Nauarrum, eósque plenæ libertati restituit; dum Condæus in Germania copias conficit, & se Ducem Politicorum profitetur; túmque captum à Monpenserio Lusinianum, nidus Hæreticorum, Turrísque famosa Melusinæ dicta diruta est*, Diarium Henrici III. Poloni de securitate sui regni sapienter delibetant, & missis Legationibus Regem teuocant in Poloniam; cùm iste certi nihil responderet, indicta Comitia in annum sequentem, *Hieronymus Lippomanus Orator Venetus de sua sub Henrico in Polonia Legatione.* Middelburgum Metropolis Zelandiæ, vltimâ fame pressa sese dedêre coacta est Arausicano, qui sic totâ Zelandiâ, & maiori parte Hollandiæ potitus est. Aliunde Ludouicus & Henricus Nassouij frattes Arausicani cum Christophoto Bauaro Friderici Electoris filio, magnis instructi Germanorum, Belgarum copiis ad Mukum Clinensis ditionis oppidum mense Aprili, licèt numero superiores, victi sunt grandi clade, atque cæsi. Sed hanc victoriam corrupêre, Hispani dum diripete volunt Antuerpiam, defectum stipendiorum causati; at direptionem impediêre ciues præsenti pecuniâ & datis mercibus: verùm 30. naues Hispanæ bellicæ tumultum fugientes incidêre in hostes, 15. captæ, 5. demersæ, tres crematæ sunt. Lugdunum insuper Batauorum ad vltimas redactum famis angustias, incunte Octobris, rupto à Gueusiis aggere libetatum est; & quamquam Philippus II. veniam præteritorum iis obtulisset, itrisus est, exemplo Hugonotorum Gallicorum, *Famianus Strada, & alij.* Nec in Aftica meliùs res Hispanis cessit, nam & Bisertam, & Tunetum & Nouam arcem pet-

didêre, ſicut & Guletum cum ipſo Serbelone captum 13. Sept. Auſtriis auxiliis ſeriùs aduentantibus. Sinanes triumphans rediit Conſtantinopolim amiſſis tamen Turcarum 24. millibus, *Mariana, & alij.* Moldauia, & Valachia valdè turbatæ, cùm Bogdanus eiectus eſſet, eíque ditionem Iuonia, id eſt, *Ioannes* eripuiſſet ope Turcarum, qui poſteà Turcos egregiè ipſe retudit, ac ſæpè vicit: donec tandem in inſidias perductus, dedere ſe coactus eſt cum ſuorum 20. millibus, ſed honeſtiſſimis conditionibus, 11. Iunij, quæ tamen ſeruatæ non ſunt: nam cæſus à Duce Turcorum Iuonia vir fortiſſimus, & quem Turcæ ipſi magni fecêre, *Tomo 3. rerum Polonicarum.* Moritur ex apoplexia Selimus II. annos natus 50. 9. Decembris cùm regnaſſet annis 8. cum 3. menſibus. Ei ſucceſſit Amurathes III. anno ætatis 27. regnum de more auſpicatus à cæde quinque fratrum ſuorum, *Hiſtoria Turcica.* Obiit & Coſmus Magnus Tuſciæ Dux 21. Apr. annos natus 55. cui ſucceſſit filius Franciſcus, *Hadrianius in obitu Coſmi ſuam Hiſtoriam claudens*, qui tamen tantùm mortuus eſt 1579. anno ætatis 68. 27. Iunij. *Denique deceſſit pientiſſimè Auenioni Carolus Cardinalis Lotharingus, Franciſci Guiſij frater, 26. Decembris anno ætatis 50. propè expleto, magnus hæreticorum hoſtis; ideò creditus ab iis fumo facis toxicatæ necatus*, Hiſtoria Domus Guiſiæ nondum edita, & alij Scriptores Galli.

Anno Chriſti MDLXXV. Iubileum celebratur Romæ magnâ frequentiâ diuerſarum gentium, etiam Æthiopum, Arabum, Armenorum, Græcorum, inter quos viſus S. Carolus Borromæus Cardinalis magnæ virtutis exemplar, *Victorellus de Iubileis. Henricus III. inauguratur Rex Franciæ Rhemis 13. Februarij, Dominicâ Quinquageſimæ per Ludouicum Cardinalem Guiſium Epiſcopum Metenſem, vacante Sede Rhemenſi, mortuo Carolo Cardinale Lotharingo, eius fratre. Idem Henricus duxit vxorem Ludouicam Valdemontiam præſtantiſſimæ formæ, virtutíſque virginem, quam viſam in Lotharingia deperierat. Tum actum de reducendis Sectariis; ſed fugiens Pariſiis 16. Sept. Alenconius fit Princeps, & caput ſeditioſorum. Condæus magnas eduxit ex Germania copias, animatus à Beza, vt & Rupellenſes: earum pars commiſſa eſt Thoreo Monmorantij fratri: ſed eæ deletæ ſunt ab Henrico Guiſio, qui & in*

ea pugna ictum sclopi recepit in mala, & perhonorificum vulnus, à quo voce patriâ dictus est, le Balafré. *Stenzociæ in Polonia celebrata sunt Regni Comitia, quibus interesse Pibraccius non potuit: in iis 15. Iulij declaratum est Henricum excidisse regno.* Indictáque alia Comitia Varsouiæ ad 1um Decembris, vt in iis de rege creando ageretur; electus est ergo Stephanus Bathorius Princeps Transyluaniæ, cui data vxor Sigismundi-Augusti soror quadragenaria, (exclusis Maximiliano Imperatore, Ioanne Sueciæ Rege, Alfonso Duce Ferrariensi, & Ioanne-Basilio Duce Moschouiæ) qui statim in Poloniam accurrit, relictâ fratri suo Christophoro Transyluaniâ, *Historia Polonica.* Rudolphus in Comitiis Ratisponensibus eligitur Rex Romanorum 17. Octobris, cùm iam coronatus esset Rex Bohæmiæ, & Hungariæ: Regiam autem Cæsaris coronam accepit 1. Nouembris annos natus 24. *Historia Domus Austriacæ.* S. Philippus Nerius Præpositus Oratorij Romæ accipit à Gregorio XIII. Ecclesiam S. Mariæ Vallicellæ, in qua diu habuit conciones Cardinalis Baronius, magnum Ecclesiæ lumen, *Bulla Gregorij XIII. & Vita Baronij, ac S. Philippi Nerij.*

Anno Christi MDLXXVI. Ecclipsis Lunæ contigit 7. Octobris. Pestis hoc anno sæuiit atrociter in Italia, orta Tridenti, vbi omnes vrbis incolæ absumpti sunt, Venetiis circiter centum millia. Hæc Mediolani Sancti Caroli Borromæi pietatem exercuit, & alios vrbium Episcopos, *Vita S. Caroli, & alij.* Genuæ turbæ concitatæ sunt ob Antiquos, Nouos, & Plebeios, in quos erat diuisa ciuitas; sed sopiti sunt sollicitudine Pontificis, Philippi, & Imperatoris, *Hubertus Folieta, Natalis Comes, Campana, &c. Germani duce Condæo, post multas deprædationes iungunt Alenconio in agro Borbonio decem equitum, & 12. peditum millia, 11. Martij, & licèt onusti prædâ, stipendia postulabant; quare inter Regem & Politicos inita pax, dicta Bellilocensis, à Cœnobio iuxta Lochias, Regi probrosa, Ecclesiæ perniciosa, quæ quinquaginta aureorum millia coacta est, ad eiiciendos ex Gallia Germanos, sufficere. Sed ea pax à bonis Catholicis improbata est, qui & ob eam inter se fœdus inierunt, pro tuenda auitæ Religione, quæ hac pace labefactari videbatur. Initium ductum à Perona in Picardia, quæ assignata fuerat Condæo. Eius itaque ciues auctore Iacobo*

Humerio eum recipere noluerunt, iuncti nobilibus, & Ecclesiasticis; quod etiam fecêre Pictones duce Lud. Trimolio, & multi alij in Gallia, quódque huic & toti Galliæ perniciosissimum fuit: huiusce fœderis se caput Rex ipse pronunciauit, authore Io. Moruilierio Episcopo Aurelianensi: quòd autem fœderis huius fecerint aliqui Henricum Guisium authorem, eúmque tum ad Thronum aspirantem, verisimile non est, propter tum multos legitimos regni hæredes. Falsum omninò quod de Gregorio XIII. Politici atque Hæretici confinxerunt, Acta Clerici Gallicani, & Gallici Scriptores. *Comitia Blesensia inchoata 7. Decembris, ac primò decretum est vnicam esse in Gallia & auitam Religionem retinendam, deinde Principes Regij Sanguinis reliquos præcedere, licèt in dignitate, ac magistratibus constitutos*, Historiæ Gallicæ Scriptores. Moritur in Belgio Ludouicus Requesenius, cuius obitu aucta est in Belgio rebellio, cùm omnes ordines & multi etiam ex Catholicis inter se fœdus iniissent, 8. Nouembris. Sede consilij Bruxellis constitutâ, vt excuterer Belgium duriùs iugum Hispanorum. Hi nihilominùs nequaquam despondernnt animos, sed coactis omnibus copiis, fœderatos istos ad Louanium grandi clade fugârunt: 15. Sept. Traiectum receperunt 20. Octobris, & Antuerpiam vrbem à fœderatis contrà præsidiarios Hispanos inclusos arce munitam atroci, & diuturno certamine ceperunr, ac diripuerunt. Pridie autem quàm occuparetur Antuerpia, aduenit per Galliam in Lucemburgensem agrum Io. Austrius, qui se venire asseruit, vt omnia componeret. Verùm ordines exacerbati direptione Antuerpiæ, duras ab eo extorsêre conditiones, & Hispano nomini graues. Arx Gandauensis à fœderatis obsessa, eis dedita est, triduò post acceptam pacem: captæ insuper Valencenæ, Teneramunda, Cameracum, Groninga; dum intereà tempus Io. Austrius tereret in agro Luxemburgico, neque Arausicani vigilantiæ, atque alacritati responderet, *Famianus Strada, Grotius, & alij.* Stephanus Bathoriùs, Annâ vxore ductâ, Cracouiæ Rex Poloniæ coronatur, 1. Maij; Maximilianus autem tunc bellum parans, ex dolore calculi, & palpitatione cordis obiit Ratisbonæ in Comitiis 12. Octobris anno ætatis 49. cum 2. mensibus, & diebus 12. regni ab obitu Patris anno 12. mense 2. diebus 17. Legati

Stephani Bathorij admittuntur à Pontifice, *Quibus tamen se opposuit Legatus Regis Galliæ*. Successit Maximiliano Rudolphus eius nominis secundus annum ætatis agens 25 iam Cæsar inauguratus anno superiore, *Natalis Comes, Victorellus, & alij*. Obiit hoc anno Thammasus Rex Persarum 11. Maij anno vitæ 68. regni 50. vndecim relictis filiis, inter quos enata sunt magna dissidia; sed tandem præualuit Mahometes Hodabenda, seu Codabenda, id est, *Cæcus*, vt vult *Minadous*, vel Adeodatus vt *Natalis*, & *Bizarus*, contra quem vtpote infirmiorem bellum gerere decreuit Amurathes, *Minadous, Natalis Comes, Bizarus*. Synodus IV. Mediolanensis habita est sub S. Carolo Borromæo, *Tomi Conciliorum*. Romæ obiit Hieronymus Cardanus vitæ anno 76. 21. Sept. insignis Mathematicus, & Medicus, qui sibi accelerasse creditur mortem inediâ, ne diem falleret & annum quibus se moriturum præcinuerat: huius aduersarius fuit Iulius Scaliger, non tamen huic par à plerisque visus, *Vita Cardani præfixa eius operibus, & Bibliothecarij*.

Anno Christi MDLXXVII. Ecclipses duæ contigerunt, prima 2. Aprilis, altera 27. Sept. Gregorius XIII. Collegium Græcorum instituit Romæ, vt in eo adolescentes Græci alerentur, ex quo viri doctissimi, & vtiles Ecclesiæ prodierunt, *Gregorij XIII. Constitutio. Die 17. Ianuarij Blesis Ordines conuocati, quid sentirent aperuerunt, videlicet vnam esse in Gallia Catholicam Religionem retinendam, quod Principibus Nauarro, & Condæo significatum: ferociter respondit Condæus, molliùs & sapientiùs Nauarrus: cæteri Hugonoti arma spirarunt, & cum Regibus Daniæ, Sueciæ, Angliæ, Protestantibus Germanis, & Heluetiis Zuinglianis fœdus inierunt aduersus Catholicos; atque Casimirum Palatinum in Galliam euocarunt. Quæ cùm viderent Catholici, qui nomine Malecontentorum illis adhærebant, vergere in euersionem auitæ Religionis, ab iis resilierunt, atque inter cæteros Damuilla, exosus Hæreticorum petulantiam, & Franciscus Regis frater. Itaque his Rex munitus in rebelles misit suos exercitus, qui rem feliciter gessère in Aluernia, Pictonibus, Santonibus, Aquitania, & aliis locis. Túmque iis ereptæ Vrbes Charitæum, Issoriacum, Broagium, Maranum & alia loca munita, per Alenconium, & Meduanum Duces. Sic coacti hæretici pacem iurauêre 5. Octobris, initam Bergeraci, eiúsque edi-*

cto visa est Catholica Religio in Gallia reflorescere ; ita tamen vt quibusdam in locis ad arma veniretur, Catholicis iam audentibus, Hæreticis nolentibus cedere, Auila, & alij Francici Scriptores. Ioannes Austrius obsignat conditiones pacis tam commodas Gueusiis, & cæteris rebellibus Belgis, quàm Hispanis perniciosas ; emittítque Hispanos milites ex præsidiis, sícque magnâ Pompâ ineunte Maio Austrius susceptus est Bruxellis, dictúsque Supremus Belgij Gubernator. Sed ea pax diu non stetit ; Arausicanus enim in Hollandia, & Zelandia potentissimus, omnia sibi atrogabat, & Rem Gueusiorum promouere nitebatur ; contrà Austrius qui iuris sui non videbatur esse, sed in potestate Ordinum. Itaque vt liberior esset Namurcum recessit, vnde scriptis, cum Ordinibus pugnauit ; Ordines Arausicanum harum turbarum authorem sibi præfecerunt Ducem. Itaque Austrius iam non securus Namurci, recessit Lucemburgum. Catholici ergo ab eo deserti euocarunt in auxilium suum Matthiam Rodolphi fratrem, adolescentem annorum 20. vt Arausicano opponeret sese : sed hic ita præualuit, datis in custodiam Catholicorum præcipuis, & quibusdam Episcopis, vt in eius partes transire coactus sit Matthias, eúmque Legatum suum constituere, cùm ipse tamen ex eius penderet arbitrio, *Famianus Strada, Materanus, Groffius, & alij*. Elizabetha Regina sæuit in Catholicos in oppido S. Stephani *Launston*, & Oxonij in qua vrbe qui damnarant, & accusarant Catholicum quemdam, & dixerant testimonium, omnes subitò afflati morbo pestilenti interierunt, *Appendix de Schismate Anglicano, & Cambdenus in Elizabetha*. Martinus Forbisherius Anglus sinum detexit, quem de suo dixit nomine, indéque retulit lapides quibus Metalla contineri putabat, qui nulli vsui fuêre, nisi ad vias sternendas, *Camdenus in Elizabetha*.

Anno Christi MDLXXVIII. Ecclipsis Lunæ contigit 16 Septembris. Ioannes Austrius iuncto sibi Alexandro Farnesio cum copiis, Gueusios aggreditur ad Gemblacum, eósque grandi certamine deuicit, cæsis eorum 8. aut 10. millibus, cùm vix decem è suis amisisset ; capta sunt multa signa, & multi Belgæ, ex quibus sexcenti suspendio necati sunt, quòd hi paulò antè captis Austriis nares, au-

res, & digitos præcidissent. Victoriæ præmium fuerunt Gemblacum, Louanium, Arscotum, & aliquot alia oppida Brabanriæ. Fugêre Arausicanus, & Matthias Bruxellis (ne obsiderentur) Antuerpiam, sed hoc rempore Amstelodamum se Gueusiis rradidit, in quo hi sæuierunt expulsis Catholicis, dirutísque Aris atque Templis, imaginibus aut fractis aut laceratis; quod & Gandaui, & aliis in vrbibus præstitêre. Intereà Dux Alenconius cum copiis venit in Belgium, quasi id liberarurus; venit & Ioannes Casimirus frarer Ludouici Electoris Palarini, qui miserum in modum Belgium lacerarunr, dum hi & Arausicanus, ac Malecontenti Catholici res suas promouere conabantur. Inter hæc moritur Io. Austrius in castris apud Namurcum ex febre pestilenti; vel ex Phthisi concepra ex mœrore, quòd ob suspiciones, à Philippo desereretur, & exponeretur hosti. Obiit autem anno ætatis 32. eo ipso die quo festum Naupactinæ victoriæ celebrare consueuerat. Successit ei Alexander Farnesius Dux Parmensis. Auditâ eius morte, conueniunt inter se Arausicanus, Casimirus, Marthias, Andinus, Malecontenti de Hispanis ex Belgio expellendis: sed Andinus paulò pòst inglorius rediit in Galliam, Casimirus transit in Angliam vt pecuniam obtineret, at eius copiæ dissipatæ sunt, ipséque rediens in Belgium re infectâ, fugienti similis Germaniam suam repetiir, *Michaël Isseltius Amorfortius testis αὐτόπτης harum dissentionum.* Scotia quoque grauirer turbata est Mortonij Proregis superbiâ, contra quem semel & iterùm Proceres arma sumpserunt, Elizabethâ interim ad libitum hoc regnum administrante, *Cambdenus in Elizabetha.* Sebastianus Rex Lusitaniæ auxilium suscipit Mahometis, contra Abdelmelechum Regem Fessæ & Marochi eius patruum, omnibus Proceribus suis repugnantibus. Exiit Olysippone 17. Iunij, nauigare cœpit 20. Tingim appulit 9. Iulij, vbi ei occurrit Mahometes, sed tantùm cum octingentis Fistulariis 4. Augusti in campis Tonitensibus, prælium cum Adelmelecho commisit; hic licèt ægro corpore scientissimè suam instruxit aciem, immò laboranribus suis prodiens ex Lectica impositus equo suis animos reddidit, & mox obiit, sed relatâ victoriâ; cæsus Sebastianus anno ætatis 25. cùm om-

thiæ adhærebant, *Famianus Strada, & alij.* Dux Parmensis obsidet Traiectum ad Mosam *Maëstrich* ad medium Martium, ídque occupat, propugnatum fortiter, atque expugnat 29. Iunij, cum magna cæde propugnatorum. Ob labores hîc susceptos in grauem incidit morbum, qui res eius optimè procedentes nonnihil repressit, *Idem Famianus Strada, &c. Andinus ambit nuptias Elizabethæ Anglorum Reginæ, & transiit in Angliam incognitus, cúmque eâ locutus est sæpè: Illa autem inepta ad coitum, effecit vt suorum aliqui illiusmodi nuptias improbarent; quare miser Princeps ex Anglia nihil præter verba, ac dedecus retulit*, Historia Gallica, & Cambdenus. Gregorius XIII. Collegium Anglicanum Romæ instituit 23. Aprilis, vnde multi viri doctissimi, & aliqui Martyres prodierunt, anteà etiam Rhemis aliud constituerat, quod demum euanuit, *Constitutio Gregorij 53. & 72.* Philippus II. Hispaniæ Rex Hibernis Catholicis subuenire conatus, bis aliquas copias misit, infelici semper exitu, & auxiliatoribus, & Catholicis Hibernis cæsis; ibíque aliquot Martyres facti, non sine prodigiis, *Historia Schismatis Anglicani.* Poloni atque Moschi de Liuonia armis disceptant: Moschi magnam accepêre cladem, & meritas perfidiæ suæ, atque fraudum dedêre pœnas, atque aliquot ciuitates nobiles perdidêre, quas occupauit Stephanus Bathorius Rex Poloniæ, qui in eo bello Polonis egregiam nauauit operam, *Polonica Historia, & vita Stephani Bathorij.* Ineunte Aprili Comitia Lusitaniæ celebrat Olysippone Rex Henricus; citantur in iis huius regni competitores, Philippus II. Philibertus Dux Sabaudiæ, Raynutius Farnesius, Antonius Nothus Crathi Prior, & Dux Brigantiæ, qui per Legatos suos adfuerunt: dum autem per Leguleios *Ius* suum defendunt alij, Philippus II. copias parauit specie belli Turcici: misit tamen Legatos suos, qui Henricum ad suas partes retraherent. Verùm iis potentior fuit Leo Henriquez Iesuita eius Confessarius, qui deteriora veritus, Henrico suasit vt in Philippum Regem inclinaret, *Historia Lusitanica.* Obiit hoc anno Romæ 5° Augusti Cardinalis Stanislaus Hosius Episcopus Varmiensis, ætatis anno 76. fidei Catholicæ propugnator acerrimus, *Vita eius à Stanislao Rescio, Elogia Petramellarij, & Victorelli.* Mortuus

est & Ioannes Monlucius Episcopus Valentinus Tholosæ, inter manus Patrum Societatis IESV, quo facto suspicionem Hæreseos eluit, in quam visus fuerat esse propensior, *Annuæ litteræ Societatis.*

Anno Christi M D L X X X. Ecclipsis Lunæ contigit 31. Ianuarij. Henricus Rex Portugalliæ in Comitiis Amerinis cùm pronunciasset, perpensis omnium rationibus, videri sibi regnum esse vel Philippi II. vel Ducis Bragantiæ, moritur vltimo Ianuarij die, sub mediam noctem, cùm Luna Ecclipsim pateretur; vixit annis 68. regnauit menses 17. Corpus eius deductum Eboram in Ecclesiam P. P. Iesuitarum, quam statuerat, posteà iussu Philippi translatum in commune sepulchrum Regum Lusitanorum. Philippus dum de suo iure consultare fingit, mittit Albanum Ducem cum copiis, vt regnum sibi, vt aiebat, iure debitum, armis occuparet. Sed intereà Antonius, filius nothus Ludouici fratris Henrici, apud S. Irenes fanum *Santaren*, Regem se dixit 19. Iunij: admissúsque Olysipponem 24. Iunij, Ioannis Telij vnius ex Gubernatoribus ignauiâ, & Petri Acunæ, vrbi præfecti negligentiâ, populo plaudente, Rex confirmatus est, vbi & Philippum II. publicum hostem diplomate significauit. Antonius quidem voluit honestis paulò pòst conditionibus cum Philippo depacisci: sed illusus, coactus est ex desperatione prælium inire 25. Augusti ad Alcantaram, in quo victus est, & in fuga vulneratus in facie tantùm non captus est, venítque Santarenum, inde Conimbricam, dimisísque sociis mense Octobri per domos nobilium, & Cœnobia, subinde latebras mutans toto anno latuit, ingenti in eum fide Lusitanorum; donec in Galliam nauigauit. Philippus inter hæc periculoso laborauit morbo, recreatus Lusitaniam subiit, recepítque Io. Bragantiæ Ducem, quem Torque Velleris aurei, & dignitate Comitis Stabuli decorauit, atque aliis honoribus, *Vita Philippi II. Historia occupatæ Portugalliæ, &c. Hugonoti ad arma more suo decurrunt; initio Maij. Henricus Nauarræ Rex Cadurcum capit, ac diripit: aliæ quoque vrbes occupatæ in Aquitania, Pictonibus, Santonibus, Occitania, Delphinatu, vbi magnæ perpetratæ sunt cædes. Verùm cùm Henricus III. tres exercitus conscripsisset, & iis præfecisset egregios duces, vbique*

rebelles victi Regis clementiam implorare coacti sunt; maximè cùm Condæus missus impetrandi auxilij causâ, nihil obtinuisset. Itaque Franciscus Dux Andegauensis, antè Alenconius dictus, vocatus ab Ordinibus vt Dux Brabantiæ eligeretur, indigens eorum operâ effecit vt Rex illis reconciliaretur, Edictúmque factum Flexiæ 26. Nouembris, ratum habitum à Rege Blesis 26. Decembris, quo quies Galliæ per quinquennium parta est, Auila, Historiæ Gallicæ Scriptores. Princeps Arausicanus proscriptus à Philippo II. *offert Ducatum Brabantiæ Francisco Andegauensi, à Statibus Belgicis*; quibus Matthias Austrius displicebat, *Auila, & alij.* Michaël Bayus Decanus Academiæ Louaniensis propositiones quas ediderat in lucem recinit, curante Francisco Toleto Iesuitâ, quas iam damnarat Papa Pius 1567. *Possevinus, & alij.* Stephanus Rex Poloniæ victor de Moschis in Liuonia, redit ad hyberna, in cuius reditu, & laudibus *Natalis Comes absoluit Historiam suam vniuersalem.* Bellum Turco-Persicum renouatum est per Sinanem Bassam, cùm Mustapha reuocatus Constantinopolim ex mœrore prælati sibi æmuli, vel ex conscientia scelerum in Cypri expugnatione, sibi mortem consciuisset, aut pugione, aut nimio melopeponum esu. Verùm Sinanes ex hoc bello nisi dedecus retulit, nihil dignum Turcicis armis egit, Turcis aliunde alienis ab hoc bello propter incommoda, & ipse frui Viziris dignitate in vrbe, quam illam in Perside exercere malebat: adeò sollicitauit de pace Codabendam, à qua ille non refugiebat, & mittendis ad Portam Legatis; sicque rediit Sinanes in vrbem magnificè à Proceribus Turcis susceptus, quasi rem optimè gessisset, *Bizarrus, Historia Turcica.* Franciscus Drakus ex orbe circumnauigato rediit 3. Nouembris multo auro diues, quod Hispanis eripuerat, post Magellanicum fretum superatum, Peruuiam expilatam, Molucas aditas flexúmque Bonæ spei Promontorium. Creatus est Eques ab Elizabetha, nauísque dicta Victoria in terram subducta ad perpetuam rei memoriam. Sed aurum inde aduectum Proceres quidam attingere noluerunt vt furto raptum, & Regina partem eius Hispanorum institorum Procuratori Petro Suburæ paulò pòst reddendum curauit, *Draki huius nauigatio, Cambdenus, & alij.*

Anno Christi M D L X X X I. Duæ Ecclipses Lunæ hoc anno contigerunt, prima 19. Ianuarij, altera 16. Iunij. Ioannes Basilij pressus à Stephano Rege Poloniæ, & in summas angustias redactus, recurrit ad Pontificem, & Rodolphum Imperatorem, pollicitus se aggressurum Turcos bello Persico impeditos, si Stephanus eum omitteret, & hi vires suas cum ipso coniungerent. Missus in Poloniam & Moschouiam Posseuinus Iesuita, qui suâ prudentiâ pacem, aut saltèm inducias decennales inter vtrumque Principem procurauit, cum tamen prævaleret Stephanus, & Moschos malè mulctaret; sic restituta Religio Catholica in Liuonia; Moschus partum sibi multis victoriis decus perdidit. Sed & maior huic accidit calamitas, cùm filium suum Ioannem magnæ spei adolescentem scipione ferrato interemisset, cuius variæ proferuntur à scriptoribus causæ, *Relatio Posseuini, Reinoldus Heidenstonius in bello Moschouitico, Paulus Oderbornius in vita Io. Basilij, & Salomon Neugebauerus in Historia Polonica.* Philippus II. Olysipponem ingreditur 29. Iunij post Comitia Tomarensia dimissa. Misit & ad Terciariam copias, quæ Insula ab Antonio stabat, at hæ tamen tum magnâ clade sunt repulsæ, *Herrera, Campana, & alij.* Ordines Belgici cogunt soluere obsidionem Stenuikæ in Frisia Rennebergium, qui hanc vrbem iam menses 4. oppugnabat. Expellunt insuper Antuerpiâ, & Bruxellis omnes Sacerdotes & concionatores mensibus Maio atque Iulio, Ecclesias & Monasteria claudunt, atque Catholicis Religionis vsum prohibent, *Franciscus Andegauensis cogit Parmensem soluere obsidionem Cameracensem.;* Sed hic vicissim Bredam vrbem Arausicani patrimonium, & Tornacum occupauit. *Interim Franciscus Andegauensis transit in Angliam ad nuptias cum Elizabetha, sed eas mulier malitiosa impediit, miserum Principem ludificata.* In Belgio autem Hagæ Comitis Ordines & Principem suum, & Religionem Catholicam simul eiurant; quod vbi agnouit Matthias Belgium deseruit hanc defectionem exosus, *Famianus Strada, & alij Historiæ Belgicæ Scriptores.* Edmundus Campianus Soc. IESV Sacerdos, proditoriè captus, ac Londinum perductus, post atrocissimam quæstionem suspensus est ibidem 1. Decembris. Proposuerat 10. rationes, elegantissimo

ſtylo ſcriptas, quas nullus Hæreticorum auſus eſt refutare. Alij quoque eodem ſupplicio mulctati, Radolphus Scherwinus, & Alexander Briantus Angli Sacerdotes pietate inſignes, *Scriptor Vitæ Edmundi, Campiani, & alij.* Iacobus Scotiæ Rex Mortonium Maieſtatis accuſatum iuſſit obtruncari, licèt eum omnibus modis Elizabetha liberare conaretur, etiam ſeditione concitatâ. Voluit etiam eadem Elizabetha Albinium Iacobo cariſſimum, ab eo calumniis ſubmouere, ſed conſtanter ille reſtitit, & ſe verè Regem eſſe Scotiæ demonſtrauit, *Cambdenus in Elizabetha, & alij.* Ioannes Epiſcopius Caſſerius Gallus, Magiſter Ordinis S. Io. Hieroſolymitani, quòd ageret paulò ſeueriùs cum antiquis Fratribus, & quòd Proſtibula expuliſſet ex Inſula, coniuratione Fratrum, cuius erat caput Romegaſius Vaſco, miles ſolo nomine Turcis terribilis, datus eſt in cuſtodiam. Vtrumque Pontifex Romam euocauit; ſed Magiſter perhonorificè acceptus, Romegaſius eum adire iuſſus, & ei ſe ſubmittere, ex ægritudine animi obiit 4. Nouembris quem ſecutus eſt Magiſter 23. Decembris, *Hiſtoria Gallica Ordinis S. Ioannis, & litteræ Foxij ad Regem Henricum III. de hoc negotio. Mortuus eſt hoc anno Guillelmus Poſtellus Normannus vir ad miraculum doctus, ingreſſus Societatem* IESV *ab ea eiectus eſt à S. Ignatio, quòd erroribus aliquot infectus eſſet; relegatus tandem ob eoſdem in Cœnobium Sammartinianum Lutetiæ 7. Sept. annos centum natus eiuratis iiſdem erroribus, munitúſque Sacramentis obiit*, Orlandinus in Hiſt. Societ. Florimundus Remundus, & alij.

Anno Chriſti MDLXXXII. Vehemens eſt concitata aduerſus Catholicos in Anglia perſecutio, *Sanderus de Schiſmate lib. 3. Franciſcus Alenconius ſeu Andegauenſis Dux Brabantiæ electus ab Ordinibus, acceptis ab Elizabetha pecuniis, & ſtipatus aliquot Proceribus Anglis, ſoluit ex Anglia ineunte Februario, ſuſceptus eſt magnificentiſſimè Fleſſingæ ab Arauſicano, & 19. Februarij Antuerpiæ Dux Brabantiæ inauguratus, receptus quoque Brugis vti Dux Flandriæ, ſed ſtatim malè ab iiſdem Ordinibus accipitur, vnà cum Catholicis omnibus, in quos pecuniarum exactione ſæuitum*, Iſeltius continuatuor Surij, Chytræus. Arauſicanus vulneratur grauiter à Ioanne Iaureguio Cantabro, ſuaſione Gaſparis Anaſtri item Cantabri, & Antonij Ti-

metmanni Dominicani, percussor cæsus statim, Anastrus fugit, Dominicanus cum famulis quibusdam Anastri vltimo supplicio sunt affecti. Bellum itaque renouatur: Parmensis vri permittitur extetno milite: *In auxilium Francisci venêre Dux Monpenserius & Mareschallus Bironius cum copiis. Tunc etiam contigit coniuratio, quam Nicolaus Salseda Hispanus aperuit, in Henricum III. Andegauensem & Arausicanum: Socius eius Franciscus Bassa Brixianus sibi intulit manus. Negauit tamen posteà omnia Salseda: nihilominùs Parisiis equis 4. decussatis laceratus est, iussu Senatus, eiúsque accusationes flammis datæ, quoniam nimis multi Proceres vocabantur in crimen. Sed creditur ab Andegauensi hæc techna fuisse conficta, vt fratrem suum terreret,* Historiæ Gallicæ Scriptores. *Suscipitur in Azoras Insulas expeditio pro Antonio notho Lusitano; sexaginta paratæ naues, & sex millia armatorum, ducibus Strozzio Florentino, & Carolo Cossæo Brissaci Comite, cum incentore huius belli Vimiosi Comite. Hi commisso certamine nauali atrocissimo 26. Iulij, cum Marchione Sanctæ Crucis victi sunt, cæsi Strozzius & Vimiosus, Brissacus ægrè effugit, in captos Gallos suspendio sæuitum, etiam posteà extincto Gallo Sacerdote qui eorum confessiones audierat,* Paulus Foxius Archiep. Tholosanus, in expostulatione ad Gregorium XIII. Obiit 12. Decemb. qui creditur fuisse impulsor huius crudelitatis Ferdinandus Dux Albanus, moriens tamen inter manus F. Lud. Granatensis Dominicani, *Mariana* & *Conestagius.* Antonius nothus in Insula Terciaria rapinas, & libidines exercet, vnde & fugit ineunte Octobri in Galliam benignè licèt immerens, exceptus, cùm Strozzium flagitiosè deseruisset. Philippus II. in Monachos & Sacerdotes, qui maximè sibi obstiterunt in causa Lusitanica animaduertit, adeò vt eorum bis mille credantur aut ferro, aut relegatione, aut suspendio periisse, *Augustus Thuanus lib. 75.* Coniuratio Comitis Goutiæ in Scotia erupit in Regem Iacobum, cui amoti sunt amici, ac fidi Consiliarij; Albinius in Galliam abire coactus, vbi paulò pòst obiit: alij dati in carcerem, Rex ad ignominiosa compulsus; quæ tamen scribere noluit Buchananus, iam paulò melior factus, qui rum obiit anno ætatis 76. 28°. Septemb. vir ingenio, & criminationibus magnus, atque ex Apostata factus Hæreticus, *Cambdenus in Eliza-*

betha. Maria ſcribit ad Elizabetham litteras egregias, quibus & miſerum captiuitatis ſuæ, atque filij ſtatum depingit, rogat vt ipſis prouideat: verùm eas contempſit, & miſellæ illudit, miſſis ad eam inimicis ſuis, non qui curarent vulnera ſed refricarent, *Idem qui ſuprà, & alij.* Gregorius XIII promulgat emendationem Kalendarij 24. Februarij, probatam ab omnibus Catholicis, dies 10. reſciſſi à 5. Octobris ad 14. incluſiuè, aut vt loquuntur alij à 4. ad 15. excluſiuè. *At Galliæ Rex ſtatuit 3° Nouembris, vt ea dierum abſciſſio fieret à 10. Decemb. ad 19. incluſiuè.* Scripsêre contra hanc correctionem Heterodoxi, Ioſephus Scaliger homo vaniſſimus, & Michaël Maëſtlinus Mathematicus Tubingenſis, quos egregiè retudit Chriſtophorus Clauius Soc. IESV, itemque Dionyſius Petauius, qui hæreticis Germanis, Polonis & Borealibus os obturauit, vt alios extra eandem Societatem prætercam, *eorum Præfationes, Epiſtola Carrionis ad Andream Schotum poſteà Ieſuitam, edita initio Fragmenti Cenſorini.* Non eſt recepta apud Græcos hæc correctio, quia prohibuit Amurathes, veritus ne id Græcos cum Latinis in Turcorum perniciem coniungeret, *Victorellus in Gregorio XIII.* Arch. Colonienſis Gebhardus Truchſeſius ducit vxorem Agnetem filiam Io. Comitis Mansfeldij, quam ob formam deperibat, Bonnæ, atque Hæreſim diſſeminare parat in ditiones ſuas: ſed huic acriter Canonici, & Colonienſes ciues obſtiterunt, ipſe Monaſteria & Eccleſias diripuit, cum Theſauro Diœceſeos, *Michaël Iſſeltius Belga.* Circumciditur magnâ pompâ Mahometes filius Amurathis, coram Legatis omnium Principum etiam Chriſtianorum, de quorum loco acriter inter ipſos diſceptatum, & ſtolidè à Sinane Vizire pronunciatum; ludi omnis generis celebrati, quos aliqui eximios, alij vulgares fuiſſe ſcribunt, & aliquid tantùm Barbaricæ pompæ habuiſſe, *Georgius Lebeſcius Polonus, Andreas Maurocenus lib. 13. Blaſius Vigenerus in illuſtrationibus Chalcondylæ.* Legatus Perſicus in hac celebritate magnificè ſuſceptus, auditâ clade Turcarum à Perſis acceptâ, detruſus eſt in cuſtodiam: bellum hoc Perſicum multis impenſis geſtum, à multis ducibus ſubinde mutatis, magno Turcarum dedecore, *Minadoius, Leunclauius, & alij.* Obiit Sancta Thereſa 4. Octob. nata annos duodeſeptuaginta, cu-

ius festus dies in 15. translatus, ob Kalendarij emendationem, *Eius Sanctæ Vita.*

Anno Christi MDLXXXIII. *Franciscus Andegauensis videns sibi parum esse fidendum Ordinibus, ad seditionem procliuibus, per suos occupat vrbes Dunkerkam, Dixmudam, Teneramundam, vbi Galli præualebant; ipse suscipit Antuerpiam suæ ditioni subdendam. Brugis ciues præualuêre, sicut & Antuerpiæ, vbi Galli mille ducenti cæsi sunt, multi Proceres capti, ipse recepit se Teneramundam, periclitatus sæpè, laxatis in eius copias aquis. Sed missâ per Henricum III. Legatione, & excusatione præteritorum, reconciliatus est cum Ordinibus, suadente Arausicano, quia sic eorum res postulabant. Sed idem Franciscus videns eos iterùm moliri rebellionem, vt ingratos, & seditiosos reliquit; sícque Parmensis præualuit aliquot captis vrbibus, Ordinum res dilabi cœperunt,* Famianus Strada, & alij. Philippus II. redit in Castiliam relicto Prorege Alberto Cardinali Austrio: remittit in Azoras Sancta-Crucium cum maiori classe. Paulò anteà appulerat Æmarus Chatæus S. Io. Hospitalarius miles cum mille ducentis armatis ad propugnandam Tertiariam, sed victus ille sese dedere compulsus est, relictis armis, & remissus commodatis nauibus in Galliam. Emmanuel Sylua Antonij Prorex hac deditione noluit comprehendi, sed refugit in syluas, & montes, vbi proditus à Maura serua, & captus ab Hispanis capite mulctatus est. Suspensi quoque plures, & inter eos Monachi, adeò vt Philippus petierit à Pontifice veniam ob interfectos suo iussu in Lusitania, & Insulis duo millia Ecclesiasticorum aut Monachorum, Sancta-Crucius redux inter Proceres Hispanos (*Grandes* vocant) est aceensitus, *Thuanus lib.* 78. & *Philippi II. Vita.* Truchsesius Archiep. Coloniensis armis sese acriter defendens, aduersus Colonienses, & Canonicos suos, excommunicatur à summo Pontifice, eiúsque loco eligitur Ernestus Bauariæ Dux, iam Frisingensis, Hildesheimensis, & Leodiensis Episcopus, seu Administrator, qui cum excommunicato bellum fortiter gessit. Sed pro Truchsesio pugnauit Casimirus, qui deficiente pecuniâ, mortuo fratre suo Palatino, reliquit Truchsesij causam, vt exequiis fratris sui, & tutelæ nepotis vacaret. Neque tamen ille despondit animos, donec Bonna reddita, cum sua Agnete ad Arausicanum

num, Hagam Comitis fugit, vbi demum inops obiit, *Historia Coloniensis. Parisiis Henricus III. vacabat operibus quibusdam pietatis, & supplicationibus versicoloribus, in quas ausus est concionator, Benedictinus Theologus infanda dicere, leuiùs quàm eius insolentia postulabat à Rege castigatus; qui & cum Regina peregrinationem suscepit pedes ad B. Virginem Carnotensem, quæ licèt de se bona, tamen tempore non suo obita sunt*, Historiæ Gallicæ Scriptores. *Franciscus Roserius Archidiaconus Tullensis librum edidit inscriptum* Stemmata Lotharingiæ, ac Barri Ducum, *quo Regem grauiter offenderat, ideóque captus 26. Aprilis coactus est ex genibus veniam petere, grauiter increpitus à Philippo Huraldo Comite Chiuernio, tum Cancellario in locum Cardinalis Biragi mortui substituto; & reliquas pœnas quas promeruerat Rex ei remisit, in gratiam Reginæ Matris deprecantis: laceratus tamen hic liber, sicut alij libelli, de Carlouingiis, & Merouæis, qui tum impunè aduersus Regiam familiam spargebantur, Guisiis à se deprecantibus hos libellos, atque hæreticis hostibus suis assignantibus*, Historia Galliæ, & Domus Guisiæ manuscripta. In Scotia Hæretici & Gourius turbabant omnia; fugit tamen ex eorum manibus Iacobus, & suâ generositate effecit, vt rebelles animos ponerent, ipséque Gourius ex Parium iudicio caput perderet, fremente licèt Elizabethâ, quæ matrem, & filium perditos volebat, *Cambdenus in Elizabetha, & alij Scriptores.* Guill. Parrius Anglus Catholicus in Elizabetham coniurasse conuictus sublatus est merito supplicio Patricidarum: Brouunistæ etiam quidam (sic dicti à quodam Roberto Brouuino Cantabrigensi) & Puritani, libris editis Ecclesiam Anglicanam damnarunt, libri combusti sunt, quidam ex istis sectatoribus ex furcis pependēre, *Cambdenus, Thuanus.* Fides Christiana per Michaëlem Ruggerium, & Matthæum Riccium Iesuitas in Sinas transiit, cùm se illi insinuassent in amicitiam quorundam Magistratuum, operâ Mathematicarum disciplinarum, *Nicolaus Trigaltius in Sinensi Historia.*

Anno Christi MDLXXXIV. Ecclipsis Solis contigit 10. Maij, itémque Lunæ 17. Nouembris. *Franciscus Andegauensis ex Belgio venit Castrum-Theodorici super Matronam in oppidum ditionis suæ: inde citatis equis ad Henricum fratrem accessit, & morbo correptus est, quo sanguis ex omnibus corporis par-*

ter Sanctos relatus à Paulo V. 1610. *Eius vita à pluribus conscripta*: Quo etiam anno Genebrardus Chronologiam suam terminat. Sodalitium B. Virginis primum in Collegiis Patrum Soc. IESV sub titulo Annunciationis hoc anno Romæ institutum est, ex quo omnia alia emanarunt, *Constitutio Gregorij XIII. 97.* & *Annuæ Societatis Litteræ.*

Anno Christi MDLXXXV. *Cardinalis Borbonius scriptum emittit 1. Aprilis Peronæ, quo Nauarræus atque Condæus excludebantur Regno, ne Religio Catholica periclitaretur, & quòd Franciam motibus internis, externísque turbassent. Rex huic Scripto respondit acriter in Guisios inuectus, quos motuum istorum authores asserebat. Emisit & scriptum suum Nauarræus mense Iunio, quo testatus est se pertinacem non esse, sed paratum edoceri in Concilio, in quo Protestantes audirentur. Negabat quoque se relapsum esse, cum Religionem tantùm mutasset cædis metu: prouocabat & ad Duellum Guisium, vt paucorum sanguine lis tanta derimeretur. Henricus verò III. sibi à Fœderatis armatis metuens, matris sui solertiâ, cum iis in speciem reconciliatus est, Edictúmque emisit graue aduersus Hæreticos quod 18. Iulij in Senatu Parisiensi promulgatum est, magno gaudio Catholicorum. Edidére & aliud scriptum Nauarræus, & Condæus 10. Augusti; addito etiam nomine Monmorantij Mareschalli, quo inuecti sunt in Guisios, à tempore Francisci II. Galliæ perturbatores. Ad eos autem Henricus III. Legatum misit qui ad sanam reuocaret mentem, at is nihil apud eos potuit. Inuitabatur Gregorius XIII. ad feriendum Anathemate Nauarræum, à fœderatis, sed id ab eo numquam obtinere potuerunt*, Auila, & alij authores Galliæ Historiæ. Legati Iapones nobiles omnes, & primarij adolescentes Regum Bungi, & Omuræ 22. Romam ingressi sunt magnificè à Gregorio XIII. & cum magna voluptate recepti: qui Aprilis 10. obiit annos natus 83. cum 3. mensibus, vbi sedisset annis 12. mensibus 10. & diebus 29. is distribuisse dicitur in bona opera vicies centena aureorum millia, Pontifex sub quo, si vnquam iustitia, & rerum omnium copia Romæ viguerunt. Successit ei 24. eiusdem mensis Sixtus V. Franciscanus, coronatus 1. Maij, vir acerrimi ingenij, & antecessori suo longè dissimilis. *Hic statim censuris egit in Nauarræum & Condæum 7. Sept. quòd cùm eiurassent semel hæresim, eam resumpsissent. Sed programmatis Romæ affixis huic*

ſententiæ refragati ſunt, & hunc Hæreſis atque mendacij inſimularunt. Omnes ergo in Gallia Hæretici, atque Catholici ſpirarunt arma. Condæus Iacopolim vulgò Broagium *obſidens, euocatus Andegauum, canem Æſopicum imitatus, vtroque fruſtratus fugere compulſus eſt exeunte Octobri per Cenomanos & Normanniam Grenezeam inſulam, copiis ſuis diſſipatis; ſicque ſoluta Iacopolis obſidio*, Auila, & Gallicæ Hiſtoriæ. Antuerpia ſe dedere compellitur Parmenſi 17. Auguſti honeſtis conditionibus, quam hic triumphans eſt ingreſſus 27. eiuſdem menſis. Regina Elizabetha ſuſcipit Ordinum Belgicorum patrocinium, mittit ad finem anni Rob. Dudleium Comitem Leiceſtrium cum magno apparatu in Belgium. Mittit & Dracum in Indiam Occidentalem, qui diripuit vrbem S. Iacobi in Inſulis Capitis viridis, vrbem S. Dominici in Hiſpaniola expugnauit, & Carthagenam in continenti, peruenitque in Virginiam vnde Anglos ſubduxit aliàs in coloniam miſſos. Inter hæc in Mariam Scotam omnes ſuos excitat Elizabetha, atque edictum emittit atrox aduerſus Sacerdotes atque Ieſuitas, atque Anglos ſub illis ſtudiis ponentes operam; aliquot quoque viri nobiles Catholici ſublati ſunt, inter quos excelluēre Philippus Hauuardus Comes Arundelius, Henricus Percius Northumbriæ Comes. Et cùm eſſent pleni confeſſoribus carceres, emiſēre Iudices ex ſingulis carceribus viginti viros, quos Bononiam miſēre, vnde Rhemos tranſgreſſi ſunt, *Cambdenus, Eduardus Rishtomes in Continuatione, ſeu lib. 3. de Schiſmate Anglicano, ad duos libros Nicolai Sanderi.* Rex Scotiæ Iacobus capitur à perduellibus, quibus Elizabetha pecunias ſuffecerat ad turbandam Scotiam: ab iis eiectus Araniæ Comes vt fautor Catholicorum, atque Ieſuitarum, poſt aliquot annos, dum exul vagatur interfectus, *Hiſtoria Scoticæ continuatio.* Hodabenda cum Hiſpaniæ Rege Philippo Societatem inire conatus eſt. In Oriente *Tauriſium* olim Ecbatanam perdidit, quam Oſmanes Turcus Baſſa militi diripiendam dedit: ſed dum Oſmanes redit in Europam cum Turcis prædæ aduehendæ cupidis in itinere obiit, eúmque Emir Emſa acerrimè inuaſit: qui Turcorum 85. millia tum dicitur confeciſſe. Remiſſus tamen anno ſequente Ferhatus felicior fuit, quòd Emir-Emſa inſidiis domeſticis appetere-

tur, in quibus extinctus est cum magno Codabendæ dolore, & qui paulò pòst ex mœrore obiit, relicto hærede Abâ-Merizâ qui demum cum Turcis pacem iniit, Persis inhonoram, *Leunclauius, & Minadoius de bello Turco Persico, qui in morte Emir-Emsæ suam claudit Historiam.* Hoc tempore Hibraimus Bassa Præfectus Ægypti, Maronitas, & Drusos Montis Libani accolas debellauit: hi erant Christianorum reliquiæ à tempore Godefridi Bulionij; qui tamen paulò pòst rebellarunt; ideò ab Amurathe exterminari iussi, quod tamen factum non est metu maioris mali, & lenitate ad officium reuocati, *iidem qui suprà.* Ex Insula Terciaria falsus Sebastianus Anachoretam se fingens, & multos ad se trahens in Lusitaniam transiit, vbi captus vltimo est affectus supplicio iussu Austrij Cardinalis, *Isseltius in Continuatione Surij. Obiêre hoc anno Georgius Cardinalis Armaniacus anno ætatis 85. 3. Nonas Iunij Auenione.* Obiit Syrletus Calaber Cardinalis, vir doctissimus anno ætatis 71. Romæ 8. Oct. M. Antonius Muretus Lemouix Romæ 4. Iunij, vir eloquentissimus: Carolus Sigonius anno 60. Mutinæ, vnde natus erat: Io. Molanus Louanij in patria sua 18. Sept. *Denique in S. Cosmæ Cœnobio ad Turonas Petrus Ronsardus Vindocinus, Poëta Gallicus eximius* 18. *Decembris, laudatus à Iacobo Dauitio Perronio, eximiæ tum spei adolescente*, Bibliothecarij.

Anno Christi MDLXXXVI. Sixtus V. Obeliscum eximium delatum ex Ægypto iampridem, iacentem Romæ à tempore Totilæ, transferri curauit in aream S. Petri, & erigi operâ Dominici Fontanæ Nouocomensis, peritissimi Architecti, cuius pondus fuit 956148. librarum, longitudo 107. pedum, latitudo parte infima 12 suprema 6. & deinceps in variis Romæ locis iacentes alios obeliscos, eiusdem Fontanæ operâ erigi iussit. Bibliothecam quoque Vaticanam extruxit, *Victorellus, Vghellus, & alij.* Iudiciariam quoque artem damnauit Sixtus, quæ de futuris inquirit, vnà cum Magia, & huic affinibus artibus, *Sixti V. Constitutio* 17. Probauit & Societatem ministrantium infirmis à Camillo de Leliis institutam, *Constitutio* 18. *confirmauit* 5. *Maij Fulliensem Congregationem authore Io. Barrerio, Abbate Cœnobij Fulliensis Ordinis Cisterciensis, iam in Diœcesi Riuensi, quæ posteà in varia loca dispersa fuit*, Constitutio 32. *Rex Na-*

uarræ scribit ad Regni Ordines, & ciuitatem Parisiensem: eum adit Regina Mater, & cum eo colloquitur ad Sambritium propè Connacum, à quo nihil obtinuit; cùm rogaretur, vt ab Hæresi, & Sectariorum Partibus desciſceret. Permisit Henrico III. Sixtus alienationem bonorum Ecclesiasticorum ad 50. millia aureorum reditus annui, eâ lege vt eam curarent Cardinalis Borbonius, cum Nuncio Apostolico, & Episcopo Parisiensi, quod probatum à Senatu 27. Martij, Historia Gallica, Sixti diploma, Acta Senatus. Leincestriæ Comes, malè rem Belgicam administrat, maiori fastu, & rigore, quàm prudentiâ, & fortitudine; reuocatus est in Angliam ob tumultus hîc exortos, *Famianus Strada, & alij.* Anton. Babingtonus coniurat in Elizabetham, pro eximenda Maria Scota, cum aliis 15. qui capti vti proditores mulctati sunt. Tunc selecti 47. Iudices, tam ex Consilio Reginæ, quàm ex Parlamento, qui causam Mariæ excuterent, & ad Castrum Fadringayam profecti sunt ad ripam Neni fluminis, vbi tunc agebat, carcere iam sedecies mutato. Ac primùm vt Regina noluit respondere; deinde ne hoc sibi, & filio malè cederet, sapienter iuxta ac fortiter respondit. Ab his tamen iniquissimis Iudicibus damnata est ad mortem, quo audito Iudicio, ipsa Elizabetha simulatè exhorruit: posteà tamen permisit euulgari præconis voce Londini. Impedire conati sunt eius mortem filius eius Iacobus Scotiæ Rex, & Henricus III. Galliæ Rex misso Pomponio Beleuræo; nihil profecère, *Cambdenus, & Acta eius Tragœdiæ à multis scripta.* Stephanus Bathorius Rex Poloniæ Epilepticis Paroxysmis tentatus 13. Decemb. obiit Grodnæ in Lithuania, malitiâ vt creditum est Nicolai Bucellæ eius medici Ariani: vixit annos 54. regnauit annis vndecim, vir clarus, pietate, eruditione, scientiâ militari, & animi fortitudine, *Salomon Neugebauerus in eo Polonicam suam claudens Historiam, & Christophorus Varseuius in eius Oratione funebri, quæ prostat in Tomis rerum Polonicarum.* Mortuus est & hoc anno Martinus Aspilcueta, Doctor Nauarræ dictus, Romæ 21. Iunij, anno vitæ 96. Item & Antonius Augustinus Cæsaraugustanus, primùm Ilerdensis Episcopus, deinde Archiepiscopus Tarraconensis 31. Maij, septuagenario maior; Denique Petrus Victorius Florentiæ 8. Decembris anno æta-

tis 87. vir multæ & exquisitissimæ erudirionis, *Bibliothecarij*.

Anno Christi MDLXXXVII. Ecclipsis Lunæ contigit 6. Sept. Maria Regina Scotiæ 18. Februarij Fradingayæ publicè perdidit caput, fidem Catholicam egregiè testata, & eo pacto moriens quo Martyres solent: & verò omnia eius instrumenta supplicij sublata, eluti panni, aut in ignem coniecti, ne à Catholicis colerentur. Elizabetha apud Mariæ filium Iacobum se excusare conata est, & miser Princeps coactus est admittere excusationem, cùm morti suæ matris vindicandæ impar esset, *Narratio funestæ eius mortis*. Parmensis in Belgio rem Hispanicam promouebat, cui reddidêre Angli duo Præfecti Dauentriam, & Arcem Zutphaniæ; Scotus à Leicestrio inuitis Ordinibus præpositus Gueldriam prodidit: hæc autem fiebant absente Leicestrio, qui tum agebat in Anglia. Quare Ordines Mauritiùm Nassouium rogarunt, vt præfecturam assumeret. Cùm autem Parmensis obsideret Slusas, & huic opem ferre non potuisset Leicestrius, contemptus est, & mutuis scriptis hic & Mauritius sese exagitarunt; itaque reuocandus fuit in Angliam, & Ordinibus sua est libertas restituta, *Famianus Strada, & alij Belgicæ Historiæ Scriptores. Dux Annas Ioyosa in Gallia* ἑταῖρος *Henrici III. cum ingenti exercitu Regio, aut mori pro fide Catholica aut Nauarræum vincere parat. Itaque non expectatis Mareschalli Matignonij Aquitaniæ præfecti copiis, eum aggreditur, longè militum numero superior, Henricum, Ducum præstantiâ instructiorem ad Curtracum iuxta Insulam amnem in Petracoriis. Victus est Ioysa, & captus à nescio quo cæsus, itémque frater eius Claudius Sansaluatorius, neque Nauarræus satis visus est vti fructu suæ victoriæ. Aliunde irrupêre in Galliam Germanorum Equitum (Reitros vocant) octo millia, sex peditum seu* Lankenerorum, *& 20. millia Heluetiorum, quorum tamen quatuor millia in Delphinatum missa, à Valetta fratre Espernonij internecione deleta sunt, reliqui ducibus Fabiano Donauuio nobili Borusso, & Roberto Guillelmo Bullionio, Lutetiam venire conati sunt, sed reiecti ad Ligerim perrexêre, vt se Nauarræo coniungerent; verùm hinc quoque ab ipso Rege prohibiti; itaque tendunt in agrum Vindocinum; at eos aggressus incautos ad* Alnetum, Aunay, 24. *Nouembris* Gui-

ſius ingenti affecit clade, eorúmque equos & omnia impedimenta cepit: quare de reditu ſtatim cogitarunt, quem eis Rex datâ etiam pecuniâ aperuit. Inglorij ad ſua receſsêre, multis eorum etiam in Sabaudia caſis. Bullionius paulò pòſt ex mœrore obiit Geneuæ, quò ſe ægrè receperat. Inſimulatus à Catholicis Eſpernonius, quòd laudem eos penitus debellandi, etiam cum Regij fiſci detrimento Guiſiis eripuiſſet, Auila, Hiſtoria Guiſiæ domus Manuſcripta, & alij Galli Scriptores. Sigiſmundus filius Ioannis III. Regis Suecię, & Catharinæ ſororis Sigiſmundi II. eligitur Rex Poloniæ 9. Auguſti, & coronatur Cracouiæ 27. Decembris, agens annum 21. Síque eius competitor Maximilianus frater Rudolphi Imperatoris excluſus eſt, victus tamen priùs à Zamoſcio, & iterùm ab eodem, cùm acceſſiſſet cum copiis ad Cracouiam, *Hiſtoriæ Polonicæ Scriptores.*

Anno Chriſti MDLXXXVIII. (Quem Ioannes Regiomontanus ante annos centum *Mirabilem* prædixerat, Io. Stoflerus Sueuus & alij *Climatericum Mundi*) multa contigêre. *Dux Lotharingiæ cum Guiſio ac præcipuis fœderatis Nancæium conuenerunt, & propoſuerunt aliqua Henrico III. quæ præſtare non poterat. Ex hoc tempore concionatores pro Henotico publicè, & ardenter declamant, & tacitè perſtringunt Regem. Habebantur etiam in pleriſque locis Catholicorum conuentus, & conſpirationes aduerſus Regem, de quibus tamen admonebatur, vel vt ab iis ſibi caueret, vel huic intentaretur metus. Hic itaque armatos per vrbem diſponit, per otium inductos, à quibus ſibi metuentes Pariſini Guiſium accerſunt. Ne veniret in Vrbem monitus eſt à Rege per Pomponium Belleuræum, & ita monitus, vt ſi veniret, Regem offendiſſe ſine dubio videretur. His igitur ſpretis admonitionibus, quòd à ſuis vrgeretur etiam minis interpoſitis Lutetiam venit 9. Maij, & rectà tendit ad Reginam per quam deductus eſt ad Regem inter fauſtas populi acclamationes. Suſceptus eſt à Rege iratiore vultu, quem tamen vtcumque placauit, aſſerens ſe tantis calumniis appetitum eſſe, vt etiam cum capitis periculo (vtpote qui contra eius iuſſionem venerit) ad illas refutandas, accedere ad eum cogeretur. Inde longâ, & accuratâ oratione diluit contra ſe factas criminationes, quâ ſibi factum eſſe Rex præ ſe tulit, eúmque rogauit vt facta eius dictis reſponderent. Attamen vt tutior eſſet, Heluetios, & prætorianos ſuos Gallos per vrbem diſpoſuit, & cohortes vrbanas ſibi fidas, quibus facilè poterat ſeditioſos*

seditiosos comprimere, sed monitus à matre ut blandè ageret dedit spatium fœderatis colligendi sui; itaque plebem concitauit 12. *eiusdem mensis, quæ & catenas obtendit, & dolijs aditus sepsit, & comportauit in tecta, & fenestras lapides; quare hæc militem Regium exarmauit, cui tamen arma reddi fecit Guisius, sed eo die præfecto Vigilum tessera militaris non à Rege, sed à Guisio data fuit. Hic itaque dies dictus fuit* Doliarius, *Gallicè* des Barricades, *quo Regia Maiestas conculcata est. Neque id tantùm, sed totâ nocte factæ coitiones, arma Scholasticis tradita, decretum à seditiosis retinere Regem; itaque hic quasi deambulationem cogitans reliquit Vrbem, huic minitans, quem tamen facilè Guisius retraxisset, si voluntatem huic nocendi concepisset. Rex autem Carnutum perrexit unde* 17. *Maij litteras ad omnes præfectos dedit, quibus eos admonuit de Parisina rebellione. Senatus Parisiensis ad Regem scripsit, & factam excusauit rebellionem; misit & ciuitas suasu Guisij ut à se amoliretur inuidiam, cui ut satisfaceret, ab aula remouit Valettam, & Espernonium, aut potiùs ipsi se subduxêre. Résque tum bellè procedere videbatur, & ad pacem inclinare, cùm litteræ missæ à Sixto V. ad Cardinalem Borbonium, & Ducem Guisium omnia turbauêre; in his comparabatur Guisius cum Machabæis, promittebatur in Gallia Legatus à Latere, & multa alia dicebantur, quæ Regi facerent iniuriam; quæ tamen Rex dissimulauit, beneficia contulit Cardinali Borbonio, & Guisio, omnia denique præstitit quæ bonum Principem, & populi sui amantem saperent. Inter hæc moritur Condæus in oppido S. Io. Angeriaci* 5. *Martij inter acutissimos dolores, ob venenum sibi propinatum: qui curam eius agebat Domus, equis decussatis laceratus est, quod suffecisset necessaria ad fugam duobus domesticis in quos suspicio cadebat. Vxor eius Carlota Trimolia damnata, seruata tamen ad* 40. *à partu diem, quæ* 1. *Sept. peperit filium Henricum; sed hæc supplicio subducta, demum etiam absoluta est anno* 1596. *Tum Rex Henricus III. suis diffidere cœpit, quorum plurimos à se remouit; & ineunte Octobri Blesis Comitia celebrat, quæ aperuit eloquentissimâ oratione, & potestatem Ordinibus facit, ut quo possent optimo modo, de suo successore statuerent; quod & fecêre, excluso à Regni possessione Nauarræo. Videns autem Rex Guisium in his Comitiis omnia posse, statuit eum de medio tollere, quod & factum* 23. *Decembris; eiúsque frater item cæsus die sequenti; dati custodes Cardinali Borbo-*

nio, multi in custodiam coniecti, vt Ellebouius, & Carolus Princeps Ianiuillæ Ducis Guisij filius. Dux Nemorosius Parisios fugit, vbi Dux Albamalæ, à viris sexdecim, qui sibi omnem potestatem arrogarant, præficitur. Dux Meduanus Diuionem se recipit, fitque Henotici Caput: texuit sibi telam Rex (vt eum mater admonuit) quam facilè non retexeret, & vatem eam extitisse probauit euentus. Eodem tempore Dux Sabaudiæ occupauit Carmaniolam, & totum Marchionatum Salutiarum: quando & Valetta Societatem iniit cum Lesdiguierio Caluinista, & frater eius Espernonius magnum discrimen adiit, quod tantùm Inculismæ, animi præsentiâ declinauit, Historia Gallica. Parata est ambitiosa illa classis Hispanorum, centum circirer ac quadraginta nauium, quarum nonnullæ speciem arcium præferebant, in quibus supra viginti armatorum millia, præter nobiles, nautarum supra octo millia, bombardæ æreæ mille sexcentæ, ferreæ mille quinquaginta, ducibus Antonio Columnâ Duce Paliani, & Marchione Sanctæ Crucis, cum Vicario Inquisitoris Generalis Martino Alarco & 200. omnium Ordinum Religiosis. Huic autem classi se coniungere debuit Parmensis, & totidem milites equites & pedites in Angliam ex Belgio immittere, omnibus ad traiiciendum comparatis. Aliunde Elizabetha quàm magnam potuit armauit classem, & exercitus duos terrestres parauit, quæ ipsa inuisebat sæpè cum paludamento militari, facta ex necessitate Amazon, cum egregiis ducibus inter quos erat orbis ille lustrator Drakus. Soluit Olysippone classis 29. Maij, & portum Corunnæ in Gallicia tenuit, ac grauem experta tempestatem, inde soluit 21. Iulij, & Anglicanum fretum ingressa est 29. eiusdem mensis, Anglis quidem inexpectata, qui tamen eam fortiter exceperunt, & malè mulctarunt, vsi nauigiis habilioribus, humilioribúsque, & ad inferendos ac declinandos Bombardarum ictus aptioribus. Ante Calesium ancoras iecêre Hispani, expectantes Parmensem nondum paratum, & quem Zelandica classis aliunde retinebat; sed in hanc classem immisit ignem Græcum Drakus nocte intempestâ die 7. Augusti, quo viso igne, sustulêre ancoras Hispani confusis ordinibus, sine ducum imperio, quos insequuti Angli magnâ clade affecerunt; & desperantes auxilium Parmensis, circumflexâ

Scotiâ in Hiſpaniam redire decreuerunt, inſequentibus eos vſque ad vltimam Scotiam Anglis, grauibus inſuper tempeſtatibus, atque naufragiis vexati, demum inglorij domum redierunt amiſſis 32. nauibus, ac 10. hominum millibus, in quibus multi Proceres, & nobiles, cum flore Hiſpanæ militiæ. Philippus II. hanc cladem patientiſſimè ac pientiſſimè tulit: Elizabetha contrà in Catholicos ſæuiit atrociſſimè, quos acciuiſſe Hiſpanos ſuſpicabatur, *Cambdenus in Elizabetha, & Eduardus Rishtonus lib.* 4. *de Schiſmate Anglicano.* Fridericus II. Daniæ Rex moritur 90. Aprilis anno vitæ 54. regni 29. cui ſucceſſit filius Chriſtianus IV. annorum vndecim, adiunctis ei quatuor conſiliariis donec adoleſceret. Obiit hoc anno Andreas Dudithius olim Epiſcopus Quinqueccleſienſis, qui Concilio interfuerat Tridentino, ſed amore puellæ Polonæ inſaniens, eam duxit vxorem, & eâ mortuâ aliam, ex qua liberos ſuſcepit, factus primùm Lutheranus, deinde nullius Religionis: obiit Wratiſlaniæ in Sileſia ex apoplexia annos natus 56. Mortuus eſt & Auratus Poëta, Ronſardi quondam Præceptor, Poëtices Profeſſor eximius, ætatis anno pænè octogeſimo.

Anno Chriſti MDLXXXIX. Eccliplis Lunæ contigit 25. Aprilis. *Obiit 5. Ianuarij Bleſis Regina Catharina Medicea annos nata vnum atque ſexaginta, trium regum deinceps mater, quibus ingenio ſuo, & ſagacitate ſemper imperauit, malitioſa mulier, & quæ pluris fecit Imperium, quàm Religionem. Bleſenſia Comitia terminata ſunt* 15. *&* 16. *eiuſdem menſis, omnibus conuenientibus Religionem Catholicam vnam in Gallia ſeruandam eſſe, ex ea extirpandam hæreſim, quod erat faciliùs optare, quàm præſtare. At Pariſiis concionatores in Henricum III. vt Tyrannum laxantur; neque ſapientior fuit Facultas Theologica Pariſienſis, quæ apud Collegium Sorbonæ poſt publicam ſupplicationem & Miſſam S. Spiritus Magiſtrorum 70. re in deliberationem poſitâ die 7. Febr. definitum eſt populum ſolutum eſſe Sacramento præſtito Regi Henrico III. licitum eſſe contra illum armari, & pecunias colligere, quod etiam Decretum miſſum eſt ad Pontificem, reclamante tamen Io. Fabro Decano: immò & decreuit 5. Aprilis preces pro Rege in Miſſa abolendas eſſe, earúmque loco ſubſtituendas pro Principibus Catholicis. Rebelles veriti Senatum*

die 16. Ianuarij Io. Clericum Bussium Procuratorem miserunt, armatum cum suis satellitibus, qui Achillem Harlæum cum 50. Senatoribus in Bastiliam, cui ipse præerat, pertraxit, cæteris ius dixit Barnabas Brissonius. Tum Parisus emissum iuramentum Henotici sub Albamala Lutetiæ Gubernatore; in quam vrbem quoque venit, conciliatis sibi vrbibus Trecis, Aurelius, & Carnuto Meduanus, regio more susceptus, qui 4. Martij Generalis regni Vicarius constitutus est, indicta Comitia ad medium Iulium. Henricus autem III. Turonas venit vbi constituit Senatus sedem, & Rationum Curiam, & societatem iniit 26. Aprilis cum Rege Nauarræ, cui Salmurium concedit, suásque copias cum Nauarricis iungit. Meduanus autem Regem Turonibus obsidere parat, & toto biduo confligit, pluribus ex Regiis cæsis, sed aduentu copiarum Nauarræi, & Espernonij, Cainonem se recipit, vt Rex Blesas. Postea hic certior factus auxilij ex Germania cum Heluetiis aduentantis, versus Lutetiam pergit eam obsessurus: capit Pontisaram post acrem 20. dierum oppugnationem, vbi recipit 10. millia Heluetiorum, duo millia peditum Germanorum, & mille quingentos equites, sic Lutetiam obsidet 35. millibus peditum, & 5. equitum, cum multis Principibus, Proceribus, & regni administris, & stationem eligit Pontem S. Clodoaldi. Hîc autem cæsus est à Iacobo Clemente hebete Dominicano, qui fictis litteris ab Harlæo ad Regem admissus 1. Augusti eum in ventre percussit, ex quo vulnere postridie interiit, annos natus 37. cum 10. mensibus, & diebus 14. regni sui anno 15 cum duobus mensibus, & diebus tribus. Percussor interemptus à satellitibus Regiis, in crate tractus 4. equis laceratus est, & flammis absumptus, eiúsque cineres in profluentem proiecti. Statim Henricus Rex Nauarræ eius successor ab exercitu Galliæ Rex agnoscitur eius nominis IV. sed multi Catholicorum ab eo vt Heterodoxo recesserunt; abiit Espernonius Inculismam, Dux Niuernensis copias suas remisit. Rex Cardinalem Borbonium à fœderatis dictum Carolum X. Cayone, Fontenæum Comitis transferendum curat. Meduanus contrà versus Rothomagum pergit, vt eam vrbem aduersus Henricum IV. tutaretur. Hic autem cùm Deppam perrexisset ad recipienda auxilia Anglorum, atque Batauorum, obsessus est ad Arquas, à 40. aut 30. fœderatorum millibus, aduersus quos tam fortiter se defendit, vt Meduanus, metu accedentis auxilij Anglici retrocedere coactus sit similis victo: inde Rex Lutetiam venit & 1. Nouembris suburbia ex-

pugnauit S. Iacobi & S. Germani, ſubiturus vrbem ſi tormenta bellica portis admouiſſet; ſed ſequenti die adueniens cum equitatu Meduanus firmauit vrbem, ſicque Rex coactus eſt recedere. 21. Nouembris Rex Franciæ declaratus eſt Carolus Borbonius dictus Decimus (cuius nomine, nos pecuniam vidimus) Senatuſconſulto, Meduanus Generalis Regni, vt anteà, Vicarius. Tum etiam Cardinalis Caietanus Legatus venit in Galliam, vt fœderatis afferret opem, & Catholicam fidem tueretur, quod Regis moleſtiſſimum accidit, quoniam Philippo II. addictiſſimus agnoſcebatur, Auila, & reliqui Galli Scriptores. Angli expeditionem ſuſcipiunt in Hiſpaniam, quæ non minùs iis benè, quàm Hiſpanis ceſſit, claſſe tamen paratâ *166.* nauium, in qua vndecim millia bellatorum; & primò à ſuperiori oppido Corunæ repulſi (nam inferius occuparunt) in Luſitaniam appulêre ad Olyſipponem, vbi fruſtrà rebellionem expectarunt, ſicut & auxilia Regis Maroci: túmque deficiente puluere tormentario, & morbis afflicti, in patriam ſuam vela fecerunt, exeunte Iunio, nequicquam eos Antonio notho retinente, *Cambdenus in Elizabetha.* In Belgio deditum eſt Parmenſi oppidum Gertrudberga menſe Aprili, à præſidiariis, aptiſſimum ad prohibendas excurſiones Batauorum, *Famianus Strada, & alij.* Maximilianus decertans aduerſus Sigiſmundum initio anni ſuperioris, & in cuſtodia detentus emiſſus eſt rogante Hippolyto Aldobrandino Cardinali, *Iſthuanffius lib. 26.* Turbatum quoque Turcicum Imperium, ob ſectæ cuiuſdam nouæ Mahumetanos in Iudæa & Ægypto, contra quos miſſus Aſſam Ianizarorum præfectus, qui ſecum duxit plurimos ex Perſide reduces cum Ianizaris tumultuantes. Aſſam autem omiſſis Syriâ, & Ægypto nauigauit in Africam aduerſus Mauros Tripolitanos, ab iſtis nouis ſectariis excitatos, nec niſi multo labore & dolo homines fraudulentos ad officium reuocauit, *Leunclauius, & Hiſtoria Turcia.*

Anno Chriſti M D X C. Eclipſis Solis contigit 31. Iulij, Lunæ 17. eiuſdem menſis. *Cardinalis Caietanus Legatus improuidè impediit admodum quominùs Prælati Turonas accederent quò vocabantur, vt Henricum dedocerent, quaſi id ad ſe vnum ſpectaret hos cogere. Idem etiam impulit Doctores Sorbonicos, vt multa ſancirent contra Henricum IV. 10. Februarij. Philippus quo-*

que II. fouit quibus potuit modis Henoticon, saltem specie Religionis, & Sixtum V. quantùm in se fuit contra Henricum accendit. Inter hæc Rex Drocas obsedit, quibus vt ferret auxilium Meduanus, redux Bruxellis cum copiis à Parmensi acceptis sub duce Philippo Comite Egmondano, eò tetendit certus detrectare prælium, quod tamen ab eo ferociter Egmondanus extorsit. Soluit obsidionem Henricus, & fœderatis occurrit 14. Martij ad Yuriacum pagum: acriter vtrimque pugnatum, & aliquando visi sunt cedere Henriciani, verùm tandem Rex plenam & nobilem victoriam retulit, cæsus Egmundanus, cum Henrico Brunsuicensi notho, capti plurimi, cæsi equites 800. Germani omnes pedites deleti, Heluetij in Regis partes transierunt. Fugit Meduntam Meduanus, inde Sandionysium, vnde litteras ad Philippum II. dedit, & ad Sixtum, de eo questus, quod neque militem, neque pecuniam Ecclesiæ causâ misisset. Eodem tempore victus à Franc. Chabanio Curtonij Marchione Ludouicus Rupefucaldius Randani Comes, dum fert auxilium Arci Issoriaci in Aruernis: captus Ludouicus ex vulneribus statim obiit, Arx dedita, Regis partes in Aruernis firmatæ. Lutetiam inter hæc parabat obsidere Henricus IV. & se defendere moliebantur Parisini, Duce Nemorosio Sabaudo Meduani fratre vterino, iuuene audaci, atque generoso cum sexdecim viris, qui tum regebant vrbem. Ab iis consulta Sorbona contra Henricum, respondit 7. Maij; emissum item Senatusconsultum, quo vetitum de pace agere cum Henrico Hæretico; supplicatio decreta, in qua armati etiam Religiosi ridiculâ pompâ prodierunt. Sed 9. Maij mortuus est Fontenæi in Pictonibus, vbi detinebatur, Carolus Borbonius Cardinalis dictus à fœderatis Carolus X. anno ætatis 67. cui Mathematici regiam dignitatem spoponderant, quam vmbratilem expertus est, sepultus in Gallionensi Monasterio Carthusianorum. Obsessa est ergo Lutetia, & statim in eam fames deseuiit: quare actum de pace, vt tempus traheretur: tandem adfuêre Parmensis & Meduanus, Rex soluere coactus est obsidionem, in cuius propemodum oculis captum Latiniacum Lagny: *prælium deposcebat Henricus, negabat Parmensis, satis gnarus tum importari vndique Parisios alimenta. Rex igitur vrbem vi noctu capere tentauit, versus Sancti Iacobi suburbium; sed cùm breuiores scalæ fuissent muris admotæ, repulsi sunt Regij, etiam à Religiosis, huius muri propugnatoribus. Parmensis ergo recessit in Belgium, vbi eo absente Ordines præualebant, eóque peruenit sub initium*

Decembris. Hispani eodem tempore in Armoricam appulerunt ad Blauetum, Octobri ineunte, euocati à Duce Mercorio, qui hanc sibi arrogare prouinciam nitebatur, contra Henricum Dumbarum Principem filium Ducis Montispenserij, qui Henrici IV. nomine administrabat hanc Prouinciam. Aliunde Dux Sabaudiæ Forum Iulij occupauit, & aliquot vrbes in Prouincia, venitque Aquas Sextias 14. *Nouembris, vsus commodè Gallicis turbis, quæ expeditio ei posteà magni stetit.* Historici Belgici, Franci, Hispani, & omnium ferè Gentium Europæarum. Sixtus V. moritur 27. Aug. annos natus 66. cùm sedisset annos 5. menses 4. dies 3. Huic positæ statuæ in Capitolio tantùm non deiectæ sunt: ideòque sancitum, ne viuentibus Pontificibus statuæ collocarentur. Statuerat si Philippus IV. obiret, vindicare sibi regnum Neapolitanum, ideò parauetat in arce S. Angeli quinquagies centena auteorum millia, id est 75. milliones librarum Turonicarum, præter opera plurima quæ Romæ struxerat, & eleemosynas, quas largè profuderat, in aliis parcissimus. De Bibliis Sixtinis agere supersedemus, quæ vberem materiam Heterodoxis suffecère, *Vita Sixti V.* Successit ei 15. Sept. anno ætatis suæ 70. Vrbanus VII. sed coronatus non est; quia diebus tantùm 13. vixit, vir à bonis multùm defletus, *Io. Rubius Societ.* IESV *de eius morte.* Electus est ergo 5. Decemb. Nicol. Sfondratus annum agens 56. dictus Gregorius XIV. & coronatus 8. eiusdem mensis, *Obierunt hoc anno in Gallia, Iacobus Cuiacius Tolosæ ætatis 68. Franciscus Hottomanus Parisiis annos natus 65. in hæresi. Itémque in eadem hæresi Sallustius Bartassius* Du Bertas, *ætatis* 46. Extra Galliam Flaminius Nobilius (qui egregiam Sextinis Bibliis Græcis nauauit operam) Lucæ, ætatis 58. Ambrosius Morales olim Dominicanus, sed eiectus ex Ordine, quod sibi virilia amputasset, maior sexagenario: Franciscus Walsinghamus Elizabethæ à Secretis Cancellarius Ordinis Periscelidis, acerrimus hostis Catholicorum, obiit in Anglia corruptis testiculis, tralatitio elatus funere, *Bibliothecarij & alij.*

Anno Christi MDXCI. Ecclipsis Lunæ contigit 9. Ianuarij, item alia Solis 10. Iulij. *Gregorius XIV. subsidium Lutetiæ obsessæ dare destinat, & militem scribi iussit, ac pecuniam suppeditari: Parisini recipere volentes S. Dionysium, cuius vici-*

nitate premebantur, cùm iam ad mediam vrbem peruenissent repulsi sunt à Dominico Vico, qui huic vrbi praerat, magnâ cæde, quâ implicitus Claudius Albamalæ Eques Hierosolymitanus. Tentauit quoque Rex astu Parisios ingredi, beneficio farinarum quas immittere simulabat: at eas & aliquot è suis perdidit, dictúsque 20. *Ianuarij*, dies farinarum; *ideóque deinceps admissi in vrbem Hispani, & Neapolitani, qui eam tuerentur, si quid in eam tentaret Henricus. Hic autem Carnutum obsedit à 9. Feb. ad 19. April. fortiter resistente Georgio Bordeserio, qui & honestissimas conditiones recepit. Fœderati tamen obtinuêre Castrum Theodori, cuius ope leuata est nonnihil fames Parisina. Iunior Guisius fugit Turonibus, vbi detinebatur, creditus emissus ab Henrico, vt eum Meduano obiiceret, aut certè eius operâ inter hunc & Patruum odia suis rebus vtilia sererentur. Tum verò extitit factio dicta* Tertiana *à Carolo Cardinali Vindocinensi, quæ regnum adiudicabat Henrico IV. si Catholicus fieret. Gregorius XIV. litteras ad Parisios scribit, quæ magnas turbas in Gallia concitarunt. Nec minùs turbarum fecit Edictum Henrici IV. pro Hugonotis. Præsules autem Galli qui erant in Comitatu Regis statuerunt ad Gregorium scribere, vt fulmina suspenderentur in Galliam, & Regis fautores parata. In Delphinatu, & Prouincia res Henrici bellè procedebant, eiecto Sabaudo ex Prouincia per Valettam atque Lesdiguierium. At Parisiis furebant Sexdecimuiri, per quos suspensus Barnabas Brissonius tum Princeps Senatus, cum Arcerio, & Tardiuio, quòd mitiùs agendum esse putarent: egerunt & de exautorando Meduano, atque vrbe Philippo II. tradenda: sed accurrens Meduanus quatuor ex iis comprehensos, gulâ fractâ suspendit ex Lupara, sicque extincta Tyrannis, dum supra modum grassaretur*, Famianus Strada, Historia Gallica. Obiit Gregorius XIV. Octobris 15. cùm sedisset mensibus 10. cum totidem diebus. Hic primus concessit vt Regulares Cardinales vterentur pileis rubris. Denegauit & inuestituram Ducatus Ferrariensis Alphonso Duci, quem in hæredem suum ipse ἄτεκνος transfundere moliebatur, iure adoptionis. Successit ei Innocentius IX. annos natus 73. eiusdem mensis 29 sed post duos menses mortuus est 30. Decembris. Obiit quoque eodem anno 12. Ianuarij Antonius Caraffa Cardinalis, factus post Sirletum à quo fuerat institutus, S. R. E. Bibliothecarius: quem fatetur Card. Baronius fuisse promotorem

motorem Annalium ſuorum : vir doctiſſimus fuit, & cuius multa proſtarent opera, niſi morte præuentus eſſet; obiit enim ætatis anno 53°. *Thomas Bozius, Victorellus, & alij.* pertinent ad hoc tempus turbæ Hiſpanicæ occaſione Antonij Pereſij, cuius habes Hiſtoriam fabulæ propiorem, *In eiuſdem Antonij relatione, & apud Marianam in Summario.* Bellum inter Turcos & Hungaros geſtum, excitatum nequitiâ Sinanis Viziris, qui obſiſtentem ſibi Muphti conuiuio exceptum veneno ſuſtulit: hoc autem bellum non facilè reſtinctum eſt, multóque ſanguine ſtetit, *Nicol. Iſthuanffius in Hiſtoria rerum Hungaricarum.*

Anno Chriſti M D X C I I. Ecclipſes duæ Lunæ contigerunt, prima 24. Iunij, altera 18. Decembris. Hippolytus Aldobrandinus eligitur Pontifex 30. Ianuarij, & dicitur Clemens VIII. annos natus 56. & 10. Febr. coronatur. *Rothomagum obſidebatur ab Henrico IV. & iam ad 3. menſem durabat obſidio, cui vrbi præerant Henricus Aguilonius Meduani filius primogenitus, & datus erat ei Vicarius Andreas Brancatius Villarſius. Vt vrbi ferret opem Parmenſis paruis itineribus veniebat, acceptis Gallicis copiis, & Pontificiis ſub Ducibus Meduano, Guiſio, & Monte Marciano. Henricus itaque relicto ad obſidionem Bironio, occurrit Parmenſi: ſed coactus eſt retrocedere etiam leuiter vulneratus 5. Febr. Rex Deppam ſe contulit ad opprimendam coniurationem; quo abſente Villarſius erumpens caſtra Regia cæde compleuit, quando & grauiter eſt vulneratus Bironius. Volebat Parmenſis vrgere Regem, negauit Meduanus, ne ille Rothomagum occuparet; & ſi præualuiſſet Parmenſis ſententia, magnam Rex accepiſſet cladem. Hic ergo receſſit in Belgium; At Rex ſtatim ad obſidionem rediit; verùm & rediit celeriter quoque Parmenſis, & Regem obſidionem penitus ſoluere compulit 20. Aprilis. Inde venit Calidobeccum* Caudebec, *vbi vulneratus in brachio, non mutauit vultum, non interrupit ſermonem. Verùm ſtatim adfuit cum nouis copiis Henricus Rex, à quo ſic preſſus eſt, vt Sequanam pontonibus noctu traiecerit 22. Maij, ſicque Regem eluſerit; ac copias ſuas integras deduxit ad Pontem S. Clodoaldi, vnde per Briam, & Campaniam & Caſtrum Theodorici in Belgium rediit; atque Atrebati 2°. Decembris obiit dum tertiam pararet in Galliam expeditionem.* Reliquit duos filios Raynutium qui ei in Ducatu ſucceſſit, & Odoardum factum Car-

dinalem à Gregorio XIV. Suffectus est autem ei in Belgij præfectura Erneſtus Auſtrius Rudolphi Cæſaris frater, Philippi conſanguineus, & interim dum adueniret, Petro Erneſto Mansfeldio, Parmenſis olim Vicario, Belgium commiſſum eſt, *Famianus Strada, & alij Belgæ, & Galli Scriptores. Craonum oppidum ad Odonem fl. ſitum dum obſidet Princeps Contius, victus eſt à Mercorio Duce 24. Maij, maiori tamen dedecore, quàm damno. Sed Antonius Ioyoſa, Annæ frater, ad oppidum Villamurium in Cadurcis ſuper Tarnim quod obſidebat à Theminio Regis præfecto 19. Octob. & victus eſt magnâ clades, & fluuio abſorptus; quare frater eius Henricus Buchagiæ Comes, qui Catharinâ vxore, ſorore Eſpernonij defunctâ, Capuccinorum habitum induerat, hunc ſuadentibus Theologis reliquit, vt arma tractaret: quod factum ipſe poſteà improbauit, reſumptâ eâdem, quam reliquerat veſte. Prætereà Armandus Bironius luſtrans oppidum Eſpernæum in Campania globo tormenti perdidit caput ineunte Auguſto annos natus 67. Denique Valetta vndecimo February, dum obſidet Arcem Rupis-Brunæ annum agens 37. interfectus eſt; cuius locum ſtatim occupans Eſpernonius frater eius minor, Ducem Sabaudum repulit, ereptis aliquot locis, quæ occuparat, dum eum quoque Leſdiguerius in ditione ſua trans-Alpes malè mulctaret. Epiſcopi Galli mittunt ad Pontificem Gondium Cardinalem, vt cum eo ageret, atque eius animum emolliret, ſed à Clemente prohibitus eſt adire Romam, redditis rationibus, quas hic eſſe falſas oſtendit: ſicque permiſſus eſt venire, Pontifice iam in eum placatiore*, Hiſtoriæ Gallicæ Scriptores, & Gondei Cardinalis Litteræ. Mortuo Tabernis Epiſcopo Argentoratenſi, Proteſtantes elegêre Io. Georgium Brandeburgicum, Catholici Carolum Lotharingum Cardinalem item Tabernis *Sauern*; ſed controuerſia ad Cæſaris Iudicium remiſſa eſt, *Chytræus Saxoniæ lib.* 29. Obiit hoc anno Ioannes III. Sueciæ Rex menſe Nouemb. annos natus 55. Hic Catholicus animum Deo reddidit, ſecretóque eiurauerat hæreſim in manibus Antonij Poſſeuini Ieſuitæ, vt ipſe teſtatur, *In refutatione Reſponſionis Chytræi, & Florimundus Remundus.*

Anno Chriſti MDXCIII. Ecclipſis Solis contigit 20. Maij, *Meduanus conuocat Regni Comitia Pariſios, quibus interfuêre Dux Feria Philippi II. Legatus, & Cardinalis Pla-*

centinus Legatus Clementis VIII. Sed antequàm vlteriùs procederetur decernitur colloquium inter Regios Catholicos, atque fœderatos, maximè operâ Gasparis Schombergij Comitis Nantolij, natione Saxonis, sed animo Galli. Eius locus assignatus Surenæ ad Sequanam, inchoatúmque primo Maij ab vtriusque partis delegatis, quorum præcipuus erat ex Regiis Archiepiscopus Bituricensis, ex fœderatis Arch. Lugdunensis, qui principio testati sunt quantùm sibi placeret hoc colloquium, in quo omnes pacem spirarent. Tum inter eos inchoata disputatio, cuius finis fuit, nihil impedire quominùs Rex agnosceretur ab omnibus nisi Religionem; quod est ad Regem à Schombergio acri oratione relatum. Hic Henricus interrogauit Ministros suos, vtrùm Catholici salui possent esse, id negare non sunt ausi; vicissim à Catholicis petiit, vtrùm Hæretici sperare possent, quod hi præcisè negauerunt; certè, inquit, si ita se res habet, Franciæ regnum meretur, vt transeam ad Catholicos, quibuscum æternam possum consequi felicitatem. Statim ergo Episcopos petiit à quibus instrueretur. Id fœderatorum pluribus valdè displicuit, maximè Philippi II. fautoribus. Cùm autem hi proposuissent eligi exterum Regem, plerique omnes reclamàrunt, & maximè Senatus Parisiensis. Propositus itaque Guisius, qui Eugeniam Claram vxorem duceret: sed id quoque consilium discussit Meduanus, veritus, ne alius meteret, quod ipse seminasset. Interim iam benè institutus Henricus per egregios Episcopos in Ecclesiæ gremium redire decreuit, & indictus dies Dominicus 25. Iulij, S. Iacobo Apostolo Maiori sacer, quo id peractum magnâ pompâ Sandionysij, coram multis Parisinis, qui eò contra prohibitionem Meduani perrexerunt. Publicè igitur eiurauit Hæresim, absolutus ab excommunicatione per Arch. Bituricensem, qui & eius confessionem priuatam audiit, interfuit Missæ, ac Vesperis, perrexit ad Montem Martyrum, vt à tota ciuitate spectaretur, reclamante Cardinali Placentino, frementibus malis fœderatis & maximè Concionatoribus in hanc conuersionem furiosè latrantibus. Statim autem induciæ promulgatæ sunt toto regno ad tres menses à 1. Augusti; misśique Romam à Rege Legati Lud. Gonzaga Dux Niuernensis, Lud. Angenius Episcopus Cenomanensis, & Lud. Seguierius S. Mariæ Parisiensis Decanus, publicato edicto Regis de sua conuersione 27. Decembr. Petrus Barrerius in vitam Henrici conspirauit: at captus Meloduni 27. Aug. fassúsque crimen in rotam fractus coniectus est pœnitens; itémque duos Sacerdotes exiis-

se Lugduno, qui idem scelus meditarentur. Legati autem Henrici non facilè admissi sunt, sed Niuernensis patientiâ suâ perrupit difficultates, & quod susceperat negotium egregiè promouit, Historiæ Gallicæ Scriptores, Litteræ Ossati Cardinalis, &c. Hispanorum fortuna declinabat in Belgio, dum Philippus II. in rem Gallicam nimis intentus esset: tum belli gerendi modus immanis inductus, qui tamen mox abolendus fuit, de non redimendis, aut permutandis captiuis, *Historiæ Belgicæ Scriptores*. In Hungaria Turci, atque Christiani variâ fortunâ pugnarunt: Sinanes Bassa belli incentor cum magnis copiis venit, & aliquot vrbes occupauit: sed maturiùs recedens ob morbos, tempus reliquit Christianis vrbes quoque capiendi, *Historia Turcica, & Hungarica*. Obiit Monachij in Bauaria Orlandus Lassus Musicus præstantissimus, qui modos ad litteram scitè accommodauit, *Bucolcerus*.

Anno Christi MDXCIV. *Mouent lapidem omnem Hispani aduersus Henricum Regem eiúsque Legatos, qui grauiter de Pontifice questi sunt: & verè Antonius Possevinus Iesuita in Regis causam visus propensior facessere Româ iussus est. Episcopus Cenomanensis prohibitus venire Romam, discedens ex Italia Venetiis scriptum euulgauit, quo refutauit rationes, quibus vtebantur Hispani, ad eludendam Henrici IV. conuersionem*, Acta huius Legationis. Legatio Alexandrina Romam missa magnificè suscepta est à Clemente quâ vnita est hæc Ecclesia Romano Pontifici, reiectis Orientalium erroribus. Hanc reuocant in dubium Heterodoxi, quasi tum Ecclesiæ Alexandrinæ non præesset Gabriel, sed Meletius hostis Romanæ Ecclesiæ: sed hæc assertio saltèm dubia est, & satiùs adhibere fidem Oratoribus missis à Sancta Sede Alexandriam, *Relatio huius Legationis*. Ad hunc annum pertinent libri qui inuenti dicuntur in *Monte Sancto* Granatæ, continentes aliqua Concilia Apostolorum, vitam & miracula S. Iacobi & alia eiusmodi commenta, quæ tum ad Clementem delata sunt contecta plumbo, & filo æneo colligata, quæ iam ab eruditis exploduntur, *Apparatus Possevini verbo*, Cæcilius. Clemens VIII. S. Hyacinthum Polonum Dominicanum in SS. numerum retulit, *Bulla Clementis. Edictum emittit Henricus IV. de sua conuersione, quo permotus Hospitalius Vitrius*

Meldensis vrbis præfectus vrbem Regi suo reddidit 11. *Ianuarij, quam mox Rex subiit. Quare Placentinus Cardinalis declarationem emittit aduersus Regem, vt Lutetiam titubantem contineret; at nihil profecit: mox enim reddita Aquæ Sextiæ, Lugdunum, Aureliæ, Biturix, & multa aliæ. Secuta est sacra Regis inauguratio facta Carnuti per huius vrbis Episcopum Nicolaum Thuanum, die Dominicâ* 27. *Februarij: oleo S. Martini Turonibus delato, inunctus est, & pro S. Marculpho, selectum fanum Sancti Clodoaldi propè Lutetiam, de qua reddenda Regi Brisacus egit: & verò eam Regi restituit, absente ad quærenda auxilia Belgica Meduano. Immissa enim in vrbem tacitè quatuor virorum selectorum millia, conniuentibus Præfecto Mercatorum, & Regionum præfectis, ingressúsque ipse Henricus Luparam, paucis Germanis resistere ausis & in Sequanam deiectis, missísque per vrbem fecialibus, qui præteritorum veniam omnibus offerrent; gratiarum quoque actio habita in æde Maiori, emissi Hispani, Itali, Belgæ præsidiarij, eodémque die Lutetia apertis tabernis plenam pacem mirata est, vt ea reddita, non hominum, sed opus Dei videretur. Reducendi Cardinalis Placentini cura commissa est Iacobo Dauitio Perronio vsque ad Montem Argeum. Ægrotans autem Cardinalis Pelleuæus, magnus Henotici fautor, his auditu conuersâ facie ad lecti spondam repentè obiit; omnia præterita abolita, scripta, decreta, magnâ omnium conspiratione. Inde aliæ vrbes primariæ exemplum secutæ sunt, Abbatisuilla cum plerisque vrbibus Picardiæ, Rothomagus cum aliquot vrbibus Normanniæ, aliæque passim: Laudunum obsessum à Rege, ineunte Augusto redditum est. Henricus* 27. *Decembris Lutetiæ percussus est cultro à nefario Adolescente Io. Castello Parisiensi, qui captus, cùm fassus esset, se quondam Iesuitarum discipulum fuisse, licèt posteà alios præceptores audiisset, periculum Patribus illis accersiit: eorum excussa domus, inuenta aliqua scripta in scrinio P. Guignardi, ei suspendium accersiêre, atrociter, vti promeruerat, mulctatus est Castellus, eius diruta domus, cuius loco erecta pyramis additis versibus infamibus aduersus Iesuitas, qui quòd inuidiâ flagrarent apud plerosque, innocentes licet, eiecti sunt regno, iussu Senatus Parisiensis; seruati tamen Tholosæ, & Burdegalæ. Hi in Lotharingiam transiêre, vnde posteà sic reuocati sunt à Rege, & tantâ amoris significatione, vt facilè omnium præteritorum obliuiscerentur,* Historiæ Gallicæ, & Annuæ litteræ Iesuitarum. Mansfeldius

cum copiis deletus est ad Crespiacum. In partes Regis transiit Guisius cum fratribus, benignè suscepti mense Nouembri. Ernestus Austrius Ordines inuitauit Scripto ad pacem, quam illi libello virulento reiecerunt: & verò Mauritius mense Iulio Groningam occupauit post acrem 2. mensium oppugnationem, atque in ea Catholicam Religionem penitus extinxit, *Historiæ Belgicæ Scriptores*. Scotia quoque de more turbata fuit initâ aduersus Regem conspiratione: cuius etiam suspicio in Ernestum (sed ab Hæreticis) deriuata fuit; certior quæ facta est à Comite Bothueliæ, irrito tamen conatu: liber quoque scriptus in hunc Regem, nomine Dolmani Sacerdotis, multorum, vti creditum est, opus, quo asserebatur Regnum Angliæ pertinere ad Regem Hispaniæ. Ferunt & factam coniurationem in Elizabetham ferro, & veneno; sed quænam Hæreticis hæc assetentubus fides? inde tamen excitata persecutio in Scotiæ Catholicos, *Cambdenus in Elizabetha*. Iauarinum, olim Arrabo, captum à Turcis: verùm Matthias Rudolphi Imp. frater vicissim Nouigradum cepit; Strigonium obsedit mense Maio, vrbem veterem cepit, & arcem Sancti Thomæ, nouam non potuit, immò se recepit, aduenientе Sinane cum ingentibus copiis. Item Maximilianus frater Matthiæ aliquot loca in Illyrico recepit, *Nicol. Isthuanffius lib. 28. rerum Hungaricarum*. Sigismundus Bathorius Vayuoda Transyluaniæ, recedit à Turcis, & Rudolpho se adiungit, à quo Transyluaniam, & partem Hungariæ vicinam, atque Moldauiam pleno iure recepit, *Idem Isthuanffius*. Obière, Guil. Alanus, Lanclastriensis & Anglus Cardinalis nuncupatus, maximus hostis Anglorum Hæreticorum, in quem hi multa confinxêre: Romæ autem mortuus est ætatis anno 66. 16. Octobris: *Claudius item Puteanus Senator Parisiensis, vir doctissimus, Parisiis, propè quinquagenarius* 10. Decemb. Denique 2. Nouembris Gerardus Mercator Duisburgi Cliuiæ, discipulus Gemmæ Frisij, à quibus Geographia est illustrata, sed à Gerardo maximè, vt eius opera significant, *Bibliothecarij*.

Anno Christi MDXCV. Duæ Ecclipses Lunæ contigerunt; prima 23. Aprilis, altera 17. Octobris; itémque Ecclipsis Solis 3. Octobris. Amurathes III. Turcorum

Imperator obiit ex calculo, die Lunæ 18. Ianuarij, annos natus 48. cùm regnasset annis 20. mense vno, & diebus quatuor. Humanior erat, quàm Turcæ solent esse, & præcipuè lectione Historiarum delectabatur; diu vnâ vxore contentus vixit, nec nisi matre impellente plures cognouit. Successit ei filius Mahometes III. qui vnum & viginti fratres suos occidit, *Historia Turcica. Henricus IV. bellum Hispanis denunciat, atque initio Iunij pugnam commisit ad Fontem-Francicum, cum Marchione Vilario Meduani præuigno, in quo Bironius & Vilarius vulnerati sunt; vicit tamen Henrici fortuna, non tamen sine periculo, & si Velascus Castellæ Comes-Stabuli, & Præfectus Mediolanensis integras copias Meduano concedere voluisset, periculum certissimum vitæ, aut libertatis Rex adibat. Aliunde Comes Fontanus Gusmanus Belgium post Ernesti Austrij mortem administrans, Castelletum in limite cepit deditione: obsedit & Dulendium*, Dourlens, *& venientem in huius vrbis auxilium Comitem Sancti Pauli Picardiæ Præfectum, cum Bullionio Polemarcho, & Vilarsio Admiralio deleuit, fugâ elapso Bullonio, capto ac posteà cæso Vilarsio; sic occupatum Dulendium, operâ maxime Ronæi Mareschalli Henotici (sicut & posteà Cameracum) in quo cæsi 500. Nobiles & præsidiarij, in vindictam Hamensis expugnationis, in qua omnes Hispani cæsi fuerant. Inde obsessum Cameracum in ditione Io. Monlucij Balagnij, Atrebatibus & Hannoniis, atque Arch. Barlemontio pecunias sufficientibus, 13. Augusti. Jn vrbem irrepsêre Carolus Retelensis filius Ducis Niuernensis, & Dominicus Vicus; sed Balagnius tanto flagrabat odio ob rapinas, vt vrbs à ciuibus Hispanis dedita sit. Fugit ille in arcem cum Francis, at tam imparatam Balagnij negligentiâ, vt hæc 9. Octob. sese dedere coacta sit. Henricus autem obsedit Faram datam Parmensi, cuius obsidio tenuit ad Maium anni sequentis. Mittitur Romam Iacobus Dauitius Perronius, qui eò appulit 12. Iulij; hic communicatis cum Ossato consiliis, sed adnitente maximè Francisco Toleto Iesuitâ Hispano licèt, & Cæsare Baronio, qui a Confessionibus erat Clementis, atque à S. Philippo Nereo ad id impulsus erat, absolutus est publicè denuò Henricus IV. atque Ecclesiæ restitutus, propositis acceptisque 16. conditionibus, cuius diei celebritatem Roma vniuersa publicis gaudiis maximam effecit; quare gratias egit quàm magnas potuit Clementi Henricus*, Litteræ Ossati, at-

que Perronij, & omnes Franci Scriptores, *Mortuus est demum hoc anno Antonius Nothus qui Lusitanum Sceptrum sibi arrogarat, Lutetiæ 26. Augusti, ætatis anno 64. vitam agens infelicem, relictis duobus filiis, quibus testamento reliquit ius ad regnum Lusitaniæ, moriens etiam pauper ambitiosus*, Historiæ Gallicæ Scriptores. Obiit felicius 26. Maij, S. Philippus Nerius octogenarius, sed adhuc meritis, quàm annis grauior, *Antonius Gallonius in eius vita.* Bellum Turcicum fortiter gessit Carolus Mansfeldius, & Strigonium obsedit, ac Turcos opem ferentes magnâ deleuit strage 14. millibus cæsis, aut captis 4. Augusti, sed morbo ex labore contracto obiit 14. Augusti. Successit ei Matthias cui se Strigonium dedidit 2. Sept. cepit exinde Wisegradum, vbi corona olim Hungarica sacra seruabatur; & si tentasset Budam, sine dubio occupasset, *Diaria Synopseos Arnoldi Helij Flandri, à Secretis Mansfeldio, in Collectione Reusneri.* Sigismundus Bathorius Aaraone Moldauo exautorato eiúsque loco Stephano Resuano substituto, cum Michaële Valachiæ Transalpinæ Principe, multa loca Turcis eripuit, & Sinanem Vizirem cum ingenti exercitu victum turpiter redire compulit, partem eius exercitus cæcidit ad Gergionem seu S. Georgium, quam arcem occupauit, iam à centum annis per Turcos occupatam; quare Sinanes Bassa redux Constantinopolim ex mœrore interiit, *Narratio Io. Iacobini Claudiopolitani, & Balthazaris Walteri.* Petrus Toletanus vt vlcisceretur direptiones Amurati Raisij Piratæ in Italia excurrit in Achaiam, vbi Patras cepit, cùm nundinæ in hac vrbe celebrarentur, eámque diripuit & incendit, ciuibus & mercatoribus abductis, Cicadâ Bassâ non se commouere auso, ne cladem adderet cladi, *Campana in vita Philippi.* Albertus Austrius Cardinalis, & Archiepisc. Toletanus Prorex Lusitaniæ missus à Philippo II. vt Belgium administraret post obitum Ernesti Austrij, secum deduxit Ducem Philippum Guil. olim Guil. Principis Arausicani filium, aliàs abductum in Hispaniam, factúmque Catholicum, venítque Bruxellas anno insequenti, exeunte Ianuario, *Belgicæ Historiæ Scriptores.* Obière hoc anno Leuinus Torrentius Episcopus Antuerpiæ septuagenario maior 26. Aprilis: & eodem die Romæ Torquatus Tassus anno

no ætatis 45. nonnunquam melancholico furore & morbo correptus, vir excellentis ingenij & Poëtarum Italorum Princeps, qui Hierosolymam liberatam à Godefrido Bullionio cecinit, & multa alia oratione solutâ & strictâ scripsit, *Bibliothecarij.*

Anno Christi M D X C V I. Ecclipsis Lunæ contigit 12. Aprilis. Sigismundus Bathorius Princeps Transyluaniæ Cæsarem Rudolphum adit, & Pragam venit ineunte Februario, vbi grauiter laborauit ex pustulis; & promissum est faciliùs ei auxilium, quàm datum; insinuauit & Cæsari mutationem Transyluaniæ, & cum vxore diuortium, sed neutrum tunc Imperatori placuit, rediítque sic Sigismundus ad sua his turbatis consulturus, *Isthuanffius lib.* 30. Obsedit inde Temesuariam, sed irrito conatu, Tartaris ad eius auxilium & Turcis accurrentibus, quibuscum dubio marte pugnauit, & abire compulsus, quia non satis adiutus fuit à Rudolpho. Maximilianus quoque Vaciam cepit, & Hathuanam vrbem, vbi atrociter sæuitum, cùm non inueniretur, qui huic præfici vellet, cremata est. Mahometes ipse suscipit expeditionem, vt rem suam restitueret 20. Iunij, & primò Agriam oppugnat mense Septembri, sæpè olim sub Solimano tentatam, & quæ ei dedita est 12. Octobris, propugnatoribus violata fides, ob cædem Hathuaniensem, sed Mahometes Prætoriarum Ducem in frusta conscindi iussit, quòd huic malo non prouidisset. Tum Turcis occurrit Maximilianus iunctis cum Sigismundo copiis, & aggressus Turcos ad Kerestium seu Crestosium, vt loquuntur Turcæ, ad Agriam eos deuicit, 26. Octob. Sed cùm Germani conuersi essent ad prædam, Assanes Cicala Bassa Calaber, postremum ducens agmen in turbatos Christianos irruit, ac deuicit, tam in campo, quàm in castris, 12. eorum millibus cæsis. Fugêre Maximilianus & Sigismundus, Tiffenbachius restitit, ac castra repetiit (Turcis etiam de sua victoria attonitis) & tam multi fugitiui ad eos accessère, vt vinci potuerint Turcæ, verùm Christianis Duces, & animus defuêre, tacitè ergo quisque combustis castris in sua rediit. In hac expeditione tamen victi 20. millia, victores sexaginta millia perdidêre. Cicala factus est Vizirus etiam renitens, deiecto Ibraimo, qui tamen

matris rogatu restitutus est, & Cicala Arzirumum in fines Persidis ablegatus; reuocatúsque post biennium maris Imperium accepit, *Isthuanffius,& Turcica Historia. In Gallia Meduanus reconciliatur Regi honestissimus conditionibus mense Ianuario: Nemorosius item & Ioyosa, hic factus Mareschallus, & Torque Sancti Spiritus donatus, ille præsidia multa retinuit in Aruernis, Segusianis, & Velaunis. Massilia quoque Regi seruata per Petrum Libertatum origine Corsum, Casalio cæso, qui Tyrannum agens in vrbe, eam Hispanis dare conabatur, Carolo Auriâ iam in Portu cum aliquot triremibus recepto; sed eâ potitus est Guisius 17. Februarij, Auria fugere compulsus est. Aliunde captum Calisium ab Alberto Cardinali Austrio operâ Ronæi, ad quod appulit 9. Aprilis, eo potitus 25°. eiusdem mensis. Capta quoque Ardra eiusdem Ronæi ductu 23. Maij, quam dedidit Belinius, cæso Monlucio, Anneburgo repugnante. Ferunt hunc Ronæum ad partes Regis venire potuisse, si huic data essent 20. Aureorum millia, ad expedienda sua nomina Bruxellis: sed præcipua causa tot cladium fuit malitiosa Elizabetha, quæ suis promissis defuit; cum qua tamen inire fœdus Rex compulsus est, rebus suis nondum in Francia satis firmatis. Henrico se Fara dedidit 22. Maij & Ronæus in obsidione Hulstij cæsus est, mense Augusto*, Historiæ Gallicæ Scriptores, & maximè vitæ Henrici IV. Angli missâ classe Gades capiunt, atque diripiunt, & prædæ quàm honoris ditiores redeunt; Philippi II. classis nauigans in Hiberniam fœdâ tempestate excepta est, & pauca subsidia intulit Hugoni Comiti Tirænio Catholico, qui tumultus iam ab aliquot annis in Hibernia fouebat, verùm vnde Catholici parum fructus collegêre, *Cambdenus, Mariana. Susceptus est magnificè Parisiis Cardinalis Mediceus, dictus & Florentinus: Rexque misit Romam Franciscum Lucemburgium Pinei Ducem, qui obedientiam Clementi VIII. præstaret*, Historia Gallica, & Card. Ossati Litteræ. Mortuus est Romæ ætatis anno 74°. 14°. Sept. Franciscus Toletus Cardinalis Iesuita Toletanus, vir vsquequaque doctus, quem ægrotantem inuisit ipse Clemens, eiúsque frontem exosculatus est; *Huic in primaria æde Parisiis Henricus IV. vti filius Franciæ parentari voluit, vt ei gratiam rependeret nauatæ operæ in sua reconciliatione*, Bibliothecarij, Annuæ litteræ Societ. Tentata fuit à Batauis per Septentrionem in Indias Nauigatio, in qua cum vrsis al-

bis congredi coacti sunt : hæsit nauis in glacie à mense Sept. ad Iunium , non vidêre solem ab initio Nouembris propè ad finem Ianuarij , redière tantùm viri 12. *Gerardus Veerus testis αὐτόπτης.*

Anno Christi MDXCVII. Mauritius insignem retulit victoriam de copiis Alberti Cardinalis, cæso etiam earum duce Varassio , *Historiæ Belgicæ Scriptores. Occupatum quoque à Ferdinando Tellio Portocarrero, Dulendij præfecto, Ambianum , inepto stratagemate , sed quòd ei nobilem vrbem , diuitem , & populosam tradidit, vndecimo Martij, tempore Quadragesimæ, ciuibus afflictis peste & concionem audientibus : Statim Henricus Rex Corbeiam venit* 4. *ab Ambiano leucis , & per Mareschallùm Bironium vrbem circumcinxit. In eius propugnatione Portocarrerus* 3. *Sept. cæsus dum vigilias lustrat ; cæsus quoque ex obsidentibus Franciscus Spineus Saulucius, summus rei tormentariæ præfectus. Albertus autem Cardinalis cum Duce Albamalæ, Principe Aurangio , & magnis copiis in vrbis auxilium venit, in eam sine dubio irrupturus nisi tergiuersatus esset ; Verùm diligentiâ, & stratagemate Meduani malè multatus ,turpiter recessit. Sic redditum Ambianum* 25. *Sept. à Montenegrio , multâ prædâ inde elatâ ; Dominicus Vicus vrbi , & arci hic statuendæ præpositus, gloriosiùs vrbs recepta , quàm ab Hispanis occupata fuit.* Inde etiam de pace agi cœptum quam & Philippus optabat, & magis Albertus, ducturus vxorem Isabellam cum dote Prouinciarum Belgicarum , *nec abnuebat Henricus volens Regno suo satis turbato prospicere* , cuius pacis fundamenta iecit Bonauentura à Caltagirone Siculus Minister Generalis Minorum , vir ad eam aptissimus, *Historiæ Henrici Magni.* Carolus Dux Sudermaniæ Patruus Sigismundi Regis Poloniæ, atque Sueciæ, Lutheranus, à nepote præfectus constitutus Sueciæ, præfecturam quam ab eo acceperat deposuit, vt eam tantùm ab Ordinibus acciperet. Statim Arbogiam Comitia conuocat, ad quæ multi ire recusarunt, sed maior multitudo præualuit , in iisque statutum vt vna Religio Augustana in Suecia seruaretur , vocaretur Sigismundus ad sedandos tumultus, interim Prorex Carolus agnosceretur, qui mox à nobilitate & Prouincialibus sacramentum exegit, & Holmiam Regni caput occupauit, *Cythræus.* Alphonsus II. Dux Ferrariæ 27. Octobris obiit annos na-

tus ſexaginta quatuor, Princeps bello, ac pace clarus. Is cùm liberis careret Cæſarem Eſtenſem agnatum ſuum, licèt nothum, teſtamento ſuo reliquit hæredem; & hic quidem creatus eſt Dux Mutinæ, Regij-Lepidi, atque Carporum, quoniam id pendebat ab Imperatore: ſed Ducatum Ferrariæ Alphonſus à Pontificibus impetrare non potuerat ſuo ſucceſſori. Hunc tamen Cæſar retinere voluit, etiam inuito Pontifice, & ſe inaugurandum curauit, implorato Principum auxilio. Verùm Clemens in eum copias colligit, atque in eum patat expeditionem. Cæſar quoque repugnare cogitat; verùm cùm videt Pontificem, nihil de prima voluntate remittere, ſe fulminibus ſacris afflatum, & iam copias Pontificias Fauentiam duce Aldobrandino acceſſiſſe, ibidem cum Aldobrandino pacem iniit vndecimo Ianuarij anni proximi, ſatis bonis conditionibus, niſi quòd Ferrariam reddidit, quam ſubiit Aldobrandinus, *Cardinalis Oſſatus, Maurocenus, vita Clementis VIII. &c.* In Hungaria nihil admodum geſtum inter Turcos, atque Chriſtianos, dum ſeſe inuicem reformidant, nec Turcæ quid poſſent oſtenderent, tumultibus occupati domeſticis, diſcordiâ inter Baſſas, & Saniacos, & Ianizzarorum rebellione. Sigiſmundus quoque Bathorius deſtruxit pontem impoſitum Sauo ad Albam Græcam, & Temeſuariam rurſum obſedit, ſed hiemis aſperitate recedere coactus. Tum quoque egiſſe cum Cæſare dicitur, de permutanda ſua Tranſyluania cum Ducatu Oppelitano, & vxore ſua dimittenda, *Iſthuanffius lib.* 30. Anglica claſſis nauigat in Hiſpaniam, Hiſpana in Angliam, verùm tempeſtatibus ita vexatæ, vt numquam committere prælium potuerint; Angli acceſsêre ad Açoras Inſulas, & prædæ aliquid fecerunt, at claſſem Indicam numquam videre potuerunt, quæ ſalua & incolumis appulit in Hiſpaniam, *Mariana, Cambdenus in Elizabetha.* Obiit Romæ 22. Iulij ætatis anno 15. Gabriel Palæottus, *Victorellus in additionibus ad Ciacconium, & alij.* Item ibidem exeunte Octobri Aldus Manutius quinquagenario maior, Pauli filius, Aldi nepos, alterius Aldi pronepos, qui omnes de re litteraria benè meriti ſunt, omnes doctiſſimi: *Denique Semurij in agro Auxenſi* en Auxois *Burgundiæ, Gilbertus Genebrardus, in turbis Henoticis fa-*

ctus Archiepiscopus Aquensis, quo tamen spoliatus fuit, quoniam non accesserat autoritas Regis: immò & Læzæ Maiestatis postulatus, minùs dignus eâ fortunâ propter singularem eruditionem, Bibliothecarij, & Historia Gallica.

Anno Christi M D X C V I I I. Ecclipsis Solis contigit 6. Martij, Clemens VIII. reliquit Vrbem 13. Aprilis, ac primò ædem B. Virginis Lauretanæ inuisit; inde perrexit Anconam, exinde Ferrariam, in quam vrbem ingressus est 8. Maij, & in qua substitit ad finem Nouembris, ibíque multa edidit, liberalitatis, humanitatis, pietatis exempla; nec rediit Romam nisi 20. Decembris, *Angelus Rocca Apostolici Sacrarij præfectus, libello de hoc itinere edito. Conueniunt Legati Henrici IV. & Philippi II. Feciales Veruinum vt de pace agerent, & colloquio toti quatuor impensi menses. Quo tempore Rex in Armoricam cum copiis processit, & Mercorium ad eas conditiones compulit, quibus anteà potuit longè meliores obtinere; vnde de eo verè dictum, quod de Meduano ipse dixerat, neque nouisse bellum facere, neque pacem. Obtinuit tamen præteritorum veniam, sed eâ lege vt eius vnica filia nuberet Cæsari filio Regis ex Gabriele Estræa, Regis amica, creato eodem Cæsare Duce Vindocinensi, ac Franciæ pari. Anglam quoque Elizabetham & Batauos rogauit vtrùm fœderi vellent comprehendi, quod recusauêre, suis tantùm rebus intenti: Rex tum pacem necessariam ducebat, vt Regnum componeret, atque Hugonotos comprimeret, qui de more ad res nouas spectabant: in quorum tamen fauorem Edictum Namnetense emisit, mense Aprili, quod quidem hoc anno promulgatum non fuit, & quandiu Legatus Pontificius hæsit in Gallia. Pax ergo Veruini conclusa fuit 2. Maij 38. articulis comprehensa, iuratáque à Rege Parisiis 21. Iunij die Dominico magnâ pompâ; à Philippo II. 12. Iulij, à Duce Sabaudiæ 2. Augusti,* Tractatus pacis Veruinensis. *Senatus Parisiensis Iesuitas vexare pergit, iubet Iusto Turnonij Domino, vt illos eiiciat, & pœnas renouat aduersus eos, qui in eorum Gymnasiis studerent; Verùm Senatus Tholosanus in cuius Iurisdictione Turnonium situm est, vetuit Iusto parere huic edicto: quæ noua Senatus Parisini sententia plurimùm Clementi displicuit, & Henrico consentiente selectus Laurentius Magius Venetus qui Iesuitas Gallos inuiseret, eorúmque reliquas domos lustraret; sic suspensa fuit Senatus intempestiua sententia; atque inde ex Regis optimi sapientia*

innocentes exules sperare cœperunt. Cardinalis Offatus in litteris, & Annuæ litteræ Societatis. *Paulò pòst Rex in periculosum incidit morbum; sed vt acutum, sic etiam breuem*, Vita Henrici Magni multiplex. Philippus autem II. obiit 13. Septemb. die Dominico ætatis anno 71. cum quatuor mensibus, in Monasterio S. Laurentij Escurialis 7. à Madrito leucis, pediculis arrosus ex toto corpore scaturientibus, adiutus à Garsia Loaisa Philippi III. præceptore, & tum Archiep. Toletano: vir sine dubio Magnus, quem nec fregêre clades, nec extulêre victoriæ. Quod fecerat de Regno Nauarræ restituendo Carolus V. fecit & Philippus II. filius, fiétque ita deinceps; quia non facilè partum quouis modo regnum deseritur. Successit Patri Philippus III. annorum 20. Prouinciæ tamen Belgicæ sunt relictæ filiæ Eugeniæ Claræ, quam Albertus Austrius ducere debebat. Philippus autem III. vxorem habere statuit Margaritam Austriacam, Caroli defuncti Archiducis filiam; sicut & Albertus Austrius perrexit ad B. Virginis Hallensis templum, ibíque Cardinalis cultum deposuit, remisítque ad Pontificem galerum per Archiep. Bisuntinum, & perrexit in Germaniam Margaritam excepturus. Reperit porrò hanc cum matre, & illustri comitatu Oeniponti, indéque per Tridentum & Mantuam, peruenit ad Clementem Ferrariam die Veneris 13. Nouembris. Suscepti omnes magnificè, turbauit tamen pompam abscedens cum nobilitate Ferdinandus Velasquez Comes-Stabuli Castiliæ, & Prorex Mediolanensis, quòd ei cedere Cardinales noluissent. Dominicâ sequenti Clemens vtrumque Matrimonium iunxit inter Philippum III. absentem per Procuratorem, & Margaritam præsentem, & Albertum præsentem ac Isabellam absentem item per Procuratorem. Inde peruenêre Mediolanum, vltimo Nouembris hîc traducturi hiemem, Clemens ipse Romam repetiit, *Cardinalis Offatus.* Decembris 23. Romæ sic Tiberis intumuit, vt die Natalis Domini tota penè aquis vrbs obruta sit: ea eluuies maxima fuit, in qua mille quingenti & ampliùs homines periêre, multæ dirutæ domus, aut concussæ, quando eluxit summa Clementis charitas, vt afflictis succurreret, sicut & nepotis Cardinalis Aldobrandini, *Cardinalis Offatus, & vita Clementis VIII.*

Iauarinum in Hungaria interceptum per Valberalium nobilem Gallum Campanum, admoto ad portam excussorio tormento, le Petard, *Turcis tum incognito; pugnatum tamen hîc fuit atrocissimè, cæsi ex Christianis 500. ex Turcis mille sexcenti, 300. capti, Gallorum virtus toto orbe celebrata est.* Cepit & aliqua loca Schuuartzeniburgius, immò & Budam obsedit, sed captâ vrbe inferiore, ob frigora recedere compulsus est, sicuti & Turcæ Varadinum obsidentes. Sigismundus Bathorius relinquit suam Transyluaniam Rudolpho Imperatori, initio Aprilis vocatis suorum Comitiis, peruenítque in Silesiam, vbi acceperat Ducatum Oppellensem & Ratisboriensem mense Iunio. Sed eam deserens mense Augusto cum duobus Comitibus repetit Claudiopolim. Hîcque mutato deinde consilio statuit Transyluaniam in Andream Bathorium Cardinalem transfetre, quem ex Prussia vbi erat Varmiensis Episcopus euocauit, qui eò fugerat, ob susceptas cum Sigismundo inimicitias, quibus etiam frater eius Baltazar supplicio præcipitato sublatus fuerat ante annos quinque. Hic autem venit in Transyluaniam, & consilia cum leuissimo fratre ipse leuitate non impar cœpit agitare, *Isthuanffius in Historia Pannonica.* Sigismundus Poloniæ Rex confisus amicis, nauigauit cum paucis copiis in Sueciam mense Maio, vbi artibus patrui sui delusus, & tantùm non ab eo oppressus maioribus copiis Bedanum recedere compulsus est, ac deinceps in Comitiis regnum abrogatum Sigismundo, cum extirpatione fidei Catholicæ, *Historiæ Sueciæ, atque Poloniæ.* Apud Moschos mortuo Duce Theodoro 6. Ianuarij sine liberis, ætatis anno 36°. Imperij 14°. miris artibus ei successit Borisius Phedotonitz Godunow mense Maio, Reginæ Gerniæ frater, cui tempore multùm deinceps negotij exhibuit frater, seu veriùs creditus frater Demetrius, quem ille interficiendum curauerat, *Moschorum Historia.* Obiêre hoc anno Benedictus Arias Montanus Bibliorum Philippi II. Polyglottorum curator, Antuerpiæ, 6. Iulij ætatis anno 70. Thomas Stapletonius Anglus, vir doctissimus, Louanij 12. Octob. annos natus 63. Denique Antuerpiæ Abrahamus Ottelius nobilis Geographus 29. Iunij, anno ætatis 71. cui hæc scientia plurimùm debet, *Bibliothecarij.*

Anno Christi M D I C. Contigêre duæ Ecclipses Lunæ, prima 9. Febr. altera 6. Augusti; Itémque Solis 22. Iulij. Sigismundus Bathorius, in Comitiis Transyluaniæ Principatum suum transfert in Andream Bathorium Cardinalem, ipse recedit in Poloniam ad Zamolscium Cancellarium, & exercitnum summum Imperatorem, affinem suum. Sed Andream statim inuasit Georgius Basta, superioris Pannoniæ Rector nomine Cæsaris, cui suas copias coniunxit Michaël Vayuoda Valachiæ Transalpinæ, sperans à Cæsare Transyluaniæ administrationem. Pugnarunt hi in campis Cibiniensibus 28. Octobris; victus Andreas fugit, & tertio pòst die post multos errores, dirámque famem toleratam inuentus, & cæsus est. Michaël frustratus expectatione suâ, & ingratum Cæsarem clamitans, nouos concitauit motus, *Isthuanffius in Pannonica Historia.* Cæsus Cardinalis Andreas magnos tumultus excitauit Romæ, eius cædes diligenter excussa: Cardinales creauit 12. Clemens VIII. 3. Martij, inter quos *Ossatus, qui egregiam Henrico IV. nauarat operam.* Robertus Bellarminus Societatis IESV, vir nunquam satis laudatus, *& Franciscus Scoblæus Surdisius*, & alij, *Ossatus Epistola 99.* Actum quoque diligenrer de Matrimonio Sigismundi Bathorij cum Maria Austriaca, quod ille abrumpi postulabat, nec refugiebat illa, tandem dissolutum est re diligenter Romæ & in partibus excusâ, *Ossatus Epistola 180.* Pax inter Christianos & Turcos tractata, in Insula inter Budam Turcorum, & Strigouiam Christianorum, sed irrito conatu, neutris satis æquas conditiones offerentibus & admittentibus, *Isthuanffius.* Actum quoque Constantinopoli de diruendo Christi Domini Sepulchro Hierosolymis, Mauro quodam Hispano impellente; sed hoc negotium discussum est per Legatos Henrici IV. atque Venetorum, *Maurocenus Historiæ Venetæ lib. 15.* Albertus & Isabella nuptiis Valentiæ celebratis soluunt ex Hispania Iulio mense, & felici nauigatione appellunt Gennam, vnde superatis Alpibus per Burgundiæ Comitatum, & Lucemburgensem Ducatum ineunte Augusto veniunt in Brabantiam, ambóque inaugurati Louanij die 25. Nouembris, salutatíque à Iusto Lipsio, quem interpretantem Plinij Panegyricum Principes audire voluerunt, *Historiæ Bel-*

gicæ Scriptores. Henricus Lotharingus Dux Barrensis, filius Caroli Ducis Lotharingiæ duxit vxorem Catharinam Henrici IV. sororem, sed sine vlla dispensatione tertij à quarto, gradus, atque etiam Hæreseos, quam illa profitebatur; quare non potuit posthac obtineri nisi agrè hæc dispensatio, Historiæ Gallicæ, & vitæ Henrici IV. Scriptores. *Henricus Ioyosa habitum Capucinorum quem exuerat vt arma indueret, resumpsit Lutetiæ mense Martio, ibique concionatus ignarus licèt, sed Dei animatus spiritu mirabiles motus in animis effecit*, Annales Capucinorum, & eius vita. *Edictum Nannetense in fauorem Hugonotorum ab Henrico IV. emissum, & nondum promulgatum erat, cui se opponebat Senatus Parisiensis, post multas demum iussiones, atque iteratos monitus & reiectos, publicatum est 25. Februarij, quod ingratissimum accidit Pontifici*, Ossatus Epistola 163. Historia Gallica. *Disceptatum Romæ coram Clemente de Marchionatu Salutiarum, & cùm controuersia componenda esset, astu Sabaudi tractatus iste euanuit, Clemente arbitrio se abdicante, quòd eius integritas in dubium reuocaretur, quasi Rex eum vni ex nepotibus Pontificis collaturus esset*, Ossatus Epistolis 163. 164. 168. 173. 181. *Actum quoque Romæ de Matrimonio Henrici IV. cum Margarita Valesia; idque negotium commissum Cardinalibus quibusdam, qui re vtrimque accuratè discussâ Matrimonium inualidum esse pronunciarunt, libertate vtrique parti factâ de aliis nuptiis*, Ossati variæ Epistolæ. *Cogitabat Rex ducere Gabrielem Estræam Bellefortij Ducissam, amicam carissimam, ex qua iam duos liberos susceperat, Cæsarem quinquennem, & Alexandrum anniculum; at illa Lutetiæ 10. Aprilis manè Sabbati Sancti, partui proxima, violentis Apoplexiæ paroxysmis tentata est, adeò vt eius facies lurida ac deformis in tergum conuerteretur. Eâ visâ Henricus ad se rediit, & in hac morte Dei manum agnouit, Franciæ consulentis; otiosi homines multa de hac morte confinxêre*, Vita Henrici IV. à multis conscripta.

Anno Christi M DC. Ecclipsis Solis contigit 10. Iulij; Itémque Lunæ 30. Ianuarij. Celebratum Iubileum Romæ magno concursu; certè excepti sunt hospitio ex notis Ministrorum Hospitalis Trinitatis vtriúsque sexus hominum quingenta millia, *Atque ex Gallis trecenta millia, magnâ Clementis voluptate, qui sic intellexit, quàm tunc esset Catholica Gallia inter tumultus Hæreticorum.* Venit inter alios incognitus

Dux Bauariæ, Duces Parmensis, atque Barrensis, Andreas Cardinalis Austrius, qui hîc mortuus est, & in cuius cubiculo Clemens Missam celebrauit. Affuerunt & Turcæ ex quibus aliqui sacris aquis eluti sunt; & Hæretici plures ex quibus Fridericus Dux Wirtembergensis, quorum plerique animaduersâ Clementis pietate, charitate, demissione, bonis operibus rediêre in Ecclesiæ Catholicæ sinum, omnes opinionem exuerunt, quam sparserunt Lutherus & Caluinus, aliæque eiusdemmodi pestes, Papam esse Antichristum, *Augustinus Valerius Venetus, Petrus Matthæus, Victorellus. Dux Barrensis cum Alincurtio Romam venit tempore Iubilei, vt dispensationem obtineret Matrimonij sui initi cum Catharina Henrici IV. Sorore Hæreticâ & consanguineâ suâ, absolutionem quidem obtinuit ab excommunicatione ne fructu Iubilei priuaretur; sed controuersia Matrimonij tribus annis agitata est, & non nisi ægrè terminata, datâ facultate iterum contrahendi legitimè, & Catharinâ promittente, se audituram qui eam instruerent, & eâ lege vt liberi ex hoc Matrimonio orti, in fide Catholica ab Auo nutrirentur; sed qui afferebat hunc lætum nuncium, & tandiu expetitum, & à tam multis, inuenit illam mortuam in hæresi 13. Februarij anni 1603.* Epistolæ plures Card. Ossati. *Nuptiæ quoque Mariæ Mediceæ Filiæ Francisci olim Ducis Etruriæ, & quæ tum à Patruo Ferdinando eius successore seruabatur, celebratæ sunt 5. Octobris Florentiæ, à Cardinale Aldobrandino Clementis nepote. Soluit hæc Florentiâ 13. Octob. Massiliam appulit 3. Nouembris, & Lugdunum delata est 2. Decembris, vbi Matrimonium celebratum & consummatum est, cum magna pompa, Henrico IV. ex Sabaudia accurrente; atque intra 9. menses natus Delphinus, Galliam magno gaudio cumulauit*, Vita Henrici IV. *Tum actum est de Marchionatu Salussiarum Lugduni, quò Dux Sabaudus venerat, & ab eo petebatur Bressia, quam dare pollicitus est Regi, aut Marchionatum; sed posteà à pactis resiliit. Eo tempore Bironius vir fortissimus, & omnia sibi arrogans, & ingratum Henricum IV. appellans, corruptus est à Iacobo Lafinio nobili Burgundo, spe nuptiarum filiæ, & promissorum à Rege Hispaniæ. Rex ergo Bressiam occupat per eundem Bironium, Sabaudiam per Lesdiguerium; neque se commouebat Sabaudus expectans auxilium Hispanicum à Comite Fontano, & turbas Gallicas à Bironio; cùm neutrum videret, submisit sese Re-*

gis voluntati, deditque ipsi Breſſiam cum præfectura Gexenſi, ſed hic reſeruauit ſibi Marchionatum Saluſſiarum, pace honorificâ ſibi, Henrico perutili, qui ab hoc tempore duntaxat ad Regnum ordinandum incubuit, Gardinalis Oſſati Litteræ variæ. *Iacobum Dauitium Perronium Epiſcopum Ebroicenſem eruditiſſimum prouocauit ad diſputationem Philippus Mornæus Pleſſius Marlius, quòd ille dixiſſet ſe in huius libro de Miſſæ abuſibus, quingenta & ampliùs loca malè citata ex Patribus notaſſe; & Pleſſius petierat à Rege, vt ſibi Epiſcopus de hac calumnia ſatisfaceret. Cùm demonſtraturum ſe quingentos iſtos errores recepiſſet Epiſcopus, apud Fontem Bellaqueum, vbi Rex reficiebat ſeſe, ab vtraque parte ſelecti ſunt Iudices, ab Epiſcopo Auguſtus Thuanus Præſes, Franciſcus Pithæus Cauſidicus, & Nicol. Faber Condæi Præceptor, ſed quòd adeſſe non poſſet, ſubſtitutus Io. Martinus Regius Medicinæ Profeſſor; pro Morneo Philippus Canayus Fraxineus, pro Colignonio Nauarræ Cancellario abſente, & Iſaacus Caſaubonus. 14. Maij ad certamen ventum eſt, & primo die oſtendit Perronius etiam Iudicum omnium aſſenſu in nouem locis erraſſe; ſicque finita diſputatio primi diei, immò & omnis; ægrotauit enim grauiter ſequenti nocte Mornæus, relatúſque Pariſios, cùm conualuiſſet, fugit Salmurium, pudoris plenus, quem tamen amicus eius tegere voluit Libro impudenti, quo ei victoriam aſſignauit; ſed hic amicus impoſtor à Perronio egregiè vapulauit, & Clemens VIII. Perronio victoriam Eccleſiæ vtilem gratulatus eſt*, Acta huius diſceptationis. In Belgio Mauritius, & Albertus ad Neoportum pugnauerunt: victus Mauritius; ſed ſequenti die reparato prælio, deſperatus Mauritius victoriam retulit, Albertinorum cecidêre ſex millia, Ordinum duo; non tamen Mauritio victoria profuit, ſoluere Neoporti obſidionem coactus eſt, acriùs reſiſtentibus Hiſpanis, *Hiſtoria Belgica.* Archidux Auſtriæ Ferdinandus Proteſtantes è ſua ditione eiecit, quòd factum in Ieſuitas hi refudêre, *Chytræus, Thuanus, & Annuæ litteræ Societatis.* Iacobus Scotiæ Rex grande periculum adiit ad Perthum oppidum, vbi Alexander, & Ioannes Gauriæ Comites eum ſolum & inermem ſunt aggreſſi; ſed ille animo, & manu periculum diſcuſſit: cæſi percuſſores, eorum corpora tracta ignominiosè, *Chytræus, Thuanus.* Pappa reddita Turcis à perfidis militibus Gallo-Belgis, qui tandem meritas omnes pœnas

persoluerunt, *Isthuanffius.* Turcæ Canisiam obsident duce Hebraïmo Vizire; *Suppetias vrbi parauit Mercorius euocatus ab Imperatore & commeatu ab Henrico IV. impetrato, vt iam sanctius pugnaret: Sed redire compulsus, honorificentissimo qui adhuc contigerat bellico recessu die 13. Octobris, tormentis etiam bellicis reductis, quanquam incredibilis eum multitudo Turcorum vrgeret. Mercorius Viennam rediit vbi fratrem Chalignium ex morbo perdidit*, Isthuanffius. Sigismundus Bathorius recipere Principarum conatus, victus est omninò atque profligatus, *Idem.* Sebastianus Lusitanus tum rediuiuus Venetiis à Lusitanis cultus, & agnitus agens in carcere, hoc anno dimissus est, móxque pergit in Lusitaniam vbi iam tumultus erat ob hanc famam. Dum autem transit per Etruriam captus à Ferdinando Magno Duce traditus est Hispanis, à quibus Neapolim ductus, & interrogatus, vt impostor per vrbem circumductus est, & remo addictus in prætoria triremi. Indéque traductus in Hispaniam, & conclusus in arce, aut morte naturali, aut veneno vitam finiit; pro quo Lusitani quidam aliquot scripsère libros; Hispani contrà fuisse insignem impostorem Calabrum dixère: mire tamen in eum supplicium constitutum contra genris indolem, effecit, vt de hac impostura dubitaretur, *Omnium Gentium Scriptores.*

FINIS DECIMI-SEXTI SÆCVLI.

Cùm sequentis Sæculi XVII. *res gestæ ita notæ sint, vt explicatione non indigeant, eius tantùm* Breuiarium *ad annum* 1666. *proponimus: neque enim plus ad plenam Chronologiæ cognitionem à viris eruditis exigitur.*



BREVIARIUM DECIMI-SEPTIMI ÆRÆ CHRISTIANÆ SÆCVLI,

HENRICI IV. LVDOVICI XIII. ac LVDOVICI XIV.

Continens omnia quæ memoriâ nostrâ contigerunt ad annum MDCLXVI.



NNO CHRISTI MDCI. Essexius Comes Londini perdidit caput 6. Maij.

Raymondus de Penna-Fortis refertur inter SS. 29. Aprilis Dominicâ post Pascha, qui obierat 1275.

Iulio mense obsidetur Ostenda. Soluitur Canisiana obsidio: Dux Mercorius capit Albam-Regalem, & eam tuetur, contra Turcos.

Nascitur Anna Mauritia Austriaca 22. Sept. *Ludouicus eius posteà maritus* 27. die SS. Cosmæ, & Damiani 24. Oct. Obiit Pragæ Tycho-Brahè.

Anno Christi MDCII. *Dux Mercorius obiit Nurembergæ 19. Febr. annos natus* 43.

Recipiunt Turcæ Albam Regalem, Christiani Pæstum.

Carolus Bironius Gontaldus perdidit caput 31. Iulij, ob proditiones.

Dux Bullionius fugit Geneuam, captus Aluerniæ Comes nothus Card. Graua ad Mosam capit Mauricius.

Disputatio Dominicanorum, & Iesuitarum de auxiliis Gratiæ.

Anno Christi MDCIII. Elizabetha Angliæ Regina moritur 4. Aprilis nata annos 70. regni 45°. succedit ei Iacobus VI. Scotiæ Rex.

Mahometes III. obit peste Constantinop. 21. Dec. ætatis 39. regni 8. cum 4. mensibus, Acmetes ei successit.

Hametes Rex Maroci & Fessæ obit, succedit ei Bussellius in regnum Maroci, primogenitus Xequus in regnum Fessæ.

Georgius Basta bis vincit rebelles in Transyluania.

Iesuitæ restituti in Iurisdictione Senatus Parisiensis.

Anno Christi MDCIV. *Noua stella apparuit in signo Sagittarij ineunte Octobri.*

Mauricius Slusas occupat, dum Ostenda de deditione Spinolæ cogitat: reddita est 22. Sept. vrbis tantùm cadauer.

Angli Belgis & Hispanis reconciliantur.

Terminantur Comitia Amptoncurtia à Iacobo contra Puritanos, deriuata in Sacerdotes Catholicos,

Turcæ Pæstum occupant, ab vrbe Strigonio repelluntur.

Steph. Bostkaius, & Betlehemus Gaborius turbauit Transyluaniam.

Cardinalis Ossatus obit Romæ ætatis 68. *succedit ei Iacobus Perronius 9. Iunij.*

Anno Christi MDCV. Clemens VIII. obit 3. Martij, ætatis 69. sedis 13. cum mense, & 3. diebus.

Leo XI. 1. April. obiit an. ætatis 70.

Paulus V. ei succedit 17. Maij anno ætatis 53. Iesuitas & Dominicanos placat.

Bostkaius Princeps Transyluaniæ dicitur operâ Turcarum, qui Strigonium capiunt 3. Oct.

Persæ Adem capiunt, & sæpè vincunt Turcos.

Poloni vincunt Suecos ad Rigam Liuoniæ.
Ioannes Zamoski Cancell. Poloniæ obit 3. Iunij æt. 63.
Obſidetur fruſtrà à Batauis Antuerpia, qui perdidère Oldenſalam, Lingen, &c.
Obiit Boris Moſchus, Demetrius occupat eius ditionem.
Iacobus mulrat perduelles: iis malè accenſetur Io. Garnerus Ieſuita.
Theodorus Beza obiit Geneuæ 13. *Oct. ætatis* 87.
Anno Chriſti MDCVI. *Venetiæ* inrerdicto ſubiiciuntur.
Marchio Spinola Grollam, &*Grinbergam* Ordinibus eripit.
Nouum iuramentum in Anglia, cui ſubſcripſerat Georgius Blakuelus, Catholicos turbat.
Magnus Dux Moſchouiæ Demetrius cæditur 17. Maij. Succedit ei Theodorus Suitski dictus Baſilo-Ioannes.
Baſſa Alepenſis rebellat captis vrbibus Tripoli, & Damaſco, atque mox ad officium redit.
Boſtkaius moritur 28. Decemb. Induciis factis inter Imperatorem, & Turcum.
Sigiſmundus Ragoskius occupat Tranſyluaniam.
Iuſtus Lipſius obit Louanij 23. Martij, annos natus 59.
Anno Chriſti M D C V I I. Carolus Dux Sudermaniæ Regem Sueciæ ſe inaugurandum curat.
Sigiſmundus Poloniæ Rex rebelles ſubditos domat, & Liuoniam tuetur conrra Patrui Caroli copias.
Bauariæ Dux Donauertium ſibi ſubdit, proſcriptum ob Hæreticorum facinora ab Imperatore.
Alberrus Archidux cum Ordinibus Inducias facit ad menſes octo.
Cæſar Cardinalis Baronius obit Romæ 3. Iunij, natus annos 69. quem funebri pompâ iuſſit Henricus IV. Pariſiis honorari.
Anno Chriſti M DCVIII. S. Franciſca refertur in Sanctarum numerum 29. Maij.
Carolus Gonzaga Dux Niuernenſis Legatus Henrici IV. venit Romam exeunte Nouembri.
Carolus III. Dux Lotharingiæ moritur Nanceij menſe Maio; ſucceſſit ei Henricus II.
Philippus Nereſtangus fit Magiſter Ordinis Montis Carmeli, & S. Lazari.

Imperator relinquit fratri suo Matthiæ Austriam, & Hungariam, & hic coronatur Posonij mense Nouembri.

Gabriel Bathorius occupat Transyluaniam cliens Ottomanorum.

Hugo O-Veelus Comes Tircensis relinquit Hiberniam cum vniuersa familia, multísque Catholicis, benignè Romæ susceptus à Pontifice.

Cosaki Theodosiam, *Caffa*, occupant in Taurica Chersoneso.

Tubus opticus creditur excogitatus Midelburgi in Zelandia.

Moriuntur P. Angelus Ioyosa, Capucinus, ad Turinum, & P. Delrio Iesuita Louanij 29. Octobris.

Anno Christi MDCIX. *Iesuitæ statuuntur Peræ ad Constantinopolim, petente Henrico IV.*

Carmelitæ discalceati Hispahami in Persidem transeunt, fidem propagaturi.

Iosephus Scaliger, Cymbalum mundi, *moritur Lugduni Batauorum 21. Ianuarij.*

Ferdinandus Magnus Dux Tusciæ obit Florentiæ mense Febr. cui succedit Cosmus II.

Poloni vincunt Suecos; item & Moschos, diuisos inter Suiskium, & Demetrium supposititium.

Protestantes Germani inter se fœdus ineunt.

Io. Guilelmus Dux Iuliacensis moritur, mense Martio, de cuius hæreditate disceptant Marchio Brandeburgensis, & Dux Neoburgensis.

B. Ignatius in Beatorum numerum refertur 3. Decembris.

Anno Christi M D C X. *Henricus IV. scripto luculento exercitu, & paratus inaugurare Reginam, cæditur Parisiis 14. Maij ætatis anno 56. cum mensibus 5. & vno die, Regni 20. cum 9. mensibus, & diebus 12. cor eius Flexiam in Collegium suum delatum quod Iesuitis erexerat.*

Succedit ei Ludouicus XIII. inauguratus Rhemis 17. Octob. per Cardin. à Ioyosa.

Mittitur à Regina Maria Medicea Mareschallus Castreus Iuliacum cum copiis.

S. Carolus Borromæus refertur in SS. Album 1°. Nouembris.

Hispaniæ

Hiſpaniæ Rex expellit Mauros, & auxiliatur Xequo Regi Maroci.

Poloni rem egregiè gerunt in Moſchos, Sueskium capiunt cum duobus fratribus: Demetrius ſuppoſititius cæditur anno exeunte.

Ordo Viſitationis inchoatur Aneſſij curâ S. Franciſci Saleſij.

Anno Chriſti M D C X I. Archidux Matthias coronatur Rex Bohemiæ menſe Maio.

Smolenskum redditur Sigiſmundo 13. Iunij, biennio obſeſſum.

Carolus vſurpator Sueciæ obit menſe Nouembri, ſuccedit ei Guſtauus filius annorum 18.

Meduanus Dux obit 3. Octobris.

Congregatio Sanctæ Vrſulæ approbatur à Pontifice 23. Sept.

Dux Aurelianenſis Regis frater moritur 17. Nouembris.

Achilli Harlæo Principi Senatus Pariſienſis mortuo ſuccedit Nicolaus Virdunus.

Comburuntur Londini Scripta Conradi Vorſtij, Profeſſoris Lugduni Batauorum Theologiæ poſt Arminium.

Petrus Ribadeneira obit Madriti, Ant. Poſſeuinus Mantuæ, ambo Ieſuitæ.

Anno Chriſti M D C X I I. Rodolphus II. Imp. moritur Pragæ 20. Ianuarij ſexagenarius, ab obitu Patris regni 35. cum 3. menſibus. Succedit ei electus Francofurti Matthias 13. & coronatus 24. Iunij.

Nuptiæ Lud. X I I I. cum Anna Auſtria, & Philippi I I I. cum Elizabetha Francica.

Damnatus Richerius 13. *Martij cum libro ſuo Pariſiis, & Aquis-Sextiis.*

Michaël nouus Dux Moſchorum Polonos delet, & Moſchouiam Vrbem recipit.

Xeriffi Maroci inter ſe depugnant.

Franciſcus I I. Dux Mantuæ moritur 22. Decemb. ἄτεκνος; ſuccedit ei frater Ferdinandus Cardinalis. Obierat eorum Pater Vincentius Gonzaga menſe Martio.

Anno Chriſti M D C X I I I. Betleemus Gaborius Caluinianus adiutus copiis Turcicis, Battoriam delet, & Tranſyluaniam occupat.

Turcæ sæpè delentur à Persis.
Kosaki Moschouiam, & Tartariam depopulantur.
Capucini Galli Tapinambulcios in Brasilia, ad fidem erudire conantur.
Iesuitæ in nouam Franciam, seu Canadam *transeunt, eadem de causa.*
Dani, & Sueci pacem ineunt.
Petrus Berullus Congregationem Oratorij excitat in Gallia.
Anno Christi M DC XIV. *Condæus, & alij Principes in Reginam Mediceam insurgunt.*
Ludouicus XIII. Maior declaratur in Senatu Paris. 2. Octobris.
Comitia Regni conuocantur anno exeunte.
Spinola Aquisgranum capit, & suppetias fert Neoburgensi contra Brandeburgicum, cui Bataui fauebant.
Dux Sabaudus, & Præfectus Mediolanensis, hostilia exercent propter Marchionatum Montis-Ferrati, vsque ad Iunium anni sequentis, quo pax inita est Astæ.
Cosaki Turcos acerrimè infestant.
Scha-Abas Persarum Sophi superat nepotem, & Patruelem rebelles.
Anno Christi M DC XV. P. Claudius Aquauiua Iesuitarum Generalis moritur Romæ 31. Ianuarij. Successit ei Mutius Viteleski 15. Nouemb.
Margarita Valesia quondam vxor Henrici IV. obit Parisiis 27. Martij nata annos 63. Cardinalis Ioyosæus Auenione 23. Augusti.
Renitentibus Hæreticis, & Principibus, mense Sept. Lud. XIII. recipit vxorem suam Burdegalæ, & mittit sororem suam, vxorem Philippo III.
Imperator inducias facit cum Ottomano ad annos 20.
In Comitiis Ecclesiasticis mense Iulio Cardinales, Episcopi, Abbates, & alij ex Clero, quantum in ipsis esset, & ad munera sua recipiunt in Gallia Concilium Tridentinum.
Anno Christi M DC XVI. *Pax Iulioduni fit inter Condæum & Regem : sed & Parisiis includitur in Bastilia 1. Augusti.*
Constantinopoli Christiani malè accipiuntur, atque in primis Iesuitæ, & in capitis discrimen sunt adducti, quòd

Turci ab Hiſpanis, Melitenſibus, atque Coſakis malè acciperentur.

Pontifex prohibet ſcribi, aut prædicari B. Virginem incurriſſe labem originis.

Antonius de Dominis quondam Arch. Ipalatenſis fit Apoſtata, & tranſit in Angliam.

Anno Chriſti M DCX VII. *Mareſchallus Encrenſis, Concinus olim dictus, Florentinus cæditur Pariſiis* 24. *Aprilis: Domus eius expilata, vxor eius eſt minuta capite.*

Pax initur cum Duce Meduano obſeſſo Sueſſionibus, & aliis Principibus coniuratis.

Maria Medicea mittitur Bleſas, vt Richelæus Epiſcopus Lucionenſis Auenionem.

Lud. XIII. 25. *edicto ſuo iubet reſtitui Eccleſiaſticis bona ſua in Benebarnia.*

Comitia Notabilium, *vt vocant, celebrantur Rothomagi menſe Decembri.*

Præfectus Mediolanenſis cogit ad deditionem Vercellas 25. Iunij, dum Dux Sabaudus alia oppida occupat in Ducatu Mediolanenſi.

Ferdinandus Archidux Grecenſis eligitur Rex Bohæmiæ, & coronatur 29. Iunij.

Pax inter Polonos, & Moſchos.

Achmetes moritur Conſtantinopoli die Martis 21. Nouembris, annos natus 30. cui ſucceſſit frater Muſtapha annorum 25. deiectus poſt duos menſes.

Approbatur à Pontifice Religio Fratrum Charitatis, cuius author Ioannes-Dei.

Anno Chriſti M D C X V I I I. Muſtapha includitur rurſus ſuo carcere, eiúſque loco ſedit nepos eius Oſmanes 2. Febr. annos natus 12.

Philippus Arauſicanus obit Bruxellis 20. Febr.

Vercellæ redduntur Sabaudo.

Ferdinandus coronatur Rex Hungariæ Poſonij, 26. Iunij.

Comes Turrianus, & Proteſtantes Bohæmiæ Pragam occupant 25. Maij, & Ieſuitas cum Catholicis aliquot eiiciunt. Eos inuadunt Comites Bucquoius, & Dampetra.

Grisones aliquot Catholicos cædunt, & eiiciunt, quasi Hispanorum fautores.

Plurium Grisonum oppidum, in quo 3600. homines, obruitur totum ruinâ montis, 4. tantum saluis.

Turcæ & Persæ pacem ineunt postquàm atrocissimè depugnassent.

Cardinalis Perronius obit Parisiis 5. Sept. anno suo Climacterico.

Cometes horrendus apparuit.

Synodus Dodrectana propagata in annum sequentem ad 6. Maij.

Anno Christi MDCXIX. Imp. Matthias obit Viennæ 20. Martij vitæ anno 63. regni 6. cum 9. mensibus.

Ferdinandus eligitur Imp. Francofurti 28. Aug. coronatus 9. Sept.

Fridericus V. Comes Palatinus Rheni eligitur Rex Bohemiæ 5. Sept. coronatus 5. Nouemb.

Betleemus Gaborius in Hungaria Posonium occupat, & alias vrbes.

Bernarueldius caput perdidit Hagæ Comitis.

Dux Espernonius Reginam matrem Blesis eductam transfert Inculismam. Hæc filio reconciliatur Turonibus.

Condæus soluitur: salutat Regem 20. Octobris.

Anno Christi MDCXX. Vincitur Comes Palatinus Rheni ad Pragam 8. Nouemb. Dominicâ 22. post Pentecosten, à Maximiliano Duce Bauariæ, & Comite Bucquoio, fugit victus, & perdit etiam Palatinum.

Gratianus Vayuoda Valachiæ cæditur in prælio contra Turcos, qui Polonos aggrediuntur.

Valli-Tellinenses expellunt Hæreticos è sua valle, freti auxilio Feriæ præfecti Mediolanensis.

Bellum in Luynium concitatur. Rex exit Parisiis 7. Iulij, & Rothomagum, ac Cadomum adit. Victi rebelles ad Pontem Cæsaris, le Pont de Cæsar, *reconciliatur Matri. Salmurium capit. Benebarniam Hæreticis eripit, quam iungit inferiori Nauarræ: Rebellant Rupellani.*

Manfredonium in Apulia Turcæ occupant.

Dux Ostunensis repetit Hispaniam.

Anno Christi MDCXXI. Paulus V. moritur 28. Ian. ætatis 69. sedis 15. cum mensibus 8. & diebus 12.

Gregorius XV. ei succedit 9. Febr.
Ferdinandus II. succedit Cosmo Patri Duci Etruriæ.
Philippus III. Rex Hisp. moritur vltimo Martij, ætatis 43. regni 23. successit Philippus IV.
Cardinalis Bellarminus obit Romæ, 7. Sept. anno vitæ 79.
Item moritur Albertus Archidux 13. Iulij anno vitæ 62. eius vxor Isabella induit S. Claræ habitum.
Spinola Iuliacum obsidet.
Palatinus spoliatus cum vxore, & liberis fugit in Hollandiam.
Elector Moguntinus industriâ suâ *Correspondentes* dictos, reconciliat Imperatori.
Buchoius Posonium, & alias vrbes eripit Gabori: & cæditur in prælio 10. Iulij.
Ladislaus Poloniæ Princeps Turcos delet in Moldauia, & Osmanum ad pacem compellit.
Hugonoti appetuntur bello, & Fanum S. Io. Angeriaci capitur, ac muris spoliatur.
Obsidetur Mons-Albanus, & ad hanc vrbem cæditur Dux Meduanus, & paulò post Luynius ex morbo moritur.
Grisones malè mulctantur ab Hispanis.
Gustauus Rex Sueciæ Rigam Liuoniæ capit. 16. Sept.
Mauri vincuntur ab Hispanis.
Anno Christi MDCXXII. SS. Ignatius, Xauerius, Isidorus, Philippus Nerius, & Theresa in Album Sanctorum referuntur 12. Martij.
Erigit Congregationem de propaganda fide Gregorius XV. Lutetiam facit Archiepiscopalem: *Richelæum Cardinalem creat.* Prohibet etiam in sermone familiari dici aliquod contra B. Virg. Immaculat. Conceptionem.
Fratres Rohanius, & Subizius læzæ maiestatis rei, reconciliantur Regi in obsidione Montispessulana, per Lesdiguierium factum Catholicum, & Stabuli-Comitem.
Rupellenses mari victi à Duce Guisio, & terrâ à Comite Suessionensi à Rege veniam petunt.
Tillius Hildelbergam occupat, eiúsque vrbis Bibliotheca MM. SS. transfertur in Vaticanam.
Mansfeldius Nothus victus à Duce Niuernensi præfecto Campaniæ, traditus est debellandus Hispanis ad Namurcum.

Osmanes annos natus 18. Ianizzaros emendare volens, & sedem Imperij Damascum transferre, strangulatus est die Veneris 20. Maij iussu Patrui sui Mustaphæ, cùm regnasset annis 4. & totidem mensibus.

Carolus Spinola Iesuita & nonnulli alij cremati sunt lentis ignibus pro fide in Iaponia.

S. Franc. Salesius Episcop. Geneuensis obiit Lugduni 28. Dec. anno vitæ 56. sepultus anno sequenti Anissij.

Anno Christi MDCXXIII. Electoratus Palatini conceditur Duci Bauariæ ab Imp. Ratisponæ 25. Febr.

Comes Tillius Alberstadium delet 6. Augusti ad Srallonem.

Gaborius Hungariam inuadit.

Carolus Princeps Valliæ vadit in Hispaniam vt duceret Mariam Sororem Philippi IV. sed irrito conatu.

Arces Vallis Tellinæ Pontificis Legato committuntur.

Gregorius XV. moritur 8. Iulij annos natus 70. cùm sedisset annis 2. & 5. mensibus: successit ei Vrbanus VIII. 6. Aug. coronatus 29. Sept. dictus anteà Maphæus Barberinus, annorum tum 55.

Mustapha eiicitur ob stupidam crudelitatem; ei succedit Amurathes IV. filius Achmetis frater Osmani, anno ætatis 15.

Lessius Iesuita moritur Louanij 18. Ian.

Anno Christi MDCXXIV. Betleemus Gaborius deponit titulum Regis Hungariæ, contentus dici Princeps Imperij, & aliquot vrbibus, quandiu viueret.

Poloni Tartaros vincunt.

Marquio Cœuræus intra duos menses Vallem Tellinam occupat.

Antonius de Dominis moritur mense Dec. in Castro S. Angeli, & mortuus cum suis scriptis comburitur in Campo Floræ.

In Mexico parum conuenêre Archiepiscopus & Prorex.

Batavi occupant Vrbem S. Saluatoris in Sinu Omnium Sanctorum, & ad Limam Peruuiæ nauali prælio Hispanos vincunt.

Henricus Dux Lotharingiæ obit 20. Iulij, relictâ hærede filiâ Nicoleâ, quæ nupsit Patrueli Carolo filio Francisci Comitis Valdemontij.

Dum Spinola Bredam obſidebat, nihil propiùs factum eſt, quàm vt Arx Antuerpienſis occuparetur à Principe Mauritio.

Anno Chriſti MDCXXV. Ladiſlaus Poloniæ Princeps ad Iubileum venit Romam, *inuiſit Galliam*, & Bredanam obſidionem.

Breda 9. menſes obſeſſa redditur Spinolæ, 5. Iunij.

Mauritius obit Hagæ 23. Aprilis. Cui frater Fridericus Henricus Naſſouius ſucceſſit.

Archidux Leopoldus Romam ad Iubileum venit.

Declaratur Sancta, Elizabetha Regina Luſitaniæ 25. Maij.

Cardinalis Franciſcus Barberinus venit Legatus in Galliam.

Bellum Sabaudi in Genuenſes: Genua pænè capta ab Eſdiguerio Stabuli-Comite.

Victus Subizius ad Reacum Inſulam nauali certamine à Monmorantio: Ille in Angliam fugit.

Obiit Iacobus Angliæ Rex 4. April. ætat. 59. regni Anglici 22. Succeſſit ei Carolus I. *Qui duxit 11. Maij, Henrietam Sororem Lud. XIII.*

Ferdinandus III. filius Imp. eligitur Rex Hungariæ, coronatur 18. Dec. ætat. 17.

Tillius, & Valſtenius delent Chriſtianum Regem Daniæ: Henotici Proteſtantium Ducem fortiter repellunt.

Franciſcus Comes Valdemonti, Dux declaratur Lotharingiæ, Iúſque ſuum transfert in filium Carolum maritum Nicoleæ, anteà Duciſſæ iure hæreditario Patris ſui Henrici.

Anno Chriſti MDCXXVI. Dux Vrbini ferè octogenarius, filio demortuo, ditionem ſuam committit Pontifici; obiit 1631.

Pax Vallitellinæ, & Genuenſium.

Incluſi Dux Vindocinus, eiúſque frater Magnus Prior, item & Polemarchus Ornanus, aliíque. Dux Aurelianenſis ducit 6. Oct. Mariam Borboniam Montiſpenſeriam, quæ obiit anno ſequenti editâ filiâ 29. Maij.

Munus Thalaſſiachi ſupprimitur: Cura commercij, & nauigationis à Rege committitur Card. Richelio.

Mansfeldius victus ad Deſſauiam à Valſtenio in Hungariam, inde in Boſniam, vbi obiit.

Tilius profligat Daniæ Regem 27. Aug. ad Lutterum in Ducatu Brunsuicensi.

Bagdetum ad Tigrim itinere vnius diei ab antiqua Babylone ad Euphratem distans inuaditur à Turcis, & à Persis fortiter hoc anno, & sequenti defenditur.

Gustauus Succiæ Rex Gislenum premit, donec ei suppetias tulit Polonus.

Mortuus est P. Petrus Cotonus Parisiis 19. Martij.

Obiit Stabuli Comes Esdiguierius.

Anno Christi M D C X X V I I. *Buteuilla, & Capella Monomachi perdunt publicè caput.*

Subizius cum classe Anglicana, & Duce Bukingamo obsidet Arcem S. Martini in Insula Reaco, quam fortiter propugnauit Thorasius. Hic victi Angli à Schombergio.

Rupella circumcingitur, mox obsidetur.

Dux Rohanius capit Apamias, & aliquot vrbes in Occitania.

Danus eiicitur è Saxonia, & Ducatum Holsatiæ perdit.

Reliquiæ S. Norberti Magdeburgo Pragam transferuntur.

Vrbs S. Seuerini in Calabria terræ motu subruitur.

Vincentius II. Dux Mantuæ obit, cùm filiam Francisci Ducis iam duxisset filius Ducis Niuernensis, qui Ducem se gessit.

Dux Guastallæ euocat Hispanos, & Cæsareos, quo auxilio tota est turbata Europa.

Arausicanus Princeps Grollam capit 22. Augusti.

Rex Suecus vulneratur, eius magnus Polemarchus cæditur à Polonis victoribus.

Anno Christi M D C X X V I I I. *Moles miranda excitatur ad Rupellam quæ bis Anglorum repulit classem, paratam soluere obsidionem. Tandem vrbs se dedere coacta est 29. Oct. eam subiit Rex 1. Nouemb. pientissimè, muros diruit, redit Lutetiam 23. Decemb.*

Condæus & alij Duces Rohanium, & Hugonotos exagitant, Rupella deditione territos.

Sabaudus Trinum occupat.

Hispanus Casale S. Euasij Montisferrati obsidet.

Catholicum Henoticon proficit aduersus Danos, atque Protestantes.

Cardinalis Surdisius moritur 8. Febr. ætatis 53.

Bukin-

Bukinghamus à quodam Scoto cæditur.

Dux Trimolius fit Catholicus.

Anno Christi M D C X X I X. *Lud. XIII. Alpes traiicit, & perrumpit Munitiones Sabaudi : Suzam capit, & Casalis obsidionem soluit.*

Idem redit ad montes Cemenios, les Seuenes, *excidit Priuatium, & aliquot oppida, cogítque Hugonotos veniam petere, expulso ex Gallia Rohanio.*

Mons Albanus Regi deditur.

Pax inter Galliam, & Angliam.

Pax inter Danos, & Cæsarem.

Induciæ sexennales inter Polonum, & Suecum.

Bataui Veselium capiunt Augusto exeunte.

Iidem 13. Sept. Syluaducis potiuntur, obsessæ 4. mens.

Collaltus Mantuanum agrum populatur.

Spinola Casale obsidere parat.

Andreas Corsinius Episc. Pæsulanus in numerum Sanctorum refertur.

Moritur Sca-Abas Persa : succedit Scha-Sephi ex filio nepos.

Betleemo Gaborio succedit Georgius Ragotzki.

Cardinalis Berullus moritur 2. Oct. ætatis 55.

Richerius Palinodiam canit in Sorbona, adnitente Card. Richelæo, qui hanc domum magnificentissimè struit.

Damnatus liber Inscriptus, Libertates Gallicanæ 2. Tom. ab Episcopis Galliæ.

Anno Christi M D C X X X. *Cardinalis Richelius præest Subalpino bello, Pinarolium occupat : Sabaudia tota occupatur à Gallis præter Mommelianum.*

Lud. XIII. grauiter ægrotat Lugduni, & turbatur aula.

Collaltus Mantuam intercipit ac diripit.

Carolus Sabaudiæ Dux obit 26. Sept. ætat. 69. Succedit ei primogenitus Victor Amedeus.

Spinola moritur 25. Sept. obsidens Casale fortiter à Thorasio defensum. Recedit Marchio Santa-Crucius accedente auxilio Gallico & Mareschallis Schombergio, Forcio, & Marilliaco.

Gustauus Suecus mare traiicit, & auxiliatur Stralsondæ ; Cæsareos aggreditur in Pomerania, & Ducatu Megapolitano.

Vizirus Turcus soluit obsidionem Bagdeti.
Bataui Olindam capiunt in Brasilia.
Mexicum vrbs nouæ Hispaniæ pænè tota Octobri mense aquis obruitur.
Dux Vindocinus soluitur.
Marilliacus Mareschallus addictior Reginæ matri datur in custodiam: eius fratri eripiuntur Regia Sigilla, data Castro-nouo.
Anno Christi MDCXXXI. *Dux Aurelianensis recedit in Lotharingiam: Regina Mater recipitur Bruxellis à Clara Archiducissa.*
Tillius, & Papenhenius Magdeburgum capiunt, quæ pœnè tota combusta est.
Gustauus iunctus Saxoni Cæsares vincit ad Lipsicum 7. Sept. capítque Ereferdiam, Bambergam, Herbipolim, Francofurtum ad Mænum, Moguntiam & alias vrbes.
Saxo capit Pragam, & vicinas vrbes mense Nouembri.
Lud. XIII. venit Metas, & patrocinium suscipit aliquot Principum, & Episc. Germaniæ.
Pax Italica icitur Querasci mense Iunio.
Mantua redditur Duci Mantuano, vt Pinarolium Sabaudo, qui statim id vendidit Gallis, cum Valle Perusina, fremente Hispano.
Razillius fœdus iniit cum Mulei-Qualid Rege Maroci, Regis sui nomine.
Mons Vesuuius flammas eructat mense Decembri, ac sæpè deinceps initio anni sequentis.
Anno Christi MDCXXXII. *Dux Aurelianensis Nanceij ducit vxorem Margaretam Sororem Ducis Lotharingiæ: Inde transiit in Belgium, inde in Comitatum Burgundiæ. Mense Iunio transit in Franciam, & Occitaniam.*
Arch. Treuirensis patrocinium Ludouici implorat, eíque dat Hermensteinum Arcem è regione Confluentiarum, ac Treuiris restituitur copiis Gallicis.
Suecus vastatis Palatinatu, Suabiâ, & Bauariâ, cùm expulisset Tillium ad Lechi fl. transitum, qui ex vulnere obiit Ingolstadij ex vulnere, pugnat aduersus Valsteinum 16. Nouemb. ad Lutzenum; sed in eo prælio cæsus est, annos natus 38. relictâ filiâ Christinâ sexenni In eadem pugna cecidit Papehemius vir fortissimus: *Bernardus Weimarius oc-*

cultatâ Regis nece victoriam retulit, perrexítque Lipsiam.

Sigismondus III. Poloniæ Rex obit Varsouiæ 29. Aprilis ætatis 66. regni 45. successit Patri Ladislaus IV. electus mense Octob. annos natus 37. Fridericus V. Palatinus obit Moguntiæ 29. Nou.

Bataui Traiectum Mosæ capiunt 23. Aug. tribus mensibus obsessum.

Copiæ Ducis Aurelianensis fusæ sunt ad Castrum-Ariani 1. Septemb. per Schombergium. In hoc prælio cæsus Comes Moretus; vulneratus Mommorantius, captus est, qui posteà Tholosæ vltimo Octobris capite minutus est.

Reconciliatus Regi Aurelianensis 1. Octobris, Turonas venit, auditâque morte Mommorantij fugit in Belgium, quò venit quoque vxor eius Margarita anno sequenti.

Marilliacus Mareschallus 10. Maij caput perdidit. Effiatus obiit 27. Iulij: & Schombergius Burdegalæ, subitâ elatus est morte.

Anno Christi MDCXXXIII. Walsteinus atque Catholici Germani fortiter obsistunt Veymario, Hornio Polemarcho Bauierio, & Oxensternio Cancellario.

Dux Lotharingiæ à Suecis victus est propè Hagenoam. *Et cogitur Ludouico XIII. dare Nanceium.*

Ludouicus Senatum constituit Metis, posteà translatum Tullum.

Carolus I. Rex Maioris Britanniæ coronatur Edimburgi 25. Iunij.

Ladislaus Moschos vincit, & soluit circumsessi Smolenski obsidionem.

3ª Pars vrbis Constantinopoleos igne absumitur.

Clara Eugenia-Isabella moritur Bruxellis 1. Decemb. anno ætatis 68.

Cardinalis Infans Mediolanum venit.

Espernonius, & Archiepiscopus Burdegalensis inter se rixantur.

Galilæus damnat Romæ voce, & scripto opinionem suam de motu terræ, ætatis anno 70.

Anno Christi MDCXXXIV. *Carolus Dux Lotharingiæ 19. Ianuarij relinquit Statum suum fratri suo Francisco Cardinali, qui & Claudiam Mariæ Ducissæ Sororem duxit, fugítque cum ea dissimulato habitu Florentiam.*

Carolus fugit Bisontionem, inde Mediolanum ad Cardinalem Infantem.

Sueci Ludouico committunt Philippoburgum.

Breda obsidetur irrito conatu à Batauis, vt Traiectum Mosæ ab Hispanis.

Valsteinus suspectus Imperatori, & spoliatus Legati Generalis dignitate cæditur Egræ in Bohæmia, annos natus 50.

Rex Hungariæ, & Dux Bauariæ cogunt ad deditionem Ratisponam 26. Iulij.

Idem Rex Hungariæ iunctis viribus cum Cardinali Infante, & Lotharingis vincunt Veimarium, Hornium, & fœderatos ad Nordlingam.

Rheingrauius victus est à Duce Lotharingiæ, & Ioanne Vertio, ad Argentoratum. Indéque multæ vrbes Suabiæ, Franconiæ, Bauariæ expellunt Suecos.

Cardinalis Infans Bruxellas ingreditur 3. Nouemb.

Ex hac vrbe iam fugerat Dux Aurelianensis cum sex comitibus 8. Octobris.

Ladislaus pacem init cum Moschis deposito titulo Magni Ducis, recepítque Smolenskum, Nouogradam, & alia oppida à Michaële Phederouitzio.

Anno Christi MDCXXXV. 23. *Ian. noctu capitur à Cæsareis Philippoburgum, item Spira: sed hæc recepta à Polemarchis Forcio, & Brezæo.*

Arch. Treuirensis ab Hispanis in vrbe suâ capitur 26. Martij, ducitúrque captiuus Lucemburgum, inde Treuortium ad Bruxellas: repetitur, negatur, ideò denunciatur bellum per Fecialem 16. Maij Hispanis à Rege Galliæ.

19. *Maij prælium Aueini committitur, à Castilione, & Brezæo, aduersus Principem Thomam, qui fugere compulsus est. Inde captum Tillemontium; obsessum Louanium, sed relictum Batauis ad Skenkium Castrum recipiendum aduolantibus.*

Dux Inculismensis & Forcius resistunt Duci Carolo, & Io. Vertio.

Cardinalis Valetta, & Veimarius longiùs progressi in Germaniam, ægrè & victis similes redierunt.

Polemarchus Crequius iunctus Ducibus Sabaudo, & Parmensi, Valentiam oppugnare nequiuit.

Dux Rohanius Serbellonem eiicit ex Valle-Tellina.

Elector Saxo pacem facit cum Imperatore Pragæ 30. Maij, & aliquot vrbes Suecis eripit.

Sueci inducias faciunt cum Polonis Standorfij ad 26. annos, 29. Augusti.

Turcæ aduersus Persas præualent.

Aligrius Cancellarius obit 11. Decembris, succedit ei Petrus Seguierius iam Sigillorum custos, exauthorato, captóque Castronouo.

Anno Christi MDCXXXVI. *Veimarius, & Parmensis veniunt Lutetiam.*

Hispani capiunt Capellam, Castelletum, immò & Corbeiam; quæ tamen iis est erepta 14. Nouembris; illi fugere coacti.

Condæus obsedit frustrà Dolam.

Galasius & Dux Carolus irrupêre in Ducatum Burgundiæ, sed victi ad Ladonam, S. Iean de Laône.

Thorasius cæditur ad Fontanellam exiguum oppidum Italiæ.

Rex Hungariæ electus Rex Romanorum Ratisponæ coronatur 28. Decembris, anno natus 29.

Cardinalis Ginetti mittitur Coloniam exeunte Octobri ad pacem publicam.

Cæsarei recipiunt Moguntiam, Magdeburgum, & alias vrbes.

Anno Christi MDCXXXVII. Ferdinandus II. Imperator moritur Viennæ 8. Febr. anno ætatis 61. cùm præfuisset annis 18. & mensibus 4.

Successit Patri Ferdinandus Ernestus, seu III.

Harcurius Comes, & Archiep. Burdegalensis Leronem & Lerinam ab Hispanis ante duos annos occupatas, recepêre.

Serbello Leucatam obsidet, quam Barrius egregiè tutatur: at 29. Sept. Dux Alluinius Occitaniæ præfectus, eum repulit, ac fugere compulit.

Cardinalis Valetta cum fratre Landrecium capiunt, & Castrum Cameracense, Malbogium, Capellam, &c.

Polemarchus Castillioneus occupat Yuoium, & Damuillerium.

Arausicanus Bredam obtinet.

Hispani Venlogum atque Ruremondam suas faciunt.

Dux Mantuanus, idémque Niuernensis moritur, & successorem relinquit nepotem octennem.

Victor Amedæus Dux Sabaudiæ moritur, & relinquit

Hæredem Lud. Amedæum septennem anno sequenti mortuum.

Puritani Scoti contra Ceremonias Anglicanas insurgunt, vnde multæ turbæ.

Dux Bullionius fit Catholicus Sedani.

Grisones deficiunt à Francis liberatoribus suis.

Vitrius Polemarchus includitur Bastiliâ.

Anno Christi MDCXXXVIII. *Bernardus Veimarius Cæsaris exercitum delet ad Rhinfeldium cum Guebriantio. Capti Sauelli, Vertius, Ekenfortius: Captæ quoque Vrbes Rhinfeldia, Friburgum Brisgouiæ, & prætereà Brisacum ad Rhenum mense Decembri. Dux Rohanius interiit ex vulneribus, in hoc prælio receptis.*

Polemarchus Crequius propè Bremam caput perdidit ictu tormenti bellici. Hanc vrbem occupauit Leganesius cum Vercellis.

Classis Gallica fudit Hispanam ad Fontarabiam, quæ vrbs capta fuisset si Duces Condæus & Espernonius conuenissent: itaque turpiter soluta obsidio, 7. Sept.

Repulsi quoque à Fano S. Audomari Castillioneus & Forcius Polemarchi, Rentium intercipiunt, & aliquot oppida.

Castelletum à Francis recipitur.

Terræ motus in Calabria multa euerterunt 27. Martij.

Casimirus posteà Poloniæ Rex in Prouincia intercipitur, & mittitur ad Regem Parisios, honorificè habitus.

Maria Medicea Bruxellas linquit, & per Hollandiam transit in Angliam.

Lud. XIII. regnum suum consecrat Deiparæ 15. Augusti die eius Assumptæ.

5. Sept. Anna Austriaca Delphinum parit magno totius Franciæ gaudio, qui hodie est Lud. XIV.

Obiêre hoc anno Iansenius Yprensis Episc. *Andreas Du-Vallius Sorbonæ Doctor, P. Iosephus Capucinus.*

Carolus Emmanuel Dux Sabaudiæ succedit fratri demortuo.

Turcæ intra 40. dies Bagdeto potiuntur dum Persæ in Mogores pugnant.

Anno Christi MDCXXXIX. *Melleræus Hesdinium capit, fitque Polemarchus in muri labefacti labe à Rege 30. Iunij.*

Fequierius obsidens Villam Theodonis deletur.

Hispani Mosonium obsidentes repelluntur.

Castillionæus Yuoium rebelle euertit.

Condæus Salsulas capit, sed mox ab Hispanis receptæ sunt.

Princes Thomas Pedemontium populatur, & Taurinum intercipit: erumpit ex Arce Ducissa, & fratrem suum Ludouicum XIII. adit Gratianopolim.

Cardinali Valettæ mortuo succedit Harcurius.

Veimarius 18. *Iulij in Germania peste moritur: eius copiis præficitur Logauilla.*

Banierius vrbes occupat in Bohemia, Silesia, Saxonia.

Scoti audaciores facti, ex facilitate sui Regis, rebellant, Comitia conuocant Edimburgum, Episcopos eiiciunt, &c.

Campanella Dominicanus obit Lutetiæ 21. *Maij, vitæ* 71.

Anno Christi M D C X L. Amuratus IV. moritur 8. Febr. ex nimio viuæ aquæ potu, ætatis 32. Regni 16. cum 5. mensibus.

Ibraimus frater ei succedit die sequenti eductus è carcere annos natus 28.

Obit Scha-Sephi Persa, relicto filio septenni.

Catalani Gubernatorem suum cædunt die Festo Corporis Christi, & Mortuo Duce Cardonæ Hispanos eiurant, *& dedunt se Gallis.*

Leganesius tertiùm obsidet Casale, *repellitur ab Harcurio* 29. *Aprilis.*

Idem Harcurius Taurinum obsidet, & Principem Thomam cogit se dedere 24. *Sept. frustrà obnitente cum ipsis obsessis Leganesio.*

Polemarchi Chalnius, Castillioneus, & Melleræus Atrebatum obsident, repellunt Cardinalem Infantem, & vrbem se dedere cogunt 10. *Augusti.*

Bataui malè mulctantur ad Hulstam, & Gueldriam.

Cardinalis Ginetti Romam reuocatur à Pontifice.

Frater Regis nascitur 21. *Sept. dictúsque Philippus.*

Picolomineus obsistit Banerio.

Scoti occupato Castro Edimburgensi Angliam armati ingrediuntur, & Dunelmam capiunt, & alia oppida.

Henricus Dux Guisius ad Senas moritur.

Marchio Brandeburgensis obit Hamburgi.

Moriuntur Parisijs Iesuitæ Salianus, & Gordonus: vir doctissimus Duquesnius. Item & Senatus Princeps Iayus.

Lusitani proclamant Olysippone 1. Decembris Regem Ducem Brangantiæ, annos natum 35. eum coronarunt 15. nominatum Ioannem IV.

Proscriptus est liber ineptus, inscriptus Optatus Gallus, *damnatus ab Episcopis, & toto Clero.*

Perfecit hoc anno Henricus Spondanus continuationem Annalium Baronij.

Anno Christi MDCXLI. *Carolus Dux Lotharingiæ submittit se Regi pro Ducatu Barrensi, eique dat Claromontium in Argona, Satanæum, Iametium & aliquot alia loca.*

Lud. Borbonius Comes Suessionensis iungitur Duci Bullionio, & Lamboyo, delet Polemarchium Castillioneum: seipsum interficit sclopo visoriam cratem attollens, annos natus 37. vno mense & diebus 25.

Franci capiunt Ariam, móxque perdunt.

Honoratus Grimaldi Monaci Princeps Hispanos eiicit ex Arce, & fit Dux Valentinus.

Card. Infans Bruxellis moritur 9.Nou. ei succedit Franciscus de Melos.

Bauerius malè acceptus à Picolomineo, se recipit in Misniam, & moritur Alberstadij, 20. Maij. ei succedit Torrenstonius.

Bolfenbula obsidetur à Suecis, & Hessiis irrito conatu.

Feciales Principum qui conuenerant Hamburgum, eligunt Monasterium, & Osnaburgum, vt de pace agerent.

Arausicanus Princeps ducit vxorem Mariam filiam Regis Angliæ.

Dux Anguinius Parisijs ducit vxorem neptem Cardinalis Richelei 11. Febr.

Elnam capit Condæus 29. Iunij.

Bapalma, Bassea, Lentium, Pons Auentinus Gallis cedunt.

Rex Angliæ à Parlamentariis Puritanis oppressus, pati cogitur carcerem Archiep. Cantuariensis, & supplicium Proregis Hiberniæ 12. Maij, quibus confidentiores nullos habebat.

Pontifex armat in Parmensem.

Anno

Anno Christi M D C X L I I. *Espernonius obit Loquiis 13. Ianuarij valdè senex.*

Maria Medicea moritur Coloniæ 1. *Iulij ætatis* 68. *cor eius Flexiam delatum.*

Lud. XIII. Perpinianum capit.

San-Martius & Thuanus caput perdunt Lugduni perduellionis accusati.

Richelæus Card obit 4. *Dec. ætatis* 58.

Guebriantius vincit Lamboyum & Cæsareos ad Kempenum.

Hispani recipiunt Basseam, Lentium, & vincunt Gallos ad Honecurium vbi Rambulius iunior cæditur.

Motha frustrà obsidetur in Lotharingia, ab Hallerio.

Longauillæus Dux Tortanam capit in Italia

Tortenstonius occupat Glosgouiam, & Olomutium, ac vincit Leopoldum, & Picolomineum ad Lipsiam, quæ huic deditur.

Anno Christi MDCXLIII. *Liberantur à custodia Vitrius, Bassompetra, & Marchio Castronouius.*

Lud. XIII. obiit apud S. Germanum 14. *Maij, die Ascensionis, ætatis* 41. *cum* 4. *mensibus, &* 18. *diebus cùm regnasset* 33. *annos.*

Succedit Patri Lud. XIV. sub Matre Anna, Baptizatus 20. *Aprilis.*

Dux Anguianus vincit Hispanos ad Rupem-Regiam 19. *Maij, quando Comes Fontanus obiit cum Hispanico toto peditatu.*

Idem Anguianus cepit Theodonis villam 10. *Augusti, ad quam cæsus Gesurius.*

Guebriantius cæsus est ad Rotteuillam, fusis Cæsareis 17. *Nou.*

Fiunt Cardinales Valencæus, & de Lugo Iesuita.

Carolus Angliæ Rex Londinum deserere cogitur, & ire Eboracum.

Princeps Thomas Ticinum capit 28. Sept.

Apologiæ Iansenij turbant Ecclesiam, sicut & liber de Frequenti Communione Arnaldi.

San Cyranus Abbas obit 2. *Octobris* : & Aubertus Miræus Decanus Antuerpiensis.

Anno Christi M D C X L I V. Pax inter Pontificem, & Parmensem initur Venetiis 31. Martij.

Vrbanus VIII. moritur 29. Iulij ætatis 76. cùm Petri ſedem pœnè annis 21. tenuiſſet.

Succeſſit ei Innocentius X. 15. Sept. ætatis 72. coronatus 29.

Elizabetha Regina Hiſp. moritur Madriti 6. Octobris.

Dux Aurelianenſis Grauelingam capit.

Regina Angliæ fugit, & Breſtum appellit.

Parlamentarij iuncti Scotis Eboracum obſident, Regis copias profligant, & eum fugere cogunt Oxonium.

Zunchinus Senenſis Imperator vltimus familiæ Thaminorum, obſeſſus à Tyranno Legungo, ſe ſuſpendit in horto menſe Aprili. Superuenêre Tartari toto hoc Imperio potiti.

Ilerda recipitur ab Hiſpanis.

Anguianus Germanos vincit ad Friburgum Briſgouiæ, quando caſus Mercius: capit & Philippoburgum, Spiram, Vormatiam & alias vrbes.

Sueci Danos aggrediuntur, & Sconiam occupant, atque Holſatiam atque Iutlandiam deprædantur.

Batauis Portum Gadauenſem intercipiunt.

Ragotzius Hungariam ingreditur.

Feciales Monaſterium veniunt, de pace acturi menſe Aprili.

Anno Chriſti MDCXLV. *Card. Rupifucaldius obit Pariſiis* 14. *Febr.*

Turcæ minantur obſidere Melitam, ſed Cretam aggrediuntur, bello diuturno.

Michaël Dux Moſchouiæ moritur, cui ſuccedit Alexius Michalouius.

Legati Poloni Epiſc. Varmienſis, & Palatinus Poſnanienſis Pariſios veniunt, petúntque Mariam Ludouicam Gonzagam Regi ſuo Ladiſlao IV. vxorem.

Subletus Noyerius moritur in Caſtro Danguto 20. *Octobris, ſepultus in Eccleſia Nouitiatus Pariſienſis Ieſuitarum, quam ipſe ſtatuerat, abſolutiſſimum opus.*

Hugo Grotius moritur rediens è Suecia.

Ioſias Ranzautius fit Catholicus, & Polemarchus.

Eduardus Princeps Palatinus Caluini hæreſim eiurat.

Elector Treuirenſis liberatur, & Treuiros redit.

Anguianus vincit Cæsareos ad Norlingam, vbi cæsus Mercius, fugatus Vertius.

Hispani recipiunt Mardikum, & perdunt Hulstum.

Pax inter Danos, Suecos, & Batauos, ob fretum Sundicum.

Torstensonius in Bohæmia Harzfeldium superat, & multas vrbes capit, Cæsare Viennam recedente.

Harcurius Comes Prorex Cataloniæ vincit Comitem Mortaram, & Cantelmum cogit reddere Balaqueram.

Anno Christi M D C X L V I. *Barberini, Franciscus & Antonius Cardinales, & Thadæus fugiunt in Galliam.*

Princeps Cazimirus fit Iesuita, deinde Cardinalis, ac demum purpuram deponit.

Baltazar Infans Hispaniæ Octobri mense moritur ætatis 18.

Carolus Valliæ Princeps fugit in Galliam. Eius Pater Oxonio fugit Neocastrum, vbi venditur Anglis à Scotis Puritanis.

Anguianus Dunkerkam capit 7. Octob. captæ quoque vrbes Mardikum, Curtracum & Bergæ S. Vinoci.

Princeps Condæus moritur Parisiis 26. Decembris annos natus 58.

Turcæ Caneam obsidione liberant, & cibariis instruunt; itémque capiunt Rethymum.

Torstensonius relinquit exercitum Wrangelo, cui parum feliciter cessit obsidio Augustæ Vindelicorum.

Imperator curat inungi filium suum Regem Bohæmiæ 3. Iulij, & annò sequenti Hungariæ.

Neapolitani tumultus inchoantur.

Princeps Thomas frustrà inuadit Orbitellum armis Gallicis: Brezæus iunior hîc vitam perdidit tormento bellico.

Melleræus capit Portum-Longum in Ilua Insula, & Populoniam.

Harcurius perdit tormenta bellica, & impedimenta, dum Ilerdam inuadit.

Mortui P. Mutius Vitelescus Generalis Soc. IESV. *Philippus Cospeanius Lexouiensis Episc.* Dux Parmensis, *Dux Bellegardius Magnus-Hipparchus; & Polemarchi duo, Castilioneus, & Bassompetræus.*

Anno Christi MDCXLVII. *Dux Guisius rebelles Neapolitanos fouet.*

Turbæ Siculæ contra March. Veladensem Proregem concitantur.

Christianus V. Daniæ Rex obit, cui succedit Fridericus III. Arch. Bremensis.

Henricus Fridericus Arausicanus moritur, succedit ei Guill. filius gener Angliæ Regis.

Archiduci Leopoldo committitur Belgium.

Princeps Condæus obsidens Ilerdam, redire cogitur.

Gassio Mareschallus Lentij vulneratur lethaliter, obit Atrebati.

Hispani recipiunt Curtracum.

Wrangelus Lindauio expellitur; conuenit cum Bauaro, Egram Bohæmiæ capit.

Melander, & Marchio Badensis Marpurgum expilant, valdè ambo periclitati.

Veneti in Creta Caneam occupant.

Thadæus Barberinus obit Lutetiæ.

Anno Christi MDCXLVIII. *Guisius capitur Neapoli, & mittitur in Hispaniam, proditus à suis.*

Iacobus Dux Eboracensis fugit manus Parlamentariorum, & venit in Hollandiam. Ducem Glocestriæ hîc retinent.

Dux Bellefortius fugit ex Castro Vicennarum vbi inclusus erat.

Condæus Ypram capit: Victoriam ad Lentium reportat 10. *Augusti victo Leopoldo.*

Brusellus capitur & aliquot alij Senatores, vnde Parisini tumultus, vici catenis muniti.

Pax inita 24. *Octobris inter Imperatorem, Regem Galliæ,* Reginam Sueciæ, & Electores, excluso Hispano & Lotharingo, huic se opponit Pontifex ob Episcopatus relictos Suecis.

Dux Schombergius Tortosam capit intra 8. *dies, vltra Iberum fl.*

Angli Caluinistæ Regem intercipiunt in Vecti Insula, ducúntque Londinum.

Ladislaus IV. Poloniæ Rex moritur; succedit frater Cazimirus 17. Septembris, & anno sequenti duxit relictam à fratre.

Melander moritur éx suis vulneribus Augustæ Vindelicorum.

Konismarkius capit paruam Pragam, quominùs duabus aliis potiatur impedit Coloredus.

Lamboius Hessos superat.

Anno Christi MDCXLIX. *Turbæ Parisinæ, Rege, Reginâ, ac Principibus Lutetiam deserentibus 6. Ianuarij; Condæus statuit vrbem obsidere: cui repugnant Contius, Dux Longauilla cum vxore, Duces Bellefortius, & Ellebouius, Coadiutor Parisiensis, & alij.*

Decretum Senatus 8. Ianuarij.

Fanum Sancti Dionysij, & Sancti Clodoaldi capiuntur cum Carentonio, ad hoc cæsi Clanleuius, & Castilioneus diuersarum partium.

Fame pressi Parisini compellunt ad pacem Protectores suos. Rex pergit Compendium vbi recipit Amitam suam Reginam Angliæ, & Parisios redit 18. Augusti.

Burdegalenses queruntur de Duce Espernonio suo Gubernatore, & Castrum Tropitam occupant.

Carolus I. Rex maioris Britanniæ iussu Farfaxij & Cromuelis damnatus die Sabbati Febr. 6, & 9. publicè cæditur tortoris manu Londini.

Cromuelus eligit sibi 40. Consiliarios, qui regnare cœpit, sine Regis nomine, sine satellibus, toti Europæ metuendus.

Idem in Hibernia delet Marchionem Ormondum, soluit Dublini obsidionem & Scotis indicit bellum, iisque fortiter repugnat qui Carolum II. euocarant ex Hollandia vbi cum fratre agebat.

Polemarchus Chalneus Parisius moritur ex calculo 30. Octob. ætatis 69.

Ibraimus Turcus obit 18. August. succedit filius Mahometes IV.

Leodiensis Episcopus suâ vrbe recipitur rebelli, & sediosissimos mulctat.

Poloniæ Rex Cozakos inuadit, eósque cogit recipere Chemielniskium Gubernatorem.

Anno Christi MDCL. *Condæus, Contius & Longauillæus dantur in custodiam 19. Febr. in Castro Vicennarum: inde ducti*

Marcussium 28. Aug. & 26. Nou. in portum Gratiæ cum exercitu ab Harcurio.

Tauanius ducit Anguianum Bellogardiam, Mater Burdegalam, vbi populi tumultus concitatus erat, Ducémque accepit Bullionium.

Ducissa Longauillæ fugit in Normanniam, inde in Belgium, exinde Satanaçum.

Rex Deppam ingreditur, & Diuionis Castrum, Inculismam 25. Iulij.

Tandem aliquod fœdus initur: Rex ingreditur Burdegalam, Contia pergit Montem Rotundum cum filio, Bullionius in Comitatum Tureniæ; Rex Bellaqueum fontem redit 8. Nouembr.

Leopoldus vsus tumultibus Gallicis capit Capellam, Castelletum, Varnetonium, Retelium, Castrum Porciani, Satanacum.

Plessius Praslinus Polemarchus ad Retelium vincit Turenium à Condæo stantem.

Hispani recipiunt Populoniam, & Portum longum.

Princeps Arausicanus moritur annos natus 24. relictâ vxore prægnante, quæ filium enixa est.

Obiêre Ranzonius Polemarchus, Carolus Valesius Dux Inculismensis, Auauxius, & Memmius Præses; Carlotta Mommorantia 2. Decemb.

Cromuelus Scotos vincit, capit Edimburgum.

Christina Sueciæ Regina coronatur 3. Octobris.

Anno Christi MDCLI. 1. *Ianuarij Rex quinque nouos Polemarchos creat.*

30. *Ian. Senatus petit vt liberentur inclusi Principes.*

Mazarinus exit Parisiis 7. Febr. vadit Portum Gratiæ 13. & Sedanum secedit, inde Coloniam.

Principes soluti Parisios subeunt 16. & salutant Regem, atque Senatum die sequenti.

7. *Sept. Rex declaratur Maior, ætatis 14.*

Condæus secedit ad S. Maurum, inde Burdegalam, Contius Biturigas.

Rex Biturigas venit 9. Octob. & turrim occupat, quam deiici curat. Pictauium ingreditur 31.

Condæus Santonas occupat; ab Harcurio Connaco pellitur.

Marsinus Leodiensis Cataloniam relinquit, eámque Hispanis relinquit, qui Tortosam recipiunt: ipse venit in Aquitaniam ad suum Condæum cum copiis sibi commissis.

Motha Hodancurtæus Polemarchus in Catalaniam mittitur, vbi vulneratur.

Caput Mazarini addicitur pretio 50. *millium librarum, eius Bibliotheca venditur & supellex Senatus Decreto* 29. *Decembris.*

Hispani recipiunt Ipras, Furnas, & Bergam S. Vinoci.

Carolus II. irrumpit in Scotiam, vincitur à Cromuelo: dissimulato habitu venit Londinum: *Inde Deppam, & demum Parisios* 30. *Octob.*

Copias scribunt Dux Neoburgensis & Marchio Brandeburgicus, & tandem conueniunt.

Veneti Turcos vincunt in Ægæo mari.

Poloni non longè à Kamienieco cædunt 40. millia Cozakorum, & Tartarorum, & Kioniam vrbem occupant.

Maximilianus Elector Bauarus moritur annos natus 78.

Obiêre quoque Archiepiscopi Rhemensis & Tholosanus, Episcopus Pictauiensis: ex Societate *P. Nic. Caussinus* 2. *Iulij, & P. Iac. Sirmundus* 7. *Octob. ætatis* 83. *suis scriptis illustris.*

Anno Christi MDCLII. *Mazarinus à Rege reuocatur, redit cum tribus Polemarchis Pictauium.*

Molæo Senatus Principi dantur sigilla.

Harcurius Condæum etiam lacessit.

Hoquincurtius Mareschallus Andegauum capit.

18. *Febr. Romæ creatur Cardinalis Paulus Gondius.*

Duces Bellefortius, & Nemorosius copias conficiunt, ad Montem Argium, quibus præficitur Condæus, Contius Burdegalæ relinquitur.

Rex venit Salmurium, Turonas, Blesas, &c.

Condæus, & Bellefortius vincuntur ad Stampas 4. *Maij: sed* 11. *S. Dionysij Fanum occupant, receptum die sequenti.*

Dux Lotharingiæ Parisios ingreditur 12. *Iunij, & Principum rem afflictam reparat, dum Rex ageret Meloduni.*

11. *Iunij fit supplicatio celebris ad S. Genouefam.*

2. *Iulij Condæum inuadit Turenius ad Suburbium S. Antonij, vbi Princeps magnum periculum adiit, seruatus tantum operâ Aurelianensis Ducis filiæ, è Bastilia in Regios detonantis.*

4. *Iulij multi optimi ciues Parisini trucidati sunt ad Domum Vrbanam, quod rem Principum euertit.*

17. Iulij Pontisaram Rex se contulit, & ibi Senatum statuit 31.
16. Bellefortius Nemorosium Sororium suum in duello cædit.
Dux Bullionius moratur Pontisaræ 15. Aug. & Dux Valesius 10. Parisiis.
Cardinalis aulam relinquere simulat.
Rex & Regina Compendium pergunt, vnde ille Amnistiam mittit, & vbi Cancellarium recipit.
Mons Rotundus 8. Sept. redditur Comiti Paluasio.
Cardinalis Radesius Compendij recipit pileum rubrum à Rege.
Dux Guisius liberatus ab Hispanis redit Parisios 1. Octobris.
Condæus Parisiis abit cum Ducibus Lotharingo, atque Virtembergensi, Principe Tarentino, & aliis.
Rex inuitatur San-Germano redire Lutetiam, & in eam venit 21. Octobris, ac reconciliatur Duci Aurelianensi.
Condæus obsidet Fanum Sanctæ Manehildis, & capit 13. Nouembris.
Card. Radesius includitur 19. Dec. Castro Vicennarum.
Marchio Castri-Noui recesserat iam 12. huius mensis Biturigas.
Hispani inter tumultus Gallicos occupant Grauelingam, Dunkerkam, Barcinonem obsessam mensibus 15. Casale, & alia oppida.

Frankendalium redditur Palatino, sed eius loco datur Hispanis Bizontio.

Ernestus Langrauius Hassiæ cum vxore fidem Catholicam profitetur.

Poloni vincunt Cozakos, & ab eis viciſſim vincuntur: hi Camienicum frustrà obsident.

Obière hoc anno Elector Treuirensis, *Polemarchus Forcius, Præses Balliolus, & P. Dionysius Petauius 11. Nou. mortalium sui temporis eruditissimus: præcesserat eum antagonista Salmasius 3. Sept. vir magnæ sed confusissimæ litteraturæ.*

Anno Christi MDCLIII. *Mazarinus redit Parisios 3. Febr.*

Angli & Bataui certant modò prosperâ, modo aduersâ fortunâ: sed cùm hi amisissent Thalassiarchum Trompium pacem inire cum Cromuelo coacti sunt.

Vlmeam L'ormée, *Burdegalæ Contius continebat, dum Condæus Picardiam populabatur, hic Rupem Regiam præsidio munit.*

Fanum S. Manehildis, Mosomum, & Bellogardia recipiuntur.

Innocen-

Innocentius X. damnat 5. Propositiones Iansenij.

Augustæ Vindelicorum eligitur Rex Ro. filius Imperatoris, qui obiit anno sequenti annos natus 20.

Heluetij Catholici, & Hæretici tumultuantur.

Kosaki iuncti Moschis inuaduntur à Polonis.

Veneti pugnant cum Turcis in Insula Creta & in Ægæo mari.

Naudæus optimus Bibliothecarius moritur Abbauillæ 29. Iulij rediens ex Suecia.

Anno Christi MDCLIV. *Io. Franciscus Gondius Arch. primus Parisiensis moritur Parisiis 21. Martij ferè septuagenarius.*

Ludouicus XIV. inauguratur Rhemis 31. Maij Dominicâ Trinitatis ab Episcopo Suessionensi.

Carolus Lotharingus includitur Bruxellis, & ducitur in Hispaniam, dum tota eius ditio à Francis detineretur.

Contius conciliatur Mazarino, eiúsque neptem ducit.

Christina Sueca Sceptrum deserit in gratiam consanguinei sui Caroli-Gustaui, & Hamburgum venit, inde Bruxellas vbi fidem Catholicam profitetur.

Galli obsessum Atrebatum liberant, & deleuissent Hispanos, nisi Condæus eos sapienter subduxisset.

Quercetum in Hannouia à Francis capitur, & Claromontium in Argona.

Dux Ioyosa Princeps Ianiuillæ moritur ex vulnere, quod receperat ad Atrebatum.

Plessius Bellerius obit in Neapolitana expeditione.

Cardinalis Radesius Nannetis fugit, quo ductus erat à Melleræo, adit Romam, post varios flexus venit.

Moschouitæ Smolenskum capiunt.

Lusitani Recifum in Brasilia Batauis eripiunt.

Anno Christi MDCLV. moritur Innocentius X. 7. Ianuarij cùm sedisset annis 10.

Alexander VII. huic succedit 7. Aprilis.

Franciscus tum Dux Lotharingiæ cum reliquis copiis transit ad Francos.

Leopoldus Ignatius filius Imperatoris coronatur Rex Hungariæ Posonij Dominicâ 27. Iunij.

Landrecium, Condatum, Fanum Sancti Gisleni à Gallis occupantur.

Dux Mutinensis obsidionem Ticini soluere cogitur.

Suecus inuitatus à quibusdam rebellibus aggreditur Poloniam, obuios quoque vincit, cepit Thoronium, Varsouiam, & Cracouiam.

Moschouitæ Lithuaniam expilant, & Vilnam intercipiunt.

Christina Sueca Romam ingreditur 23. Dec. & anno sequenti Confirmationis oleo vngitur ab ipso Pontifice.

Veneti vincunt Turcos ad Dardanellas.

Cromuelus pacem cum Francis init : Montanos Scotos subiugat : pecuniam Valdensibus sufficit Pedemontanis : & Henricum vnum ex filiis, Hiberniæ præficit.

Anno Christi MDCLVI. Veneti victores Turcorum occupant Tenedon Insulam.

Heluetij inter se conueniunt Badenæ.

Imperator curat coronandam vxorem suam Pragæ, & filium suum Bohemiæ Regem.

Ioannes Austrius præficitur Belgio, vt belli rudimenta *sub Condæo poneret : Condæus Valencenas obsidione liberat, Condatum capit : frustrà Quercetum inuadit. Sed Hispanis Capella eripitur : ad quam cadit Ramburius.*

Galli Valentiam ad Padum capiunt.

Rex Poloniæ Cazimirus resumit animos, Suecos vincit ad Iaroslauiam 12. Martij, Varsauiam recipit : pugnat iterùm per biduum, sed æquatis cum hoste damnis : Gedanum seruat, eámque vrbem subit 15. Nouemb. cum Moschis paciscitur, relictâ illis vrbe Smolensko pro Lithuania, Podelassia, & Russia Rubra, quæ huic restituuntur.

Cromuelus *Quaquertios* seu Trementes exagitat, & in vnam fidem omnes Heterodoxos reuocare nititur, opus ἀδύνατον.

Ioannes IV. Rex Lusitaniæ moritur Olysippone 9. Nouembris cùm regnasset annis 15. ferè cum dimidio. Io. Alfonsus filius ei succedit sub tutela Matris fœminæ sapientissimæ.

Obiit Parisiis Matthæus Molæus Senatus Princeps, & Sigillorum custos 3. Iun. ætatis 72.

Item moritur Georgius Saxo 18. Oct. relicto filio successore cognomine.

Item & Princeps Thomas Taurini 22. Ian.

Item Oxerſtenius in Suecia.

Denique Horatius Parmenſis in Creta, in quam tranſierat Religionis ergo.

Anno Chriſti MDCLVII. Turcæ recuperant Tenedum, & quidquid Veneti in Inſula Lemno occuparant.

Alexander conatur Ieſuitas Venetiis reſtituere iam inde exules ab annis 50. ob Interdictum Pontificis Pauli V.

Mocenicus occidit in prælio ad Dardanellas.

Hiberni ignauiâ ſuâ tradunt Gallis fanum Sancti Giſleni, iam à Belgis 2. menſibus obſeſſum.

Cameracum à Gallis captum erat, niſi Condæus illud ſubiiſſet, cum quibuſdam auxiliis.

Mommedium ſe Gallis dedidit tam acriter propugnatum, quàm oppugnatum.

S. Venantij Gubernator caput perdidit, quòd ocyùs vrbem ſuam dedidiſſet.

Mardikum Anglis relinquitur.

Alexandria à Palea fruſtrà obſidetur à Principe Contio, & Duce Mutinenſi.

Decreta Innocentij X. & Alexandri VII. coram Rege in Senatu recipiuntur, & inſcribuntur.

Imperator obiit 2. Iulij ætatis 49.

Item obiêre Nicolea Duciſſa Lotharingiæ, Dux Ellebouius, Polemarchus Motta Hodancurtius, Senatus Princeps Belleuræus, & alij viri illuſtres.

Francofurti ad Mœnum eligitur Imperator, die Iouis 18. Iulij, Leopoldus Ignatius, & coronatur 1. Auguſti.

Oliuarius Cromuelus Angliæ Protector obit 13. Sept. Londini, & Regio more ſepelitur.

Marchio Villa Trinum capit.

Dux Mutinenſis Mortaram occupat, & moritur Santiæ 14. Octob.

Dunkerka Francis redditur, poſtquam Hiſpani cæſi eſſent ad Dunas 15. Iunij, vbi Condæus equo ſuffoſſo periclitatus eſt, fugit Io. Auſtrius.

Lokartius pro Anglis præficitur Dunkerkæ.

Ceſſêre etiam Gallis victoribus Bergæ S. Vinoci, Furnæ, Dixmudæ.

Victi iterùm Hispani ad Brugas.

Marchiones Castelnauuius, & Mangius obière Calesij 15. Iulij ex vulneribus.

Ibidem Rex periculosè ægrotauit.

Idem Rex Lugdunum adit, recipitque Amitam suam Sabaudiæ Ducissam, cum suis liberis.

Mareschallus Feritatis Sancti Nectarij, Grauelingam sese dedere cogit 27. Iulij.

Polemarchus Turenius capit Aldenardam, Menenum, Ypras, & alia oppida.

Sueci per mare concretum Holsatiam ingrediuntur, & Fioniâ potiuntur Insulâ; quare coguntur relinquere Suecis Sconiam, & duras satis conditiones subire.

Ragotkius Vayuoda Transyluaniæ, post victos Turcos, atque victores, cogitur à suis cum illis pacem inire.

Turbæ Asiaticæ sopiuntur morte, aut fugâ rebellium.

Neapolitani grati accepti beneficij S. Xauerium Protectorem agnoscunt.

Poloni Thoronium recipiunt; conueniunt cum Marchione Brandeburgico, & Cozakos efferatos mulcere parant.

Pontifex refert in Sanctorum numerum Thomam de Villanoua Archiep. Valentinum mortuum 1555. 8. Sept. annos natum 68.

Anno Christi M D C L I X. *Pax inita inter Francos, & Hispanos iam ab annis 25. desiderata, in Insula Phasianorum, inter Card. Mazarinum, & Lud. Harosium feciales, optandis vtrimque conditionibus, vt Maria Theresia nuberet Ludouico, retinerent Franci penè omnia quæ armis occuparant.*

Morosinus Dux Venetus Modonem capit in Peloponneso, & transit in Ægeum mare vt Dardanellas occuparet.

Alepi Bassa, & post eius mortem filius Syriam turbant, & tum poterat recipi Palæstina si Christiani Principes conuenissent.

Sueci animati in Danos Hafniam obsident, & pugna atrox committitur 21. Febr. Dani recipiunt Fioniam.

Lusitani Hispanos Eluasium obsidentes vincunt, eorum 4. millia cædunt, tormenta bellica, & omnem bellicum apparatum eis eripiunt.

Palauicinus Iesuita fit Cardinalis 10. Nou.

Monkius Scotus, & Lambertus Anglus iungunt copias suas ineunte Maio, Parlamentum Tyrannicum exauthorant; & Ricardum filium longè dissimilem Patri Cromueli, & sensim subditos disponunt vt recipiant suum Regem.

Henricus Dux vltimus Nemorosius obit 14. Ianuarij: Item Abel Seruientius 17. Febr. regij Fisci alter Præfectus.

Anno Christi MDCLX. *Lud. XIV. in Prouinciam pergit, & Aquis Sextiis recipitur 27. Ianuarij: vbi & recepit Principem Condæum ex Belgio reducem, quem ei Longauillæus obtulit.*

Massilienses se submittunt Regi.

Arausium non est ausum repugnare.

Nemausus tandem apud Regem gratiam inuenit.

In Insula Phasianorum recepit sponsam suam à Patre Philippo IV.

Montes Pyrenæi terræ motu concussi sunt, Aquæ calidæ Bagneriarum disparuerunt.

Rex cum Regina magnificentissimè Lutetiam subeunt 26. Augusti.

Dux Aurelianensis mortuus est Blesis 2. Febr. ætatis 52.

Obiit item Carolus Gustauus Suecorum Rex, Gottemburgi 23. Febr.

Cardinalis de Lugo Romæ 21. Augusti.

Hospitalius Polemarchus Parisiis 20. Iunij.

P. Vincentius Generalis Missionariorum 27. Octob.

Incendium Constantinopolitanum contigit 24. Iulij.

Veneti à Canea repulsi, vincuntur à Turcis.

Vesuuius mons multùm cineris euomuit 6. Iulij.

Ragotzius vulneratus in prælio aduersus Turcos, Varadini moritur 6. Iunij, & vrbs ista sæpè oppugnata iisdem Turcis cessit 27. Aug.

Poloni Moschouitas vincunt 28. Iunij, & minoribus præliis, inde petiêre pacem, & Cosaki sese Casimiro submisêre.

Monkius iam in Senatu omnia potens, Lamberto deiecto, Carolum II. Britanniarum Regem proclamari curat, eúmque per duplicem Senatum reuocandum curat, mittit naues in Hollandiam, quæ eum cum duobus fratribus refe-

rant: Ipsi processit obuiam, eúmque primo Cantuariam deinde Londinum deducit Octobris 8. vbi iam restitutæ erant Statuæ Regum Iacobi, & Caroli I.

Anno Christi M D C L X I. 9 Februarij cadauera Cromuelis, Iretonis, & aliorum eiusmodi parricidarum eruuntur, & sub furcis publicis ignominiosè obruuntur.

Cardinalis Mazarinus moritur in Castro Vicennarum 9. Martij, ætatis 59.

Dux Andegauensis Regis frater duxit Henriettam Sororem Regis Angliæ 31 Martij.

Ducis Aurelianensis filia nubit Duci Magno Etruriæ 18. Aprilis, ingressa Florentiam 21. Maij.

Rex Angliæ coronatur Westmonasterij 9. Martij, & magnificè Londinum subit.

Romandiola magno terræ motu agitata 11. Martij.

Veneti Melitensibus iuncti Turcos malè mulctant ad Insulam Milo.

Lud. XIV. Nannetis Nicolaum Fuquetium Fisci sui præfectum includi iussit, & transferri in Castrum Vicennarum, inde in Bastiliam; Calonesum sibi vindicat, Iuridicum Conuentum creat, qui de vectigalibus malè administratis statuat.

1. *Nouembris nascitur Delphinus, eodémque die moritur Infans Hispaniæ.*

Carolus Infans nouus Hispaniæ nascitur 21. eiusdem mensis.

Lusitani cum Batauis fœdus ineunt.

Ciues Vrbis Monasterij in Vestphalia suo Episcopo reconciliantur, post diuturnam obsidionem.

Rex Danus sibi iugum impositum à Nobilitate excutit, & se verè regnare agnoscit.

Transyluania, Moldauia, Hungaria turbantur, armis & conatibus Turcorum, qui Michaëlem Abaffium fouebant.

Moschi delentur in Lithuania 5. Nouembris ab exercitu Polono, cuius victoriæ tantùm fructus fuit rebellio in Regem, & Ecclesiasticos.

Arx Vilnensis tandem reddita est initio Decembris, & Kiouia obsessa.

Batteuilla Legatus Regis Hispaniæ Londini insultat Comiti

Stradeo Regis Galliæ Legato 10. Octobris, quæ iniuria insignitè reparata est à Marchione Fontano Legato Extraordinario, coram Legatis omnibus, qui Parisiis versabantur anno sequenti

Dux Espernonius obiit Parisiis 28. Iulij.

Obière Ludouicus Morosius Madriti 17. Nou. Fuensaldanius Cameraci 23. Holstenius Romæ 2. Februarij.

Marchio Arguillensis cum quibusdam Ministris, & aliis rebellibus, capite minuuntur in Scotia.

Anno Christi M D C L X I I. *Lud. X I V. multos creat Equites Spiritus Sancti 1. Ianuarij tam Ecclesiasticos, quàm sæculares, quibus præluxêre Principes Condæus, Anguianus, Contius.*

Cessio Ducatus Lotharingiæ probata est in Senatu exeunte Martio, conditionibus huic familiæ perhonorificis, minùs tamen seruatis.

Publica Panegyris (Carusselum vocant) celebrata est magnificentissimè Parisiis ab ipso Rege, Principibus, & primariâ Nobilitate 5. Iunij.

Mortuus 29. Iunij Petrus de Marca Archiep. Tholosanus, designatus Parisiensis, cedente Cardinali Radesio, vir in rebus Ecclesiasticis eruditissimus, nec non Politicis. Cui successor datus Harduinus Perefixius Episcopus Ruthenarum, anteà Regis Præceptor, hac sede dignissimus.

Honoratus II. Monaci Princeps obiit 10. Ianuarij. Item & Polemarchus Faber Sedani vbi præfectus erat 17. Maij.

Anna Elizabetha filia Regis nata 7. Nou. obiit eiusdem mensis 30.

Dunkerkam ingressus est Lud. X I V. 2. Decembris, cum multis Nobilibus, persolutis Anglo pactis pecuniis.

Archidux Leopoldus obiit Viennæ 10. Nou.

Iacobus Danesius olim Episcopus Telonensis, sicut eius successor Petrus Pingræus recepêre cælo præmia effusa inopibus & damnatis ad triremes.

Lusitani Hispanos fortiter retundentes turbati sunt aulicis tumultibus.

Bataui fœdus cum Gallis renouarunt præuidentes bellum propter Indias vtrasque.

Turci & Cæsarei sese ad bellum parant ob Transyluaniam, & contentiones Ianossij, & Abaffi.

Turcæ coguntur soluere obsidionem Claudiopoleos, & recedentes malè mulctantur.

Exercitus Polonicus rebellare pergit, & rebelles ea petunt, quæ ægrè conatur Rex eis persoluere.

Pax initur inter Polonum & Moschum, & hunc turbatum etiam à subditis ob monetam æream.

Episcopi restituuntur in Scotia, Ministri peruicaces mulctati.

Kakertij seu *Trementes*, Anabaptistæ, Independentes, prohibentur perficere quod proditoriè erant machinati.

Dominicanus Sacerdos cum multis Christianis captiuis fortiter & piè moritur Algerij.

Dux Crequius Legatus Regis Franciæ offenditur Romæ à Corsis, receditque Montem Falconem in Etruriam, remittitur quoque Nuncius Pontificius, atque deducitur vsque ad limitem Sabaudiæ, dum inflicta repararetur iniuria.

Comes Lechius filius Lud. Harosij datur in custodiam, accusatus de insidijs paratis Duci Medinæ de Turribus Regi gratioso, in villa sua.

Anno Christi M DC LXIII. *Auenionenses vsi præsenti occasione in Regis Franciæ partes transeunt, & Papæ ditionem eiurant. Præses oppida, & aliqui Consiliarij Aquenses Auenionem occupant, & Carpentoratum cum toto Comitatu Venesino.*

Marsalum in Lotharingia redditur Lud. XIV. 3. Sept. Valesia Sponsa Ducis Sabaudiæ, Taurini recipitur 14. Maij.

Margareta eius Soror nupta Duci Parmensi obiit in puerperio.

Henricus Longauillæus mortuus est 11. Maij. Marchio posteà Dux Montoserij ei succedit in administratione Prouinciæ & Rothomagum intrat 6. Augusti cum gaudio omnium eruditorum.

Ludouicus rogante Episcopo Geneuensi in præfectura Gexiensi dirui iubet 23. Templa, sine commissione excitata.

Legati 13. Cantonum Heluetiorum renouant fœdus cum Rege Galliæ, in maiori Ecclesia Parisiensi, lautissimè deinde excepti.

Ottomanus Bassis rebellibus retusis, Cæsaris propositiones irridet, quare hic Viennam munit, & cibariis instruit. Turca fingit obsidere Iauarinum: sed sub finem Decembr. Comes Serinus Turcos malè mulctat in transitu Pontis.

Poloni rebelles in tres exercitus diuisi inuaduntur à Regiis copiis, quibus se Cosaki adiunxerant, cum 40. millibus Tartarorum; itaque se submittere coguntur Regi 2. Iulij, quibus Regina veniam impetrauit.

Euora vrbs Lusitaniæ occupatur 22. à Ioanne Austriaco, sed cùm Hispanorum exercitus deletus esset à Villaflota, & Schumbergo, statim hæc vrbs recepta est.

Guil. Landgrauius Hassiæ Casseli obit 26. Iulij annos natus 35. reliquitque ditionem sex liberis suis, & vxori.

Angli Iamaïcam incolentes iam à tempore Cromueli, intercipiunt, atque diripiunt vrbem S. Iacobi in Insula Cubæ.

Marchio Dormontius Hibernos delet.

Veneti Synodiam Alexandrinam capiunt.

In Noua Francia terræ motus horribiles contigerunt, & quales nullæ Historiæ antiquæ, recentésque produnt.

Feciales Pontificis, & Regis, de modo satisfaciendi Crequio Pisis 12. Maij Rasponius & Burlemontius conueniunt, vt nepos Pontificis Flauius Chisius Cardinalis Legatus à latere mitteretur in Franciam, qui testaretur Regi factum vehementer displicere Pontifici: Cardinalis Imperialis Regem adiret; Corsi dimitterentur, Pyramis excitaretur index satisfactionis; Ducatus Castrensis separaretur à Ditione Pontificia, Auenio, & Comitatus restituerentur Pontifici.

Legatus Chisius Bellaquei Regi fecit satis: deinde magnificè susceptus Parisiis 9. Augusti.

Institutum hoc anno commercium in Gallia, duæque Societates institutæ, vna Orientalis in Insulam Sancti Laurentij seu Madagascar & alia Indiæ loca, & Occidentales in Cayennam, Nouam Franciam, & Antillas.

Obiit Christina Franciæ Ducissa Sabaudiæ 27. Decemb.

Hanc secuta est breui Ducissa Sabaudiæ filia Ducis Vindocini 14. Ianuarij.

Carolus Iosephus frater Imperatoris, Archidux obiit Lintzij in Austria 27. Ian.

Mortuus 8. Febr. Polemarchus Melleræus.

Henricus Guisius facto functus est 2. Iunij.

Agitur de iungendis maribus interno & externo per Frezolum fl. qui cadit in Atacem, & Lertium qui Garumnâ hauritur.

Lusitani Valentiam capiunt in Extremadura, & 7. Iulij Hispanos expellunt obsidentes Castellum Roderici.

Comes Serinus, ingreditur Hungariam mense Ianuario,

& capit Quinquecclesias *Furkirken*, aliásque vrbes, Segestam incendit, & Canisam obsedit, & si ei missa essent auxilia, capta erat. Sed Magnus Vizirus adfuit cum ingentibus copiis, obsidionem soluit, Arcem Serini cepit, & paruam Gomorram.

In Imperatoris auxilium missus erat Colinius cum 4. electorum virorum millibus: eorum maximè virtute seruata Germania, victis ac retrusis in flumen Arrabonem Turcis iuxta fanumS.Gothardi 1. Augusti Duce Foliadâ, Nobilitate, & militiâ Gallicâ, ad miraculum depugnantibus, cepêre 16. Tormenta bellica, 150. signa; & nisi Montecuculus Pontem subuertisset, actum erat de Viziro & Ottomanis.

Comes Suchius occuparat Neutram, & Leuuensium: sed capta à Turcis Nouausela, quæ in pace cessit Turcis cum Varadino.

Nicolaus Serinus Comes, in venatione interfectus est ab Apro.

Expeditio ad Igilgilem Gallis malè cessit, initio fortiter capta, tandem generosè à Turcis recepta; eius propugnatores coacti naues conscendere 6. Octob. cùm ob pestem nulla eis auxilia missa essent. Nauis autem quæ magnam partem Legionis Picardicæ reuehebat, ad Stucadas Insulas naufragium fecit, & multos viros fortissimos perdidit.

Anno Christi MDCLXV. Duo Cometæ Europam terruerunt.

Philippus IV. Hispaniæ Rex moritur Madriti 17. Sept. relictâ regni administratione Annæ Mariæ Austriacæ, cui sex Consiliarios assignauit, donec adolesceret Carolus II. eius filius.

Cardinalis Sandoualius Arch.Toletanus,vnus ex Consiliariis nominatis à Rege,eodem die quo Rex,è viuis abscessit.

Carolus II. 6. Nou. admisit ad osculum manus, Proceres regni, & Legatos Principum: & die 8. recepit torquem velleris Aurei cuius est caput, à Duce Cardona, antiquissimo huius ordinis Equite.

Lud. XIV. 1. Dec. admisit coram Senatu Parisiensi Duces, & Pares Franciæ Polemarchos Aumontium, Plessæum, & Feritatis S. Nectarij, cum Marchione Montauserio, nunc Delphini Francici Gubernatore.

22. *eiusdem mensis pretium addixit magistratibus, quod supra modum excrescere videretur.*

Dux Mantuæ obiit 14. Aug. ætatis 35. cui successit filius annorum 13. sub tutela matris, ex familia Archiducum Oenipontinorum.

22. *Octob. obiit Cæsar Dux Vindocinus filius Henrici IV. & Gabrielis Estreæ ætatis* 71.

12. *Decembris mortuus est Dux Fuxius relictâ vnicâ filiâ, ab vxore, quæ paulò antè in puerperio obierat.*

Fratres duo Luneburgici Georgius Guil. & Io. Fridericus, contra se inuicem armantur; sed amicorum operâ amicè controuersias suas composuêre.

Rex Poloniæ Casimirus diu secutus Lubomiskium cum rebellibus, eum compulit secedere in Silesiam, deletis eius copiis remissisque ad sua Nobilibus, veniâ ab ipso impetratâ.

Londini toto Autumno pestilentia sæuiit, & in multis Angliæ locis.

Bellum gessêre Angli & Bataui, & hos inuadebat Episcopus Monasteriensis. Qui eorum agros diripuit, & aliquot cepit oppida, *donec Gallis in eorum auxilium accurrentibus Duce Pradello, meliùs eorum res processêre.*

27. Iulij magnum incendium sæuiit in Seralio, quo absumpta Consilij domus (*Diuanum vocant*) vnà cum æde magnificentissima Sultanarum, plumbi liquefacti riuis per vrbem decurrentibus.

3. Augusti ibidem incendium sæuiit, quo intra 7. horas absumptæ sunt supra duo millia apothecarum, & mille domus mercibus ditissimis refertæ.

20. Item Iulij capacissima nauis arsit in portu inter Galatam, & Constantinopolim, multis spectantibus, nec huic succurrere valentibus.

Leslæus Legatus Cæsaris magnificè Constantinopolim ingressus est 7. Sept.

11. Octobris Turcus Princeps qui iam duos annos ab vrbe abfuerat, eam subiit cum 20. millibus armatorum, 36. tormentis bellicis, & tota Domo.

Anno Christi MDCLXVI. Philippus Labbeus Soc. IESV author huius operis vir singularis, & exquisitæ me-

moriæ diebus 58. cum acerrimo morbo conflictatus obiit pientissimè : neque fas est ab eo inchoatum opus vltrà eius vitam procedere.

FINIS.

PARISIIS,
E' TYPOGRAPHIA REGIA,
CVRANTE
SEBASTIANO CRAMOISY,
Regis Architypographo.

M. DC. LXIX.

INDEX
RERUM, NOMINUM, ET VERBORUM,

Quæ in tribus Compendij Temporum voluminibus maximè notanda continentur.

A

B

D

G.

M.

N.

FINIS INDICIS.

PARISIIS,
E TYPOGRAPHIA REGIA,
CVRANTE
SEBASTIANO MABRE-CRAMOISY,
eiusdem Typographiæ Directore.
M. DC. LXX.

